







HISTORIAE
OLIVETANAE.

Auctore

D. SECVNDO LANCELLOTTO
Perusino Abbate Oliuetano.

LIBRI DVO.

Primus Congregationis Monachorum S. Mariæ M. Oliueti Ord. S. Benedicti Originem, progressum, Abbates Generales, insignia quæque sub cuiusq. imperio patrata, Cœnobiorum suo ordine assecutionem, aliaque huiusmodi.


Alter verò vetustatem, ædificationem, iura cùm antiqua, tùm recentia, Sancta Corpora, Viros egregios vniuscuiusque Cœnobij, necnon Abbatias, Ædesque adiunctas complectitur.

Erit ex vtroque quod & iucunditatis, & vtilitatis præter Oliuetanos cupidiores rerum antiquarum, & maximè Ecclesiasticarum indagatores excipiant.


Cum Triplici Indice, Abbatum Generalium, Monasteriorum, & Rerum Notabilium.


DE LICENTIA SVPERIORVM.








Ex Typographia Guerliana. 1623.





SERENISSIMÆ. AC POTENTISSIMÆ COELI, TERRAEQVE REGINAE MARIÆ VIRGINI, DEIQVE MATRI.



QV I ipse sim, Maiestati tuæ compertissimum est, Serenissima Domina, anteaquam in viuis fuerim. Non te fugit, quo spiritu in eo elaborauerim, vt pauca illa; quæ possem trecentesimum post annum, cum familia abs te Oliuetana instituta est, luce non indigna, pauca, inquam, siue scriptorum inopia, siue edacitate temporis, siue alia causa exciperem. Non præterit, quibus laboribus, quibus incommodis, itinerumq. periculis, huic, quale quale sit, supremam operi manum imposuerim. Non latet in primis, quo consilio instituerim, promouerim, confecerim, non gloriæ, non famæ, non vtilitatis studio, sed vt Deo Filio tuo, tibiq. Præpositæ nostræ Sanctißmæ honori sit, meisq. in hoc sacro Ordine Fratribus consolationi, vtilitati. Tibi igitur cuius precibus assigno difficilium omnium, quæ interuenere, victoriam, cui tam multis, quæ tibi non sunt obscura, beneficijs tan-

tum habeo gratiæ, animo quàm maximè dimiſſo, &, quo vnquam in tuum ſeſe conſpectum dederit maximus poſt hominum memoriam criminum reus tremore, rubore; pedibus tuis aduolutus piè conſtituo, opusq. tuo conſecro nomini. Oro ſupplex, vt, ſi quis graue aliquid debiſce laboribus ſentiat, tueare benignius, & , qua vales poteſtate, ſapientia reuoces. Si id minus feceris, ſint tamen gratiæ immortales, laudes æternæ. Suo quiſque iudicio metiatur; voti ſemper compos ero; teſtorq. magnopere me lætari, quod mea, ni fallor, optima voluntas ſatis tibi cognita ſit, tibi, inquam, qua deprecante, in ſpeſum, quicquid vnquam homini vel ſperare, vel impetrare licuit, à Filio tuo me facilè impetraturum. Ex lacrymarum valle. Anno à contrito per te Serpentis capite Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimotertio.

M. T.

Seruus addictiſſimus, & humillimus

D. Secundus Lancellotus Peruſinus Oliuetanus, Dei, tuiq. gratia, ſi quid eſt.


CAN-

CANDIDO LECTORI,

Præsertim

OLIVETANO.

V V. V V. V V.



VLTA sunt, Candide Lector, quæ communicem, quæ significem, anteaquam ad huius meo quidem studio conscriptæ Oliuetanæ Historiæ lectionem te ipse conferas. Ita tamen complectar, vt & ego, quod res ipsa postulat, fortitan exactè consilium meum aperiam, & tu, si minus negocia impediunt, si tantisper sustinueris, quæ in hoc opere ab Auctore expetis, vel expetiturus es, ad satietatem accipies. Cum igitur mihi ferè ab incunabulis non facilè credibilis ad Historias, resque antiquas examine, & memoria dignas pertractandas, easque custodiendas, posterisque tradendas insita fuerit procliuitas, & cum quauis inter Perystilia genij huius excolendi opportunitate caruerim, sponte mea admodum adolescens, nemine cùm incitante, tùm permittente, operam suscepi, qua tabulas Cœnobiorum peruetercs scrutatus primordia, iura, aliaque maximè insignia eò pertinentia animaduerti. Neque id perfacile, non vel maximo labore, cuius grauitatem, & quæ excipiebatur, voluptas, &, quæ Ædibus nostris aliquando sperabatur, dignitas, & vtilitas leniebat, sed quia nullus sententiam meam assequebatur, adeò vt mea illa cupiditas, & sollicitudo plerisque leuitatis, meræque curiositatis nomen acceperit. Hinc sæpe numero valde molestus, valde patiens. Tam multa depromperam, in vnum coegeram, vt cum euulgare possem, Præsidibus nostris, qui in Monte Oliueto conuenerant, perlegenda dederim, & præterea exposuerim, cum ita ipsis placuerit, vt instituto negocio fastigium imponerem, remotissima quæque Cœnobia mihi necessariò inuisenda. Consilio, & suscepto labori, dato plausu, minimum non tribuunt. Literis igitur instruunt, & exornant ad Præsules, & Abbates Oliuetanos, vt perhumaniter accipiant, liberaliter tractent, tabularia permittant, suoque ære ad alterum Cœnobium deferar, deducar. Ex his continuò à Paulo Cardinale Sfondrato Protectore literæ ad me suapte voluntate Roma datæ, sese cognouisse à Rep. Oliuetana huius nostræ Congregationis Historias demandatam esse prouinciam conscribendi, gratissimū cecidisse, ideoque, & quapar est, diligentia, & fide administrem. Nonnulla

nulla tamen obiecta, quibus ab incepto fere desistendū fuit. Dilui. Quo modo satisfecerim, iudicium esse potuit apud illos, qui obiecerunt. Omnibus itaque explosis, ad reliqua, & præcipuè Neapolitana, Siculaque Cœnobia obeunda ingredior, quantis verò incommodis, Superis notum, & nostris maximè itineris rationem examinantibus, sine comite, sine obsequio, aliqua ex parte conijciendum. Tot laboribus, calculo tamen crassè subductis, vt hisce oculis Historijs committenda cernerem, ne aliorum dicta temerè consectarer, milliaria ter mille emensus, quod pre manibus est, volumen exscripsi. Nostrorum plerique sodalium, quorum integritatem, & eruditionem vsque extollimus, voluntatem meam summè laudarunt, & omnia inueniendi, quæ verè memorabilia perpetuo trecentorum annorum, quibus nullus è nostris scriptor extitit curriculo de nostra Congregatione narrari possunt, & vehementer exoptarunt domesticam præcipuè harum vigiliarum euulgationem. Non obscurè probatur, cum superioribus mensibus perbenignè nullo eorum, qui non dubiè id facere poterant, imperio adducti in editionem pecuniæ subsidium præbuerint, quod publica caritas, meo quidem iudicio, non patiebatur expectari. Neque etiam falsò dixerim, viros extra Ordinem nostrum rerum cognitione præstantissimos laudibus, quas mihi ipse non tribuebam, de hoc opere industriam meam affecisse, & excusionem supra voluntatem institisse. Attamen non ideo tantus mihi ipse sum, neque tam ignauus, vt non videam, *Nullam scripturam tam esse felicem, cui non contradicatur, verùm eam optimam, cui nemo iure contradicit*, neque defuturos plures ne è nostris, an ex alijs ignoro, qui de hoc libro, quod dicant, habere poterunt, quique tempus insumptum, & (si liceat vltra arrogantiam) sudorem effusum non satis probabunt. Quare vmbræ, nubesque vndecunque mentibus legentium, vt mihi videtur obtentæ rationum Sole, & Austro aliqua ex parte colliquefiant necesse est. Ac primum iuro, Deumque testor me ad hæc posteris commendanda nulla inanis gloriæ, famęq; & inter sodales, & inter populares conciliandæ desiderio adductum; &, cùm antiqua, supra quam dici potest, ex animo venerer, veteres illos imitatum, de quibus in vita Agricolæ Cornelius Tacitus. *Sed apud priores*, inquit, *vt agere memoratu digna pronum, magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia, aut ambitione bonæ tantùm conscientiæ pretio ducebatur*, & præterea nihil me chartis consignasse ad voluntatem, ad gratiam alicuius. Vtique maximam captandæ beneuolentiæ occasionem datam volenti, prudentissimus lector intelliget, quin Deus faxit, vt à viuentibus, quod vel non memorauerim, vel non laudauerim, ieiunitatis, & culpæ non arguar. Fuerunt è nostris præcipuè complures, quibus persuasum erat, hasce Historias non emittendas, cùm nostra familia, quod alijs tam multis aduenit, nihil ferè magnificum, & narratione dignum habeat, siue sanctitatem, siue doctrinam, siue dignitates, & munera ad Ecclesiæ decus, & præsidium obita spectemus; ita vt in hoc volumine perlegendo, qui Oliuetanos reipsa antedictis ornamen-

tis

tis pro fide non senserint cumulatos, Oliuetanæ Congregationis opinionem minuant potius, quam augeant, me Auctore. Id sæpe, & illis, quibus nunquam visus, nunquam lectus liber, obijcientibus aliàs, quod & in presentia, aptissimè responsum puto, Zelum quidem esse, non tamen, quod aiunt, secundùm scientiam. Hanc ratiocinationem non capio. De republica (nostram ponamus huiusmodi) quæ ad aliquem, & supra alias, dignitatis gradum ascenderit, nihil multa post sæcula proditum est, pauca præclarè gesta, eaque nec absolutè possunt enarrari, nihil propterea ad posteros transmittatur, iaceant omnino, omnino pereant paucula illa, quæ fortassis commemoratione digna reperiuntur, & quia deficit amplitudo materiæ, tenuitas negligatur, & postera sæcula expectentur, cum vetustiora faciliùs, & inueniuntur, & percipiuntur. Denique non admirandum, non erubescendum, nullum, qui me præiuerit, Chronographum (si minus extiterit) Oliuetanum. Communis enim cum alijs multis iactura. Sacræ adeantur familię, quæ nostram non satis antecedant amplitudine, & pro comperto erit, vel nullum rerum suarum scriptorem iactitare, vel, si iactitent, recentiorem esse. Penuriam fecit (quod primo libro significauimus) nimia simplicitas, vel modestia, (in aliquibus fortasse negligentia) minima scriptionis, & impressionis facultas, perpetua demum caritatum, pestium, & bellorum incommoda, quæ mortalibus nullam permittentia tranquillitatem non modò obstiterunt, sed etiam plerisque clarissimis ciuitatibus, & Rebuspublicis infæliciter actum est. Vix enim Romam, & Venetias exceperis, de quibus annua, eaque perpetua ab origine Historia contexta est, contexiue potest. Annum citra centesimum pace (superis gratiæ) Italis præcipuè florentissima, pluribus, & Religiosis, & popularibus prouincia suscepta est sua quisque ratione complectendi (quibus laboribus, quibus ærumnis, Deus ipse testis) non solum è paginis vetustate corrosis, & absumptis, sed etiam è lapidum, æramentorum, aliorumque persimilium fragmentis, quęcunque licuit de progenitoribus. Ita alius de Patria, alius de Instituto volumina in lucem quàm commodissimè protulit. Huic tam egregio numero (Deo sint laudes) liceat nos quoq; adiungere. Quòd aiunt, Montoliuetensem Congregationem viris eximijs caruisse, propterea non prodeundum, in angulo consedendum, qua fuimus apud Laicos, apud alios, opinione contentis, respondeo ea in re multos non leuiter peccare. Peccant autem, si minus hallucinor, cum supra æquum extertentur nihil expendentes Congregationis amplitudinem, natalia, disciplinam, aliaque quæ admirationem tollant, & ruborem. Inter Ordinem, & Congregationem virorum Religione antestantium plurimùm interesse mihi videtur. Ordinem dixerimus Conuentum, qui hominem habuerit, à quo singularem vitæ formam didicerit, Congregationem verò illum, qui auctorem re vera habuerit, nullam tamen ab eo vitæ rationem acceperit, sed aliam, ex quam sanctissimus aliquis vir instituerit, seuerioris, quàm antea nemo excoluerit, obseruantiæ consilio. Nos itaque, vt in alijs exempla reti-

ceam,

ceam, Monachi sumus, non Ordinis Montis Oliueti (si propriè loquendum est) sed Ordinis S. Benedicti, & Congregationis M. Oliueti. Meremur enim sub instituto Benedictino, quod à B. P. Bernardo Ptolomæó, siue, vt melius dicam, à Beatissima Virgine, præcipuis quibusdã cultus victusque, & aliorum id genus, quibus à cæteris dignoscimur, decretis propositum est. Non igitur Oliuetani cum Franciscanis, Dominicanis, alijsque conferendi, neque idcirco, ab his longè dispares delitescant oportet ignominiæ gratia, cum nullus Ordo iure optimo comparetur Oliuetanæ Congregationi, quæ sodalibus, vel Cœnobijs enumeratis, plurimùm vniuersa minus patet, quàm vna sæpius illorum Prouincia. Ordo Ordini, non Ordo æquiparandus Congregationi. Si enim Ordinem præposueris, Benedictinúm opponemus, cuius quidem gloria tanta est, vt ex his, qui sunt, vel esse possunt in Christiana Rep. Ordinibus concedat nemini. Quod si Congregationem nostram, & de reliquis nonnullas, quæ restitutiones Ordinum sunt, ad trutinam reuocemus, adeo leuis nõ apparebit, vt singulas pondere non exæquet. Præterea memoria repetendum est, quod paulo ante monuimus, Oliuetanam familiam non ea sæpius antiquitate illustrem, qua quæuis alia inclarescit, quam laudibus cumulatam anteferunt. Id tamen sciendum in primis non modo nostris, sed etiam cæteris, vnde ortum duxerint, quamque vitæ conditionem susceperint Oliuetani. Quis nesciat à Beatis nostris progenitoribus in Eremo institutos, eaque solitudine delectatos, Vrbium celebritate euitata in montibus, in syluis, quà nullus popularium strepitus, nulla consuetudo domicilia collocasse? Pleraque Cœnobia testantur, quæ hodie possidemus. Nihil vnquam (vt verè dicam) agebatur, de cognoscenda Philosophia, & Theologia, cuius altissima dogmata Gymnasijs circumsonant, de populis sacra concione excitandis, de Christianis præceptionibus ex superiori loco interpretandis, de præstando Principibus, cuiuscunque fuerit disciplinæ, obsequio, eorumque negocijs conficiendis, de augendis denique vario, eoque laudabili vndecunque artificio, locis, opibus, & dignitate Congregationis, sed de colenda solitudine, & simplicitate, de legibus summa cum asperitate retinendis, de templo ad Celitum laudes frequentissimè celebrando. Ex eo primæuos nostræ huius familiæ parentes Eremicolas potius, quam Monachos appellaueris. Optimè docet id vnum, quod è tot Monasterijs abierint, quorum initio huius voluminis indicem habes, ignorata causa. Nonnulla quidem legimus relicta, quod vitæ Monasticæ exigendæ non minimùm officerent. Non loquor de censibus, quos populares detulerunt, neglectis, non quæsitis, quod in certissimis habeo cum Pusterlijs euenisse Bedagij. Proceres illos fundatores, lati fundium præterea assignaturos nostri dehortantur, sibi iam assignata sufficere. Cur igitur admiremur, non est, quod tam pauca, eaq; illustria maiorum nostrorum monumenta obtineamus, cùm modestè, & simpliciter victitauerint nihil aliud, quàm de re diuina laborantes. Nec quia annum iam sexagesimum asperitas illa, studijs literarum inductis,

tan-

tantillum delinita, nihil tamen optimis illis Patribus vitio vertam, ſed omnia laudi, cum, quicquid habemus, nobis acquiſiuerint illi, quos recentiores honeſtiſſimè æmulantur, cum literis præterea, vel publicis, vel priuatis acquiſita cuſtodiant honorificentiſſimè. Prorſus, quia cœtus Oliuetanus ab ijs quàm longiſſimè ſemper abfuit, ad quæ quamplures alij adſpirare videntur, mirum non eſt, quod ille ab his multis in rebus ſuperetur. Equidem nolim quiſpiam ſiue è noſtris, ſiue è popularibus dubitet Familiam Oliuetanam complures habuiſſe memoria dignos, & honeſtate morum, & cognitione rerum. Vnde autem exiſtimemus aſſecutam in Italia tantum, vt nihil concedat alijs; quæ cum ipſa in lucem prodierint? Et verò præter multa, quæ ſuis locis perleges, Præſulum, & Principum Cœnobia deſerentium teſtimonia, ex quibus planiſſimum videtur, quàm ſanctè vixerint maiores noſtri, duo ſunt mihi præterea non contemnenda ſodalium noſtrorum, Fratris Andreæ Volaterrani viri pietate excellentis, qui vitam emiſit (annus eſt fermè centeſimus, & quinquageſimus) Beati Hieronymi de Corſica, & F. Antonij Bargenſis, qui annum ferè ante ducenteſimum opuſcula quædam edidit, quibus pauca nonnulla inuenies de origine, & progreſſu noſtræ Congregationis. Sunt apud me in membranis, & fortaſſe Autographica. Andreas in exordio Hiſtoriæ B. Hieronymi hæc præloquitur. *Iam pridem rogaſti me F. Iuliane chariſſime, vt vitam B. Hieronymi conterranei tui, & Monachi noſtri latinam facerem, quò tanti Viri ad poſterorum eruditionem aliquid extaret monumenti, exoſus* (quantum coniicio) *veteratam ſuperioribus ſæculis in noſtra Religione conſuetudinem, qua Virtutes magnam fecere iacturam, dum clariſſimorum virorum, qui in noſtra hac Oliuetana Religione innumerabiles prope fuere, nullus memoriam literis demandauit. Renuebam &c.* Antonius opuſculu in de rebus Oliuetanis inſcribens Ioanni de Marcha noua his verbis vtitur. *Nam quæ ſcripſimus, partem ex archiuijs Montis Oliueti excepimus, partem ab antiquis audiuimus Patribus, alia oculis noſtris perſpeximus. Et quidem ſi vita nobis comes fuerit, alio in libro viros, quos Ordo noſter vegetauit enarrabimus illuſtres, & miracula ab ipſis facta, atque libros, quos ſagaciter ediderunt. Vale feliciter.* Fidem fortaſſe præſtitit. Quid autem, ſi eius, aliorumque vigiliæ, & labores ætatem noſtram non viderint? ſi alij nullam temporis partem precationibus cæteriſque perpetuis Monaſticæ vitæ officijs ſubducere volentes, ſiue alia cauſa permoti, vel prohibiti res ſuas, ſuorumque maiorum tradere literis, vel non voluerunt, vel non potuerunt? Neque ideo talentum nobis à Domino erogatum defodiendum fuit, neque hæc Hiſtoria, ita dixerim perdenda. Perderetur autem non impreſſa, non euulgata. Dicimus ad hæc eam tanta rerum memorabilium inopia haud quaquam premi, vt præſentibus, poſteriſque Oliuetanis nullam allatura ſit dignitatem, & delectationem. Exploratiſſimum enim, quæ ſcripſimus, noua omnia, & nuper in lucem prolata. Habent religioſiſſimum quinimo miraculo plenum per B. Bernardum, ſocioſque collocatum à Beatiſsima Virgine Congregationis fundamentum, omniumque Præſidum Generalium ex

Ordine successionem cum ijs, quæ quisque consecutus est, Monasterijs. De Monachis etiam sermo erit, qui è Cœnobijs nostris ad varia munera sublati sunt, ad Commendationem Hospitiorum, aliorumque locorum Præfecturas, ad Regia obsequia, ad Episcopatus, ad Purpuram; Patres aliquot commemorabimus, quos superiora ferè secula ignorarunt. Præcipue Benedictinos Beatos, siue Sanctos quatuor, antiquissimis tabulis adhibitis, adijciemus, de quibus neminem ex eadem disciplina Historicum mentionem iniecisse credimus. Cum verò ad singula Monasteria gradum fecerimus, maximè fundationes, iurisdictiones sacras, & temporarias, Abbatias, & Aedes ex eis dependentes, Sanctorum Corpora, & Reliquias, quas adseruant; &, quæ maximè illustria conspiciuntur, enumerabimus. Malè ne, an bene hisce laboribus de Congregatione meritus sim, verum à posteris potius, quàm à recentibus expecto iudicium. Sunt qui existimant, dicuntque, hac me Historia, cum nostram, de qua paulo ante, paupertatem, tum vitia nostra vulgaturum, cum aliquid interdum enarrem turpe, & indecorum, vti de transfugo illo, qui sodalitatem Montoliuetensem criminatus est apud Pontificem, à quo Visitator Apostolicus delegatus est, & de dissidijs, quæ anno partæ salutis 1590. paribus in summo Abbate eligendo suffragijs exorta sunt. Ea porrò spes est, qui Historiæ leges cognouerit, non accusaturum, quippe qui sanè intelligat, Historiam rei quemadmodum gesta est, veram, solidamque narrationem esse debere (debita tamen seruata moderatione, ieiunitate, & silentio, cum satis nimia fœditas appareat) non orationem, vt aiunt, in causa Demonstratiua, non Panegyricum, eo magis, quòd aliquando damnemus aliquem necesse est, vt eius bonitas eluceat, quem illius nequitia, quod in transfugo, & desertore factum est, exagitauerit. Disceptatum autem inter nostros diu est, Italicam ne, an Latinam demitterem. Latinam exoptabant eruditi. Hos audiui, & quia sermo latinus dignior, & grauior, & quia Italicus quo vtebar humilior nonnullis, vel huius scientiæ imperitis, vel non cogitantibus, Historicæ dictionis genus, non sublime, & inflatum, sed mediocre: & si magnificum esse debeat, huius Historiæ argumentum varium, & concisum, & denique submissum, in quo nulla regiones, prælia, aliaque describendi, aut Conciones ad Eloquentiæ ostentationem inserendi occasio est, sublimitatem, & tumiditatem illam omnino reijceret. Cognoscente igitur, & expoliente (laudo non immerentem) Octauio Lancelloto fratre, & publico humaniorum literarum in hoc Augusto Gymnasio interprete, quem si propinquitas sanguinis abesset multis laudibus exornaturus essem, fecimus Latinam. Habes. Lector præsertim Oliuetane, obsecro te, animo, vt veste, candidus sis. Si sumpseris in manus, caueas improbes, caue negligas, nisi egregia aliqua ratione instructus. Etenim profiteor, nihil cum leuitate scriptum, neque magna chartarum congerie diuitem, quibus ea omnia continentur, quæ hinc atque inde, & maximè ex Tabularijs excepta sunt. Præsidio illarum, dum vita est, quo Historicas hasce

vigi-

vigilias à maleuolis, & obtre&atoribus defendam, me habiturum spe-ro. Neque crediderіs, temere, nulloque clarissimorum virorum consilio editas. Inde hucusque protracta editio. Verùm, quia homines sumus, omnes facilè offendimus. Vide, te in meo iudicio fortasse peccaturum. Si quid deprehenderis erratum, fraterna, qua debes, charitate, corripito. Perpetua, si vixero, erit gratia. Nihil exardescam. Monitum peramanter accipiam, & vehementer cupiam, te laboribus, vigilijsque, quæ meas hasce dignitate, & vtilitate antecedant, verum Congregationis Oliuetanæ filium prædicari. Vale.

Non inlustè petere videmur, vt si quis erit qui inciderit in hæc, si leget, perlegat. Lact. Firmian. in procem. lib. 5.

Si quid in hos (Lector) placet, assignare memento
Id Domino. Quicquid displicet, hocce mihi. Vualafradius.

Si quis autem his contradicere voluerit, non coram pueris garriat, sed scribat, et scripturã proponat in publico, vt ab intelligentibus diiudicari possit, quid verũ sit, & quod erroneũ est, auctoritate veritatis confutetur. D. Tho. opusc. 13. c. 16.

ABBATES GENERALES
MONTIS OLIVETI.

INDICIS ABBATUM GENERALIUM FINIS.

MONASTERIA OLIVETANA
ORDINE ALPHABETICO.

Quar-

Indicis Monasteriorum Finis.

Monasteria, ex quibus alia tenuimus, & deinde (qualis qualis causa fuerit) deseruimus, alia verò incertum est an posséderimus; varia tamen de ipsis loquuntur diplomata, scriptaque probatissima in tabularijs.



INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

c

D

E

F

L

M

Maria

R

S

B.F.Spe-

Indicis Rerum Notabilium Finis.



HISTORIÆ OLIVETANÆ.

D. SECVNDI LANCELLOTTI Perusini Abbatis Oliuetani.

LIBER PRIMVS.



On potui satis non mirari de Congregationis Oliuetanæ, cùm minimè omnium sit vetustissima, origine, & primordio grauissimos viros insigniter hallucinatos. Bartholomæus Cassaneus, Lucidus, Genebrardus & Panuinius, annum à restituta salute supra millesimum trecentesimum circiter septuagesimum institutam scripserunt. Hos pariter non rectè sequitur Cardinalis Bellarminius in Chronologia. Sed Polydorus Virgilius, & Raphael Volaterranus, quem Leander Albertus affert, vlterius progrediuntur, & anno 1407. à Bernardo Ptolomęo conditam affirmant. Ita alij aliter asseruerunt: quanta autem cum veritatis iniuria, ex hac nostra Historia per sese vnusquisq; prospiciet. Attamen excusandi, qui nullum in ea re ducem consequi potuerunt, cum ante nos nihil prope de Oliuetanis textũ, nihil certè emissum sit. Anno igitur 1300. vel paulò post, Senis, quæ apud Etruscos clarissima, & antiquissima Vrbs est, hominum omni virtutum genere, & præsertim sanctitate illustrium Parens fœcundissima, primarius ciuis nomine Ioannes agebat honestissimo loco, & nobilissima Ptolomęorum familia, Patre Minogenitus. Adolescens (licet equestri dignitate exornatus) literis, & præcipue iuri Cęsareo operam nauat egregiam, tantùmque procedit, vt Doctoratus lauream breuiter assequatur. Repugnanti sedes constituitur, suæ facultatis interpretandæ prouincia demandatur, frequentissimis auditoribus Leges explanat, de-

Variæ sententiæ de ortu Montoliuetensium.

Verior exponitur.

Ioannes Ptolomęus Senensis, qui postea B. Bernardus, legitus studet, & lauream adipiscitur.

lectatione pariter, atque vtilitate percepta. Legibus humanis operæ tantum impendit, vt animo sacræ non excidant, præcepta Decalogi minus negligat, rebusque suis ita caueat, vt Cœnobitam potius, quàm Equitem, quam Iurisperitum appellaueris. Fuit in primis Ioannes Confraternitati, vt vocant, vel sodalitio sub Deiparæ insignibus excitato celeberrimo Xenodochio de Scala Senensi penitus subiecto, cum nobilissimis ciuibus adscriptus. Inde sanctissimi viri, & veterum restitutores, & nouorum ordinum conditores existunt. In his S. Bernardinus Lignipedum vulgò de obseruātia Franciscanorum instaurator, B. Ioannes Columbinus Iesuatorum Auctor, Stephanus Maconius Carthusianorum propagator. Ad hoc Oratorium pro legibus cum socijs permultis sępius in hebdomada se recipit Ioannes; sæpius etiam in anno cibo abstinet, vigilias ducit, flagris sese operit, peccatorum sordes expiat, Sacrosancto Christi corpore pascitur pro solemni piæ illius Societatis consuetudine. Nunquam referam in rerum humanarum quicquam non modo suscipienda, sed etiam altius retinenda fęditate, quàm cautus, quàm prudens fuerit: Socij quidem incredibili admiratione obstupescunt, hominem maximè venerantur, qui quò magis ad perfectam Christianæ vitæ disciplinam ascendit, eò magis animo demittitur, sese inter ceteros sordidissimum, & indignissimum existimans. Mutua profectò est Ioannis, sociorumque beneuolentia; Duo tamen consilijs, studijque, quo socius tenebatur, æmulatores diligentissimi, & arcto necessitudinis vinculo coniunctissimi, in oculis esse videntur. Sunt autem Patritius Francisci Patritij, & Ambrosius Nini Piccolominei Senensis ferè nobilitatis Princeps, in vrbanis, popularibusque negocijs sapientissimi. Patritius compluribus annis in negociatione collocatis, varijsque commercijs occupatus, mercator egregius factus est; Cognita demum animo suorum detrimentum potius, quàm vtilitatem afferentium laborum inanitate, ijs omnibus, quibus donari in hac vita potuit, cumulatissime expletus humana quæque, eaque potissimum, quibus eò vsque seruierat, proterere cupit. Domum igitur reuersus vtilioribus negocijs sese dedere, preciosissimas Cęlitum opes conquirere. Ambrosius domesticis commoditatibus, & delicijs educatus mercatorios labores nunquam cogitauit, facultatum, & prouentuum incrementa meditatus non est, sed suauissimum domi suæ ocium transigebat. Ioannis, Patritij, Ambrosij vna mens fuit, vna voluntas, animus vnus ad diuinæ legis custodiam intentissimus peccatorū veniam à Deo frequentibus, & copiosis eleemosynis egentibus distributis promerentur. Piorum operum varietate bona illa fouent consilia, eorumque mentibus adolescentiæ (laudabile videntibus exemplum) alunt, nutriuntque: Ioannes potissimum artium non modo humanarum, sed etiam cœlestium Doctor eximius de animarum salute, æternæque felicitatis comparatione cum illis sermonem confert. Attamen altiorem perfectionis gradum ambientibus, non facile videtur intelligi, quà ingrediendum. Simplices quidem sunt in obsequio di-

Sodalitiū Senense clarissimū

Varia exercet pietatis Officia.

Patritius, & Ambrosius Socij Ioānis, qui fuerint.

uino

uino infantes, bona tamen indoles, proficiendique cupiditate flagrantes, ad magna quidem & præclara diuinitus constituti, puerilibus tamen, humanisque voluptatibus inhærentes, curisque familiaribus impediti consilia diuina, quidque de ipsis statuerint minimè assequuntur, donec grauissima Ioannes calamitate perculsus cum socijs, quænam ad salutem via suscipienda sit, edocetur. Igitur aliquando interpretis munere suo more fungenti per quam difficilis, & aspera materia obuia est auditoribus exponenda, quare diem, quo publica disputatio habeatur, quodque difficultatem faciat, ne vllus dubitationi locus relinquatur, & absoluta veritas eliciatur, summo studio examinetur, constituit. Omnes propterea ad maiorem, quam consueuerunt in studio diligentiam, exhortatur. Ipse verò vltimæ quidem explanationis cupidissimus communis, eique singularis Præsidis, & Patronæ Virginis Deiparæ ea in re auxilium petit, summisque precibus rogat, vt perspicacitatem impetret, qua suis auditoribus, quos filiorum loco vnicè diligit, ignorationis tenebras illustret. Præscripta verò concertationis die appetente, Ioannes grauiter oculo laborare. Eo morbo magnopere contristatur, & veritus auditoribus ne omnino fidem præstet, protinus à superis valetudinem deprecatur. Tantum abest, vt impetret vt potius alter oculus summopere excrucietur, Inde morbus ita eualescit, vt penitus luce careat, plane cęcutiat. Factus igitur alter Thobias, quo minor exteriorum prospectus, & occupatio, se ipsum colligens eò penitiora contuetur, & in contemplatione cęleste lumen, quæq. corporeis oculis nunquam visa sunt, facilius adipiscitur. Id quod etiam gentium Doctori Paulo contigit nostro iurisconsulto corporea lumina ad tempus extincta, vt altissimis ac nobilissimis rebus spiritalia semper recludat. Rebus humanis nuncium remittere, & postremum dicere salutem statuit veterem auersatus, nouamque vitæ rationem, cuius Ideam, vt ita dicam, & exemplar in Euangelio Christus exhibuit, secutus. Deo, Virginique Matri, quam, quod alibi dictum est, singulari pietate veneratur, votum nuncupat, si pristinæ oculorum sanitati restituatur ab hominum consortio longissime recessurũ, durissima vestimenta suscepturum, quodq. vitæ supererat, Deo consecraturũ. Ioãnes cęlitibus vix hæc omnia pollicitus diuinæ vim potentiæ manifestissimè dep̄rehendit, expertusq; est; quandoquidem omni se oculorum cruciamento liberum sensit, vt nihil antea passus videretur. Ita factum scribit Auctor Chronici, quod manu scriptum in M. Olii ueto maximo adseruatur, vnde nihil aliud inuestigantes, qui, vel manu sua contextis, vel typographorum artificio diuulgatis operibus de Oliuetanæ Congregationis Natalibus, quomodocumque meminerunt, excipiunt. Ita hucusque constantissimè crediderunt, prædicto Auctori perpetuam fidem in tanta scribentium inopia adhibentes, Ioannem nimirum, qui postea, quod exponetur, Bernardi nomen accepit, Institutorem luminibus orbatum, vti supra narratum est, aspectum mirabiliter recuperasse. Eadem & mihi fides est: significandum tamen, morbum haud

Ioannes quæstionẽ studiose examinãdam propo nit Auditoribus.

Fit cęcus vtroque oculo.

Vouet sacrum virginus.

Redditur à Cęlo visus oculorum.

Ioannes nunquam boni visus est oculis.

quaquàm penitus depulsum, mihi enim notissimum est eum dum vita fuit ex oculis cōtinenter laborasse, adeo vt eo incommodo, quãuis multos annos, vt docebimus institutæ ab ipso familiæ rector maximus extiterit, sacerdotio tamen initiatus non sit, ad minores ordines tantummodo prouectus? Res quidem ante hac Oliuetano per obscura, & suo loco afferetur. In præsentia dictum sit Ioannem, haud re vera omnino, sed partim duntaxat incommoda oculorum valetudine liberatum, aut, cum cōualuerit, iterum excruciatum. Vt vt sit, de recuperato luminum aspectu Ioannes debitis Deo gratijs persolutis, auditoribus Leges more suo interpretaturus ad Gymnasium accessit; In Cathedram ascendit; propositæ difficultatis nodo non proposito, non exposito, suæque facultatis argumento non pertractato elegantius, & solito efficacius religionis studio permotus, quid euenerit, quidque Deus admiratione dignum in se ipso præstiterit, ordine commemorat. De rerum humanarum contemptu disertissimè prælocutus ea tandem clausula vtitur, se eadem, qua percussus manu subleuatum, Spiritui sancto euocanti nec posse, nec velle obsistere; Alteri quidem Doctori aures, & operam comparent, cum ipse solitudinem, & recessum plane meditetur salute auditoribus impertita, inexpectata illa oratione præ tristitia lacrymantibus aliò pedem attulit, nonnullis præcipue consequentibus, qui ab eius latere distrahi nunquam poterant, quibus haud credibile videbatur amantissimi Doctoris subitum consilium. Ille tandem moræ impatiens, vt humanis quibusq. curis animum expediret domesticis rebus constitutis strenui, & tanquam prouocati, non secularis quidem, sed cęlestis equitis ritu Deo inseruiendi firmo proposito communitus ad solitudinis aciem instruitur, vt teterrimis hostibus sacro prælio superatis admiratione dignam ad superos viam faceret; prius tamen Patritium, & Ambrosium familiares admonuit, qui Ioannis voluntate cognita nihil hæsitantes ingenuè respondent se quemadmodum in humana consuetudine coniunctissimi, ita in salutis itinere, quod in posterum suscipiebat comites fore paratissimos. Deliberantibus igitur quò nam, vt rerum cęlestium contemplationi operam intenderent, & virtutum, ac spiritalis perfectionis fastigium assequerentur, ex sententia secederent, locus occurrit passuum quindecim millia à Senis disiunctum nomine Accona, eiusdem Ioannis possessio ducentorum stariorum. Concauæ, altissimæque valles circumsepiunt, horribiles anfractus, rupes præruptæ, saltus densissimi. Aditus vnus quidem, sed angustus. Mons Acconæ dicitur, non altitudine, non eminentia, sed profunditate, quibus possessionem vndique circumscribentibus editior apparet, montisque speciem exhibet. Nam humilis re vera, & demissus est, & rupium, aut collium celsitate examinata, illius præsertim, qui Clusurium sustinet, altissimis vtrobique Foueis circumsedentibus, Accona Vallis potius, quam montis appellationem postulat. In adeo sepositum, adeòque remotam sedem, quod maxime in optatis est, confici posse arbitrantur ab omni strepitu, ac populari perturba-

In Gymnasio sibi à Deo prædicat data beneficia.

Accona, siue Mons Oliuetus describitur, quò à Ioanne, socijsq. secedunt.

turba-

turbatione recedentes. Anno igitur post Christum natum 1313. cum dies voto persoluendo constituta aduenerit, cum Patritio, cum Ambrosio Senis Ioannes egreditur, & Accoram feris forsitan quidem, eo tempore vix habitabilem, in Orationis domum, in Angelicorum hominum domicilium inde breui conuertendam proficiscitur. Stat in saltibus, montisque confinijs argillacea, siue lutea casula agello circumiecto culturam patiente. Oratorium hodie S. Scholasticæ sacrum fuisse putant. Eò habitatum secedunt. Summa vestium asperitas, vitæ durities incredibilis, præclara famis, sitis, frigoris, caloris, & cęterorum incommodorum tolerantia. Precibus non solum, abstinentijs, alijsque pijs operibus, sed etiam vulgaribus artificijs distinentur, vt suis laboribus victum, cultumque quæritent. In ædiculam cretaceam suis manibus ædificatam pręces horarias recitaturi conueniunt, ibique quam religiosissimè psallunt, & Diuinæ præconia maiestati decantant. Ea quidem nouis Euangelicæ disciplinæ sectatoribus viuendi consuetudo, nullo Duce, quam Spiritu sancto. Remotissimę sedis obscuritas, & recessus, admirabilem, & religiosam integerrimorum patrum conuersionem celare non potuit, propterea quia eorum sanctitatis fama finitima primum, inde remotiora quæque peruadente nobiles permulti, sapientes & eruditi cum Senis, tum aliunde ad Eremum pertrahuntur, vbi habitis à Ioanne concionibus ad pietatis studium inflammati, eius sese fidei, ac disciplinæ permittunt, & difficillimum vitæ genus amplexati ciuium vestigia in arctissima salutis via persequi malunt, quam amplissimas, & planissimas popularis vitæ semitas obambulare. Quamobrem sociorum numerũ ita augebatur, vt exiguum illud tugurium potius, quàm domicilium plures non cogeret. Attamen illi solitudinis cupidine æstuantes, & per se quisque tempus deprecationibus, pœnisque voluntarijs transigendi cupidissimus alibi, siue in antris topho excauatis, siue in alijs specubus silentium, & quietem conquęrebant. Ioannes autem quo more vtebatur saltibus aliquandiu obitis procumbens Dominum orabat, vt sua, sociorumque obsequia libentissimè acciperet. In precatione procedenti cęlumque suspicienti scala, quòd videbatur, argentea sese obtulit, tantæque longitudinis, vt ex eo loco, quo preces effundebat, ad cęlum vsque pertingeret. Fastigium tenebat Christus à dextris, Virgo Mater à sinistris stolis candidissimis exornati. Virgini pectus sidere coruscabat, cuius mira procul dubio, & lux, & species; per gradus ingens conspiciebatur Angelorum, & Monachorum, quos candidæ vestes operiebant, multitudo. Angeli descendebant, & Monachos manu prehensos, dum scalæ verticem tenerent, benignè admodum adiuuabant, vbi Christus, & Genitrix cęlitum numero adscribebant. Omnia non mediocri cum admiratione B. Pater contemplatus, tantique prospectus aliquem certè socium participem cupiens, quos proxime orationibus vacare nouit, festinus euocat. Moniti Patrem adeunt, digni sunt, vt diuino illo spectaculo, anteaquam euanescat, breui temporis spatio delectentur. Visionis in præsentia myste-

Ioãnes in Accona summam vitæ asperitatẽ cum sodalibus inijt.

Alij ad eamdẽ vitæ rationẽ vndiq. cõueniunt.

Ioanni orãti argentea e cælo scala obijcitur.

Socios ad visionẽ inuitat.

mysterium homo Dei non percipit, donec Cœlorum Regina per se ipsa non enunciet, cum non multos post annos, vt referetur, ipsum cum sodalibus candidas vestes adhibere iussit in cōgregatione, quibus suo nomine auspicio, & patrocinio vterentur. Multo deinde clarius patuit visionis interpretatio, cum à Ioannis interitu altera æde, quam primæui Patres extruxerant, quod inferius enarrabitur dimissa, permultis annis exactis, maxima illa, & perhonorifica, quam hodie conspicimus, Virgini excitata; vbi enim scalæ species visa, ibi Odęum consecratum est, Monachi frequentes nocturnam, diurnamque Psalmodiam exercent, & varias precationes effundunt, quibus eam cęlestium sedem re ipsa aliquando conscensuri, animo sępius conscendant, Angelique, de quibus Vates Regius, Principes coniuncti psallentibus, oblatis Deo precibus opitulentur. Gratissimo aspectu Ioannes magnopere lętatus est, cum videretur, & ipsi, & cęteris perpaucis æternæ retributionis, quam Deus suæ conuersioni in Cœlis compararet, specimen datum. Ea propter commilitones continenter hortatus est, incepta prosequantur, & habito identidem virtutum progressu in Religiosis operibus ad extremum vsque fatum perseuerent. Non ignarus autem exemplo potius, quam verbis homines ad benefacta commoueri, in perfectionis itinere multo magis exarsit, eiusque merita eò deuenerunt celsitudinis, vt nullis præscriptis legibus socijs spirans bene viuendi forma factus sit, & facundū, vt ita dicam speculum, quod in omnibus operibus intueretur. Illo sæculo, quod affirmant, & ex codice quodam, quem tunc temporis edidit Aluarus Pelagius Episcopus Hispaniensis de planctu Ecclesiæ, atque è Latinis Frācisci Petrarchæ lucubrationibus apertissime excipitur, Religiosorum omnium, & præcipue Italorum disciplina adeo corruerat, vt, cum à Carthusianis discessum sit, nulla Claustralium species extiterit, quæ traditas à conditoribus sanctiones seuerius custodiret. Id quod fidei proximum est, etenim complures ante annos Roma summus Ecclesiæ Pastor aberat, sede apud Auenionenses constituta. Hinc miserrimæ ouiculæ voracissimis luporum faucibus patebant. Italiam vniuersam vbique incommoda, seditiones, bella denique infeliciter excruciabant. Cerneres passim gemituum, & lacrymarum materiem, hominum clades, sacrarum opum expilationes, regulum quemque, vel tyrannum temere, & effrenatè alterum deprimere, imperium proferre, suamq. amplitudinem alienis ruinis excitare. Quid de præsulibus Ecclesiarum dicamus? Ambitioni manus dederant, qua ad mutua certamina extimularentur, vnde insignia maleficia, & schismata in Ecclesia Romana oriebantur, fouebātur, ita vt calamitosis illis temporibus ex animis hominum Dei timore exturbato, bene, sanctèq. viuendi ratio omnino perijsse videretur, cū diuinitus factum est, vt Ioannes noster perinde ac lilium, aut rosa inter dumos existat, surgatq. qui gratum mundo spectaculum exhibeat, & suauem sanctitatis odorem diffundat. Siquidē supremi numinis gratia in eo quotidie magis redundante multi spiritu diuino

Vbi nunc Odęū est, Scala apparuit.

Sæculū in Ecclesia vniuersa miserrimum.

diuino illustrati, eiusq. virtutum circumuolitante fama compulsi Acconam contendebant tanti Patris disciplinam subituri. Interea tamen non sedet communis hominum aduersarius consueto liuore concitatus, illorum salutis, qui Ioannem imitantur tantæ iniuriæ impatiens mendacijs, proprijsque commentis piorum sodalium quietem interturbare, sanctumq. consilium interrumpere attentauit. Quidam igitur Religiosus, ad quem hæresis omnem suspicionem comprimere pertinebat audita Acconensium eremicolarum fama, rei veritate prius, eorumque vita inexplorata pro illo, quo fungebatur munere Ioannem 22. commonuit ad Acconam in Senensi nonnullos Eremiticum habitum ementitos per sanctitatis, & Religionis speciem nullis ab Ecclesia probatis legibus innixos à publico hominum consortio remotissimos æuum agitare specubus, nemoribusq. delitescentes. Propterea, vtpote hæresis nomine suspectos, & nouam aliquam factionem molientes ad veram fidem, sanctæq. matris Ecclesiæ obsequium reuocandos, vel, anteaquam maiori hominum frequentia Eremus celebretur, penitus extinguendos; celeriter denique impendenti & grauissimo periculo prospiciẽdum, pluribus quotidie conuersionis, & voluntariæ afflictationis titulo eò conuenientibus, habitum, vitæq. rationem suscepturis. Sapientissimus Pontifex fidem continuò monitori non adhibuit, neque graue quicquam in Eremitas consuluit, re diligentius non cognita. Literis Apostolicis eos Aunionem ad iudicium euocat, iussos ex ipsis nonnullos illò presentes accedere, qui rebus ab eo propositis satisfaciant. His non sine admiratione perlatis Ioannes Ecclesiæ filius obsequentissimus euestigio statuit Pontificis imperata facere. Verum, ne quos Christo pepererat, absens mœrore afficeret, nec alijs dæmonum iniurijs pertubarentur, eorum consilio, ex ipsis duos eligit, & corporis constitutione longissimæ viæ sustinendæ, & sacrarum literarum scientia, nec non dicendi facultate Pontifici de praua qualibet contra ipsos excogitata opinione dedocendo, deque intemerata fide & innocentia eorum omnium, qui sacræ illius solitudinis ambitu Sãctitatis studio continerentur, referendo aptissimos. Rebus ad profectionem necessarijs comparatis cæterorum precationibus salutem suam commendantes viam ingrediuntur Auenionensem. Vix abierant, cum Ioannes reliquis imperat, maiori, quam consueuerint, pietatis ardore in orationibus, in vigilijs, in ieiunijs, alijsque religiosæ mentis operibus persistant, vt Christus Dominus, eiusque Mater felicem negocio exitum intenderent, neu committerent, vt generis humani perpetuus hostis tanquam ferus aper vineam æterni patris industria recentissime consitam exterminaret. Id manifesto comperuit. Preces, Virgine deprecante, quæ quemadmodum institutura erat, ita etiam exorientem Congregationem defendit, obauditæ. Etenim Auenionem socij duo feliciter aduenientes, & Pontificem, data copia, adeuntes, de rebus ad fidem, vitæque genus attinentibus subtiliter interrogati tanta constantia, sapientia, & modestia respondent, suique institu-

Socij Acconẽses Factionis, & Hæreses Aueniones postulantur.

Aueniõnẽ euocãtur.

Ioãnes ad Põtificem duos è socijs maxime idoneos delegat.

tirationem ita reddunt, vt Pontifex eorum probitate, & religione insigniter oblectatus sit. Præsertim vestis humilitate, & paupertate perspecta, & firmissimo humana omnia contemnendi, Deoque sedulam operam deferendi cognito proposito, optime intelligit in illis veterum Sanctorum Patrum, Monachorumque sanctimoniam, reuiuiscere, summè veneratur, statuitque æuo progrediente, ex ipsis tanta cum integritate agentibus Ecclesiam commoda plurima excepturam. Eos dimissurus patria sic benignitate appellat. Cauendum maxime, filij, ne Sathan, qui vt Christi fideles in fraudem illiciat, in Angelum lucis sæpius conuertitur, vobis quasi pro vestro arbitrio viuentibus nullo Præside, nullaq. propria lege vtentibus ad vestram, eorumque, qui vestra exempla consectentur, perniciem, laqueum vllum intendat. Nos ideo de vestra salute solliciti accersitos libentissimè & vidimus, & audiuimus adeo, piæ, sanctæque disciplinæ, cuius maiorem quotidie progressum futurum certissima spes est, origine summopere gaudentes. Tamen ne quando Leo ille perpetuò rugiens, & Christianos deuoraturus circumiens teneras oues in Religionis pabulis adhuc Pastore, qui nostra ius auctoritate tueatur, carentes, inuentas dissipet, ac diuexet, remittendos duximus nostris cum literis ad Episcopum, ad cuius imperium vestra sedes pertinet, qui Acconensis Eremi curam suscipiat custodiendo, patrocinando. Acconam licet olim, quod & hodie, iure humano, ditio, agerque Senensis includeret, diuino tamē Arretino Episcopo subijciebatur, Nūc Pientinæ Diœcesi appositus est. Pientiam antea Corsinianum Pius II, ibi in lucem editus appellat, & episcopali dignitate nobilitat. Episcopus eo tempore Arretinis præerat Guido Petramalius vir præstantissimus, & auctoritate grauissimus. Vrbis enim dominationem consecutus fratribus dominis fato concedentibus sacra pariter, & humana potestate moderabatur. Inde Patria sæpius multa virtute hostes prohibuit, signis non raro collatis. Arces & castella diruit, præcipue Montem S. Sabini, Laterinum, aliaque. Vrbem egregie auxit mœnibus circundatis, eiusque imperium, Castris amplius triginta ædificatis. Ad hunc Episcopum Patres à Pontifice dimittuntur eius ferè sententiæ literas afferentes, eos cum socijs iam ditioni suæ vtique suppositis, præsertim gubernaturus accipiat, aliquam vitæ formam Ecclesiæ Catholicæ sensu approbatam constituat; ne patiatur, vt, quod antea, quamuis cum laude gesserint, suo propemodum victitent arbitratu; sed normam, ad quam sua omnia conforment, illis præscribat, tutique in salutis itinere progrediantur. Lectis ab Episcopo literis, suscepti Auenionem vsque itineris causam aperiunt; Tum ille, fratres, inquit, Pontifex planè audiendus, sed quia in re tam graui, quid mihi de vobis decernendum sit, nihil subuenit, maturius consulto opus est. Ad socios reuertimini, meisque verbis triduanam inediam denunciate. Obsecretur Deus, Sanctissimam suam voluntatem, quod vestris precibus equidem non despero daturum, vobis patefaciat. Post hæc iterum adeste. Acconam reuersi, quæcunque

Pōtifex benigne acceptos, & libēter auditos cum literis, & mandatis dimittit.

Guido Petramalius Episcopus, & Princeps Arretij.

Litera Pontificis per socios Ioānis ad Guidonē Episcopū.

Episcopus ieiunia Monachis indicit.

cunque à Deo beneficia perceperint, qua benignitate Pontifex exceperit, & Episcopus, quidque ab isto potissimum in mandatis habeant, fratribus indicant. Tanta superum pietate, & munificentia cętus omnis mirificè delectatur. Igitur maioris Religionis ardore conflagrantes, & vehementissima Ioannis Oratione, ne quæ diuinæ fidei dubitatio sit, multo magis confirmati iniunctis ab Episcopo inedijs & precationibus triduum exigunt. Ioannes in primis Virginem Deiparam Patronam summo studio deprecatur, vt optimum à Filio tantæ rei euentum obtineat. Interim Antistiti, data priuatis precibus opera, quodnam vitæ genus Eremicolis proponat, cogitanti, tota, quod iam diximus, Italia collapsum, & omnino prætermissum in mētem venit Benedictinum, ea spe ducto, Monasticum Institutum ad veterem seueritatem, & claritudinem eorum ministerio rursus excitandum; Triduo, quo inedia constituta est, exacto, per quietem Episcopo Cœlorum Regina adfuit Serenissima vultu: Nitida, & candida veste amicitur, & magna beatarum mentium frequentia deducitur. Diuinæ, inquit, Maiestati, mihique gratissimum accidit consilium, quo carissimos Acconæ famulos Benedictinis legibus deuincire cogitas. Aliquid tamen desidero longe gratissimum, ac præcipio, candido vestias habitu, vt pote quos in delicijs habitura sim, etenim decretum est, meis duntaxat auspicijs, Congregationem prouehere, meoque nomine appellare. Hic porrecta manu monticulos albos tres indicat in vnum coactos, oleæ ramusculo vtrinq. consurgente, recta Cruce purpurea medio monticulo infixa, radijs vndique, non secus atque auro collucentibus, his verbis. Hæc eis dato insignia: nam mea hæc Congregatio à Monte Olineto vocabitur. Somno excitatus Antistes, Diuinum esse negocium, non mediocri cum admiratione, intelligit, tantam Sanctissimę Virginis sollicitudinem animaduertens. Videt præterea, susceptum à se consilium non inutile, & Monasticæ restitutionis spe proposita, gaudio triumphabat, quòd tanto negocio Deus præfecerit, nascentis illius Ordinis precibus, & meritis apud eum gratiæ aliquid consecuturum. Postera luce sese Ioannes, Patritius, & Ambrosius Episcopo sistunt, quibus illico conspectis, & perhumaniter exceptis, Patres, inquit, Deo, Beatissimæque Virgini gratias agamus, eo quia, licet neminem fugiat eximia Dei erga illos, qui in eo confidant, clementia, & liberalitas, tamen dum & nos pro tenuitate etiam, atque etiam orabamus, per vestra ieiunia, & rogationes, præcipuum, idque satis illustre voluit exhibere argumentum, cum nocte pręterita miserationis Mater dormientem præsens consolata sit. Quæ omnia in somnis acceperat, ordine prodidit. Quibus auditis Deo gratias agere, lacrymas effundere. Ioannes præ ceteris gaudio propemodum solui, quod Virgo Domina non obscurè declarauerit, obsequium ab ipso præstitum & fuisse, & fore sibi acceptissimum. In præsidis arbitrium sese omnino cōferentes, dum eius iussu, candida vestimenta, aliaque ad celebritatem peragendam necessaria parabantur, Arretio in Sanctissi-

Maria Virgo sese offert Episcopo accersito, habitũ, & insignia Oliuetanorũ ostēdit.

Ioãnes cũ Patritio, et Ambrosio ad Episcopum.

nę Triadis societatem, quæ hodie intra Vrbem est, ègrediuntur. Con-
sodales perbenignè excipiunt, & hospitio, & conuiuio, pieque tractant,
dum èxoptata dies elucescat, qua Episcopus Deo, sanctissimæque Ge-
nitricis voluntatem exequatur. Annus erat à restituta salute 1319. à
1319. conuersione sextus, dies ante Cal. Apriles septimus, Hebdomadæ se-
cundus cum in eàdem Triadi Sacram Aedem Præsul cum Clero, & ma-
gna ciuium multitudine aduenit, & incruento celebriori cum pompa
peracto sacrificio, tribusque socijs, quod crediderim, cęlesti pabulo re-
creatis, Ioannem Arretinum (vti aiunt) Camaldulensem ex Monasterio
Abbatiæ de Saxo Benedictinæ in Arretino Proepiscopum iussit candi-
do cucullo, & monastico habitu, qui Benedictinæ disciplinæ professori-
bus imponitur, operire. Nouas vestes quàm religiosissimè induunt, &
sueto probationis anno renunciantes, neque spatium aliquod, siue tem-
poris beneficium à S. Benedicto, & iure Ecclesiastico permissum curan-
tes, nulla interposita mora, ante aram eiusdem templi, & coram eodem
Proepiscopo genibus solo fixis profitentur Vicario pro Antistite, &
successoribus, & Abbatis nomine Monasterium in Accona construen-
dum administraturi spondent, ætatem exacturos, sub Monasterij
Præside, pauperes, castosque in obseruatione Monastica perseuera-
turos, mores Benedictino instituto moderaturos. Huius quidem
professionis clarissimo argumento, qui ritus pro consuetudine est in-
dex Obedientiæ, manus suas manibus inserunt Proepiscopi Charitatis,
pacisque ab illo signum accipientes. Præterea, Antistite non refragāte,
Ioannes in posterū Bernardi nomē adsciuit, vt, quēadmodū veteris Ber-
nardi Clarauallensis conuersionem secutus est, eius quoq. glorioso no-
mine vocaretur. Patritius, & Ambrosius nihil immutarūt. His peractis,
Episcopus Benedictinæ legis codicem tradidit, & ad eam custodiendi,
mentisque candorem candidis circumdatis vestibus consentaneum
planè consequendum summa contentione exhortatus est, hæc addit,
Virgini quoque, Filij suo id ore enūcianti auscultemus necesse est; ideo
decernimus, Congregationem illam cęlesti, quod & vidistis, & cogno-
uistis, oraculo conditam, futuris perpetuò temporibus appelletis, Mo-
nachorū S. Mariæ M. Oliueti de Accona, eiusque insigne, quod ab ipsa
conditrice demonstratum, preferatis, tres nimirum monticulos niueos
eiusdem formæ simul compactos, quorum medius alijs impositus ma-
gis emineat, & purpureæ Crucis signum exhibeat, vtrinque demum vi-
rentis oleæ surculus exoriatur. Facta deinde potestas Monasterium eri-
gendi, cum delubro, cum Turri, campanis circūsonante in prædio Ac-
conensi in honorem Dei, ac Mariæ semper Virginis facultate etiam à
Parocho (S. Angeli à Luco Plebatus Plebis de Saltu, alibi, S. Angeli à Lu-
co de Clusuris.) Clusurino, cuius finibus Accona continetur, impetrata,
hisce conditionibus, Monasterium S. Mariæ M. Oliueti in Accona nun-
cupetur, omnibus fundis, & possessionibus, quibus eo loco fruantur, &
præcipuè ducentis illis terræ starijs, quæ diximus ad Bernardum perti-
nere,

Arretij ab Epo cādida Virginis vestimenta accipiunt. Seueriores Benedictina disciplinæ obseruantiā profitētur.

Ioānes anuēte Epo, Bernardi nomē assumit.

Multa ab Epo B. Bernardo, socijsq; conceduntur.

nere, & pariter prædio Patritio ad Melaninum in Senensi, quibus omnibus Monasterium perpetuo vtatur, penitus dotetur; Abbatis, non Laicorum vel Clericorum popularium imperio succumbat; ab omnibus vectigalibus, Decimis, & Collectis immunitate perfruatur; Bernardus, cæterique præsules Monasterij acceptum ab Episcopo habitum reliquis solitudinem inhabitantibus, alijsque, quos in posterum delectet sacris Oliuetanis initiari, liberè imponat; Abbas Monachorum, Oblatorum, & familiarium confessionibus aures præbeat; Alia demum consimilia beneficia, & priuilegia contulit, quę breuitatis gratia omittimus. Denique precatur, vt præsidem aliquem Acconam suo loco concedere, & aream Monasterio exædificando maximè idoneam, primariumque lapidem consecrare, & collocare iubeat. Id quod facturum pollicitus perbenignè dimittit. De his certissimum apud nostros scriptum hoc reperimus.

GVido miser. diuina Episcopus Aretinensis. Nobilibus & discretis viris Bernardo quond. Domini Mini de Ptolomæis, & Patritio quond. Francisci de Patritijs de Senis dilectis nobis salutem in Domino sempit. Potentia Dei ex alto progrediens eorum corda illustrat, quos elegit, & mentes eorum gratia superna induens ad opera Charitatis extollit eas quotidie in virtutes; & vt possint electi quietius in illius contemplatione persistere, qui elegit, Deo se dedicant, & sua exponunt, & exhibent seruitio Iesu Christi; vt in illis sic expositis, & collatis ædificentur Ecclesiæ, diuina celebrentur mysteria, & ipsum corpus Christi pro redemptione humani generis traditum passioni, orationibus institutis in altari per sacerdotes Catholicos immoletur. Sanè percepimus Bernarde, ac Patrici Dilecti nostri; quod in operibus Charitatis sic hactenus insudastis, sic in pœnitentiæ proposito laudabiliter perstitistis, quod diuina gratia inflammati poderia vestra de Acona & Melanino in præsentia, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Aretin. Deo cōtulistis & Virginis gloriosæ, ad cuius reuerentiā Monasterium in Acona cōstruatur, sub regula B. Benedicti, & obseruantia Monachali, & diuina in illo celebrentur mysteria ad laudem ipsorum, & animarum vestrarum, & Christianorum salutem fidelium, ac profectum. Postulantes humiliter, vt aliquibus discretis viris super dedicatione personarū vestrarum, & sociorū, quam hodie Deo & B. Maria matri eius sub præscripta Regula disposuistis facere in Monasterio supradicto, & super benedicendis vestibus albis, quas gestare intendistis, & super induendis ipsis iuxta morem solitum Monachorum, nec non super videndo in Acona, & ordinando locum ibidem construendo Monasterio magis aptum, & super infigendo in illo Crucem, benedictionem, siue orationem proferendo, ac per nos benedicendum lapidem primarium imponendo, vices nostras committere deberemus. Insuper exemptiones ipsius Monasterij, & alia in petitione vestra contenta, per priuilegium nostrum de assensu Capituli nostri concedere dignaremur. Nos autem considerantes vestræ merita probitatis, & quod ex transactis operibus dignæ laudis insignia reportatis, cōsiderātes quod ex dedicatione vestra, & erectione Monasterij Ecclesia Dei extollitur, augebitur cultus diuinus, ipsoque Christus, & eius Mater laudabi-

Guidoris Petram.alij Epi Aretini. Priuilegium.

tur multipliciter in cordis, & urgenis plurimorum petitionem vestram ex certa scientia duximus admittendam, & contenta in petitione ipsa de consensu praescripti Capituli ad hac praesentis, quanto plenius valeat approbamus, & per praesens Priuilegium concedimus, & largimur. Et vt petita per vos, & in petitione vestra contenta, continuè fidelibus plenius patefiant, & concessio nostra, & largitio petitorum omnibus clarius innotescat, mandamus ipsa praesenti priuilegio describenda. Committimus, enim vicē, & auctoritatem nostram Religioso, & discreto viro, Domino Iohanni Monacho Abbatiae de Sasso nostrae Diaec. nunc in Cathedrali Ecclesia nostra residenti ad altare in Ecclesia ipsa constructum per Cionem. . . . . . quod dedicationem quamvultis facere, vos praescripti Bernardus, Patritius, & Ambrosius Deo & B. Mariae de Oliueto de Acona, in Monasterio construendo ibidem sub reg. B. Benedicti & habitu & obseruantia monachali recipiat vice nostra, & albas vestes, quas gestare vultis benedicat, & induat illas vobis. Item committimus vicem, & auctoritatem nostram discreto viro presbytero Restauro Capellano Ecclesiae de Morello, & nunc apud domum Fraternitatis sanctae Trinitatis de Aretio commoranti, quòd vadat ad podere de Acona, & locum magis aptum Monasterio construendo in illo designet, crucem figat ibidem, benedicat illum cum oratione solita in his, & per benedicendum lapidem primarium ibi ponat. Concedimus insuper auctoritate huius priuilegij, & largimur de assensu Capituli supradicti, qd in praedicto loco de Acona nostrae Diaecesis sito in comitatu Senēsi in Parochia S. Angeli de Luco plebatu plebis de Saltu diaec. supradictae Monasterium erigatur cum Campanili, & campanis ad honorem virginis gloriosae sub regula beati Bened. & obseruantia monachali, & vocetur Monasterium S. Mariae de Olineto in Acona, prout extitit postulatum. Item quod locus, siue Monasterium ipsum per Abbatem duntaxat regatur & gubernetur in perpetuum, & nūquam per laicos, siue Clericos seculares, sed semper p Abbates & Monachos permāsuros ibidem in regula B. Benedicti seruetur, & obseruantia Monachalis vigeat in eodem. Item, vt Abbas, Monachi, Conuersi, & alij familiares, qui pro tempore fuerint in Monasterio ipso liberius, & quietius valeant Domino famulari, Monasterium ipsum liberum facimus, & exemptum ab omni solutione decimarum iure Cathedratico, dacijs, collectis, impostis, & alijs occurrentibus oneribus, & factionibus quibuscunque, & ab omni lege iurisdictionis, & diaecesani. Decernentes ac mandantes ipsos, seu Monasterium ipsum in praedictis, vel aliquo praedictorum nullo tempore aliqualiter molestandos. Confirmatione Abbatum dicti Monasterij, visitatione, ac confirmatione ipsius, & degentium in eodem nobis duntaxat nostrisque Catholicis successoribus reseruatis. Item, quod apud ipsum Monasterium sit & esse possit cimiterium, vbi, & in quo sepeliantur Abbates, Monachi, Conuersi, & familiares omnes Monasterij supradicti. Item, pro amplianda ipsius Monasterij libertate, quod Abbas nunc eligendus in ipso, & qui fuerit ibidem pro tempore per se vel alium, cui commiserit vices suas possit, & liceat sibi confessiones Monachorum, Conuersorum & familiarium omnium dicti Monasterij audire, & eis pro commissis imponere poenitentiam salutarem, corrigere, & absoluere ipsos omnes, & singulos prout fuerit decens esse. Item, quod Abbas, & Monaci Monasterij praefati possint in ipso Constitutiones facere, in ijs quae spectarent ad ipsum Mona-

sterium

sterium, quas viles, & exemptas prouiderint pro eodē. Item, quod Abbas, qui pro tempore fuerit in Monasterio supradicto possit, & liceat sibi confiteri sacerdoti, cui voluerit, & cuncta Sacramenta, & absolutionem percipere ab eodem, & ordines ab Episcopo Catholico, quem ad hoc duxerit eligendum, hoc est licitum sit, & possint Monaci, Conuersi & familiares, qui pro tempore fuerint in eodem de licentia tamen Abbatis Monasterij supradicti. Præmissa vero concessa & largita per nos & vnumquodque ipsorum valere volumus, & tenere sine iuris præiudicio alieni. Non enim per ipsa volumus, nec intendimus alicui præiudicium generari. Addentes, quod Abbas, Monachi, conuersi, & familiares Monasterij præfati, nec possint, nec debeant parochianos aliarum Ecclesiarum recipere ad diuina, vel eis ecclesiastica conferre sine licentia Rectoris expressa illius Ecclesiæ, de qua essent parochiani, qui vellent audire prædicta, vel ipsa recipere ab eisdem. In cuius rei testimonium præsens Priuilegium scribi mandauimus per Guadagnum Cameræ nostræ scribam, & nostri pendentis sigilli munimine insigniri. Datum, & actum in Ciuitate Aretij in sala Episcopalis Palatij sub anno Domini à natiuitate. MCCCXVIIII. Ind. 2. tempore S. Patris Domini Iohannis XXII. die lunæ mensis Martij, præsentibus Bertuldo Mascij de Petramala. Ego Guadagnus, &c.

VErùm antequam procedamus, satis mihi quidem faciendum per multis, quos non mediocris admiratio ceperit, quod Bernardum & socios in templo Trinitatis cādidis, & Monasticis vestibus coopertos docuerim, cum allatus sæpe Chronologus, alijque eum consequuti affirment, id in summa Æde Arretina hodie excisa, & extra vrbem constituta titulo, quòd aiunt, S. Martini accidisse. Testor me Chronologi antiquitatem, & prærogatiuam, cum Oliuetana solus conscripserit, multòq. magis Religionem & integritatem in religiosa, & non affectata oratione elucentem maximè venerari. Pluris tamen mihi, & cuiuis esse debent tabulæ scribæ manu probatissimæ, quam codex manuscriptus, qui scriptoris nomen, quòd in illo Chronico euenit, non præseferat. Itaque verè diximus non in Cathedrali, sed in templo societatis, quod de nouo habitu supra narrauimus omnino factum. Certissima fides est ex vetustissimis tabulis, quas in Tabulario M. Oliueti B. Bernardi opera ea de re conscriptas legi. Nam cum quamplura de rebus, apud Arretinos peractis publica instrumenta edita quidem, sed tamen amissa essent, & Bernardus, ne probationibus, tabulis, & testibus deficientibus posteritas canonicum suæ Congregationis exordium, & tam multas quas percensuimus circunstantias in dubium non falsò reuocaret, siue denegaret, vereretur anno Virginis parientis 1344. Venturinum Treguandensem Sindicum, & Procuratorem Monasterij M. Oliueti Viuiano Senensi Plebis S. Agathæ de Asciano Curioni, & Bosi Præsidis Arretini Vicegerenti exhibuit, vt, quod contigisset Aretij coram exposito, & facta capitum, siue articulorum distributione proposito etiam atque etiam rogaret, vt de illis à testibus cognosceret, tabulamq. perpetuò mansuram proferret. Testes examinandi, Bernardus Abbas Monasterij M. Oliueti,

Statuitur à Tabulis nō in Cathedrali Arretina, sed in téplo S. Trinitatis B. Bernardū, sociosq. cādida veste decoratos.

ti, Patritius, Donatus Canonicus Arretinus,& Landus Plebis S. Mariæ de Arretio,vt vocant,Cappellanus. Proepiſcopus ea de cauſa M.Oliuetum petijt. Bernardus de capitibus propoſitis interrogatus vera omnia non iniuratus affirmauit, de loco potiſſimum ita reſpondit. In loco fuſtigatorum S.Trinitatis poſito extra muros Ciuitatis Arretinę,prætereà de mandato Antiſtitis à Ioanne accepto monumentum à ſcriba Epiſcopali perſcriptum; de alijs omnibus,& alia edita monumenta, ſcribam tamen exeidiſſe. Denique capita omnia publico ſermone ſtabiliri, ità vt inficiari nemo poſſit. Eadem prorſus reliqui teſtes profitentur. Inde Proepiſcopus quæſtionem publica, vt aiunt, forma promulgandam curat,& Venturino tradit Procuratori. Hinc efficitur in æde Trinitatis, non alibi Bernardum Congregationis fundamenta collocaſſe. Ad hanc vſque memoriam non abſque præcipua veneratione Chriſti in crucem ſublati aſſeruatur effigies, ante quam prædictas cęremonias fama eſt, Arretinis inſpectantibus,exhibitas. Hucuſque inter ſocietatem,& Monaſterium S.Bernardi ſingularis,& antiqua,hodie tamen non nihil diſſociata familiaritas interceſſit. Quoties Oliuetanis ad publicas Rogationes progrediendum,Trinitarij ad templum Cathedrale deducebant,reducebant. Anniuerſarijs ſantiſſimæ Triadis, Bernardique celebritatibus mutua denunciatio. Sed Bernardum, & ſocios reuiſamus. De tam multis temporarijs & ſpiritualibus beneficijs gratiarum actionis officio perfuncti,Præſule bene precante, Acconam diſcedunt.Vbi eò ventum eſt fratribus in ædicula congregatis Bernardus eorum quæ ceciderant Arretij, narratione præmiſſa incredibili gaudio geſtientibus eumdem planè,quem acceperant,candidum habitum circumdedit. Et quia præſide opus erat,ad cuius arbitrium ſeſe omnes referrent,cuiuſque imperatis obtemperarent, cum de imperio agi cęptum eſt, curæ omnes in Bernardum patrem, ac præceptorem intēduntur. Ille verò demiſſa continenter voluntate vſus prouinciam detrectauit, & Patritium ſodalem dilectiſſimum,virum prudentia, experientia doctiſſimum, alijſq. regendis, & quod in primis poſitum eſt, morum integritate præſtantiſſimum propoſuit. Ex Benedictinis ergo legibus vno ore Oliuetanus Abbas renunciatur. Bernardus omni cura vacuus obſequio potius, quam imperio contentus celeſtium rerum contemplationi ſeſe totum tradidit. Primo igitur Abbate declarato ſub eius fide, ac diſciplina omnes Deo certatim ſtudebant. Quamobrem tantæ ſanctitatis fama vbique diſſipata populares confluere, locum in ſolitudine expetentes. Eo concurſu intra paucos menſes Monachis oppletur Mons Acconenſis, ſiue (hoc nomine in poſterum appellabitur) Oliuetus, ita vt cum neque Oratorium, neque Domicilia multitudinem continere poſſent,vtraque conſtituunt amplificanda. Erigi,vel ipſis ita iubentibus nobile, & ſumptuoſum non poterat ædificium ampliſſimis lapidibus innixum,peregriniſq. marmoribus elaboratum;ſolum enim cum locis omnibus adiacentibus terrę,vel argillæ genus eſt,ne lapillo quidem prominente inſtabile, fragile,

B. Bernardo Abbatatū recuſante, primus Abbas eligitur ſocius Patritius.

Excitātur in M. Oliueto cū tēplo Aedes perexigua Monachis neceſſaria.

le, cinereum. Ex natura loci, suaque paupertate, argillacea illa, ac limosa, & passim occurrente materia adhibita Monasteriolum proprijs manibus instituunt, & pro viribus ædificant cum triclinio, ennasterio, alijsque necessarijs officinis (id scilicet nominis obtinent) quas Benedictinum præcipit institutum. Nulla in ædificio pulchritudo, nulla species quærebatur. Suis duntaxat laboribus illa per pauca, & necessaria domicilia, siue tuguria construunt, vt a pluuijs, a frigore, a ventis & consimilibus iniurijs defendantur. Locus prima fronte prospicientibus structionum simplicitate, & modestia multò maximam in cohabitantibus simplicitatem, & modestiam præseferebat. Et quidem admiratione non indignum in tanta nemorum opacitate, tantoque solitudinis horrore, in qua singuli pro lege operabantur, & nemini esse licuit ocioso, in meridie intempestæ noctis silentium custodiri, præterquam in diuinis laudibus concinendis, & in tanta multitudinis inuisentis frequentia solitudinem non perturbari. Miraculo etiam persimile in Monte vallium angustijs contracto veterum Monachorum reuirescere disciplinam, virosque nobiles fortunis omnibus in seculo ornatissimos tot modò afflictationibus sponte sua susceptis humilitatis stylobate altissimam nouæ Congregationis fabricam imponere. Durè igitur ætatem agere, suisque operibus sustinere, & pia fidelium liberalitate, latifundiorum fructibus, quæ Bernardus, & Patritius Monasterio attribuerant tanto Conuentui ex parte sufficientibus. Anno proximè consequenti 1320. Episcopus Arretinus, 1320. quod promiserat ad Oliuetanos dimittit. Restaurum olim S. Mariæ de Murello Arretij Cappellanum, (ædis Trinitariæ Auctor habet alias citatus) cum imperio Episcopali ad aream firmissimo Monasterio cum templo moliendo magis idoneam describendam, ad consecrandum, siue potius primum lapidem ab Episcopo iã consecratũ, vt grauissime tabulæ meminerunt, in fundamento collocandum, Lando S. Angeli a Luco de Clusuris Rectore assistente. Alterius ædis, quod fama tradit, initium faciunt vbi Monachorum sepulchretum. Fabricantur autem, & patrum multitudini, & Monasticis facultatibus aptissimam Mariæ Virgini, cuius habitu, & nomine sanctissime gloriabantur, dedicatam. Patritius Abbatiatus anno expleto, quo de sacris legibus augendis valde sollicitus plurimum desudauit, muneris administrationem ex composito deposuit, & complures post annos æuo piè admodum exacto rebus laudabiliter gestis florentissimus obijt, & in eodem, quod ipse cum socijs extruxerat, delubro æternæ quieti commendatur. *F. Patritius primus Abbas vita cedit.* Eius locum eodem anno Calen. Septembribus Venerabilis F. Ambrosius consecutus est moribus non minus, quàm progenie insignis, & Bernardo perquàm familiaris. Teneram Congregationem sanctissimè gubernauit, ac paulò post supremo exhalato spiritu ibidem sepelitur. *F. Ambrosius Abbas Generalis II.* Subrogatur huic eodem die, eodem mense, anno tamen consequenti F. Simon Senensis domi spectatissimus, ornatissimus. Is anno expleto renunciat pro consuetudine, mox mortalitate exuitur, rerum contemptus, & aduersariorum victoriæ præmium *F. Simõ Senensis Abbas Generalis III.*

mium

mium relaturus. Simone mortuo Monachi, qui eòusq; Patris desiderio, & auctoritate imperium recusantis, & modestiæ satisfecerant, Congregationis causa ocium, quod in contemplatione traducebat sibi tantummodo proficiens interturbandum rati, curandumque vt Maria relicta, Martham excipiens sodalibus præficeretur (quod quidem multis precibus contenderunt) anno à restituta salute 1322. Calen. Septemb. maximum declarant Cœnobiarcham. Post annum, prouincia pro more deposita, socijs tamen non audientibus, confirmatur; quem ritum singulis quibusq; annis persecuti annos septem & viginti, ad supremam, scilicet abitionem, Abbatem venerantur. Infantium more ex suauissimo contemplationis lacte auulsus, & ad externæ occupationis duriorem cibum euocatus in primæuo Religionis ardore excitando totus fuit. Vrgebat non modo, vt disciplinæ acceptæ instituta omnes nullo discrimine seruarent, verum etiam vt ad seueriora procederent. Corpora pia seueritate excruciare flagellis publicè, & priuatim in templo sæpius afficere. In Vigilijs austeri, tamdiù conquiescere, vt vita duntaxat sustineatur præduris asseribus, nuda humo, culcitra stramentitia, nulla plumarum, culcitrarum, linteorumque cognitione. Precibus nocturnis expeditis, somnus habebatur Monachorum indignus; hinc à Matutinis ad Primas orationibus insistebant. Lectio Bibliorum, quæ certis horis habebatur omnibus iucundissima. Cibis sobriè abstinebant illis non modò ferijs, quas assignat inediæ vel Mater Ecclesia, vel Pater Benedictus, sed etiam alijs compluribus pietatis ardore æstuantes, Sanctorum peruigilia, vernumque ieiunium pane duntaxat, & aqua transigentes. Immo paucis annis interiectis ardentioris pietatis studio adducti, vel ab Apostolo illis vocibus admoniti. Bonum est non manducare carnem, & nō bibere vinum, & à S. Benedicto Monachis vini mensuram præscribente commoti, hoc potionis genus omnino reijciunt, vtque nulla detur sancti huius propositi perrumpendi occasio, vineas circumiectas recidunt, & vasa omnia, siue dolia ad seruandum accommodata è Monasterio tollunt. Verum frigidam haurientes, aliquando post in morbum ferè omnes delapsi, Apostolo pariter auscultare coguntur, præcipienti. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum &c. Vinum propterea mensæ apponitur, adeo tamen infuscatum, vt animo nihil obsit, corporis tamen valetudini non minimùm prosit. Silentium, quod seruabatur popularibus interuenientibus admirationem, simul & venerationem faciebat, & primo aspectu introeuntibus infrequens locus videbatur. De Vestibus nullo pacto laborabant, Benedictinæ legis asperitatem retinentes, immò transilientes abiectissimis contenti. Qua de re notum sit, Oliuetanos postquam candida vestimenta exceperunt, aliquando per hyemem aduersus frigoris iniurias in claustris, finibusq; Monasterij cucullo niueo pallium imposuisse cinereum, quali antea ipsemet Eremitæ vtebantur. Consuetudo ad multos annos perstitit in M. Oliueto, alijsq; Monasterijs, quousq; Genera-

1322.

B. Bernardus Abbas Generalis I V.

Varia pietatis officia, in quibus sese primò exercebatur Oliuetani.

Rom. 14.

1. Tim. 5.

lis

lis Abbas, quod suo loco referetur, interdixit. Longum esset obedientiam, qua non tantum præsides, sed etiam æquales prosequebantur commemorare sanctissimè decertantes, alius in pietate, alius in lenitate, alius in moderatione sermonis, alius in precationum diuturnitate, alius in tolerantia, alius in ope egentibus afferenda, alius tandem in obsequio superis exhibendo. Hæc studia Monachorum, hic ardor, hic in disciplina progressus. Sanctitatis autem Bernardi Institutoris argumento sit, quòd si quis ad illum accederet ferina quadam rabie ad iniurias vindicandas concitatus Patris hortamento placabatur: si quis rebus humanis nimium affixus eodem persuadente distrahebatur, Deoq; seruiendi consilium capiebat. Idq; non tantum ea, qua & in sæculo valuerat sermonis grauitate & copia, sed etiam virtute Sp. Sancti pectus inflammantis, & linguam dirigentis efficiebatur. Tot igitur tantisq. & Auctoris, & sodalium virtutibus non secus atq; nouarum in M. Oliueto plantarum fructibus remotissimæ solitudinis torculari complures annos expressis pretiosum boni nominis oleum extillabat, & in omnes partes effundebatur. Suauissimo tantæ Religionis odore, & sapore confines illecti Oliuetanis loca deferre, Monasteria extruere, Antistites ipsi, & Ciuitatum Principes si quem apud se Bernardi socium haberent, esse fœlicissimi. Ille quidem Monachos non facilè petentibus concedebat, nõ quia mortalium salus, ad quam à Conuersionis primordio mentem, animumq. intendit, cordi non esset, sed quia non omnia obseruantiæ Monasticæ incremento accõmodata perspiceret. Primum accipitur Senense Cœnobium S. Benedicto sacrum à Bonauentura Valcherino patritio, Ædisq. Hospitalis Præfecto à fundamentis ædificatum. Inde ab Episcopo Arretino alterum, quod Oliuetanis titulo S. Bernardi de industria construxerat. Tertiò S. Bartholomei in Viridaria extra regionem S. Frigdiani apud Florentinos donatur a piorum quorumdam ciuium sodalitate. Exinde ante dictis adnumerantur S. Annæ in Camprena ab Vgutia Raynutij Ragnoni Senẽsis coniuge positum, S. Donati de fauce extra Eugubium mille circiter passus a Petro Gabriellio illius Ciuitatis Episcopo delatum. S. Nicolai de Fulgineo a Paulo Trincio Antistite ad Oliuetanos transmissum. S. Mariæ in Domnica Romæ. S. Andreæ extrà Volaterram à Raynutio Vrbis Episcopo traditum S. Mariæ de Barbiano, ad Sangeminianum à Ioanne Salutatio Equite Sangeminianensi, & Margarita Bardia Florentina conditum. In hæc, aliaq. permulta Cœnobia, Monachis dimissis, Monasticam vitæ rationem inuexit B. Bernardus, qui licet eremum perpetuò coleret Oliuetanam, modo tamen hunc, modò illum literis adhortabatur, quarum in monte Olineto grandius volumen extabat, mihique paucis ante annis ad manus peruenerunt admodũ quadraginta, voluminis fragmentum. Descriptas habeo. Literis etiam sanctissimus vir, eisq. crebrioribus, non tantum Monachos, sed etiam Principes, & Dynastas appellabat, sacris, pijsq. admonitionibus instituens. Annus erat Christianus tertij & decimi sæculi quartus & vigesimus, cùm è socijs nonnullos Auenio-

Sanctitas B. Bernardi.

Dari Monasteria cœperunt, & quæ. Senense. Arretinũ. Florẽtinũ. Camprenẽse. Eugubinũ. Romanũ. Volaterranum. Sangeminianense.

Literæ B. Bernardi.

1324. Motus B. Auenio. è qui in fe- rẽt discip.

ma firmãs priuilegia ab Episcopo Arretino conceßa. nem mifit, qui à Ioanne XXII. diploma impetrarent, (quod & impetratũ est) quo omnia beneficia, & priuilegia rata Pontifex faceret, quibus Guido Episcopus Cõgregationem Oliuetanam exornauerat, & quicquid in sacra Eremo Acconense, siue Montoliuetense possidebatur firmaret Sedis Apostolicæ patrocinio. Eodem autem anno, & antea quam superius diploma acciperetur. Episcopus Monachis contendentibus facultatem præstitit Romanæ in quotidianis precationibus consuetudinis. Verba hæc sunt in primis.

More Romano sacris operã nauant. *INsuper votis eorum satisfacere cupientes in celebratione officiorum, quam facere posse volunt Abbas, & Conuentus Monasterij antedicti secundùm ritum Rom. Ecclesiæ. Nos attendentes in Regula B. Benedicti, quod secundum ipsius reg. certus seruetur ordo in horis, & Officijs celebrandis, & quod qui melius sciuerit ordinare melius ordinet officium Monachale. Cum in Ecclesia Rom. perfecte sit ordo celebrandi officij constitutus, quod secundum ritum & ordinem præfatæ Rom. Ecclesiæ possit deinceps in dicto Monasterio de M. Oliueto Officium celebrari, auctoritate præsentium duximus indulgendum, & etiam concedimus Abbati, & Conuentui prædictis in eorum membris, & Grangijs tam habitis, quam habendis, & vbiq; locorum dictæ Diæc. vbi eos esse contigerit, vel morari.*

1327. PEr hæc tempora anno videlicet 1327. quod huius Historiæ exordio attigimus, missus a Pontifice Cardinalis Legatus in Etruriam a B. Bernardo, siue ab alijs pro illo rogitatur, an ipse oculis vsque adeo laborans, vt Sacerdotium inire nequiuerit, minoribus tantum initiatus sit Abbatiatum Oliuetanum annum supra decimum quintum, à socijs iniunctum obtinere sine vlla religione possit, vel debeat. Censuit Cardinalis electionem iure habitam, quam & ratam, firmamq. ostendit literis consequentibus, quas affero libentissimè, vt acquiescant, si qui sint, quibus id summo negocio credendum videatur, cum nunquam audiuerint, B. Bernardum toto vitæ suæ curriculo, vt nos asserimus, luminum morbo affectum fuisse.

B. ferè cæcus, nõ sacerdos, sententia Cardinalis apparet impetratos iudicatur, eiusq; litera afferuntur. *IOannes miseratione diu. Sancti Theodori Diaconus Cardinalis Apostolicæ sedis Legatus. Dilecto in Christo Bernardo Abbati Monasterij S. Mariæ de Olineto ord. Sancti Benedicti Arretin. Diæc. Salut. in Domino. Dudum ad nostram præsentiam dilecti in Domino Iacobus Mini..... & Simon Ture, & Maurus Ioannis Monachi S. Mariæ de Oliueto ord. S. Benedicti Arretin. Diæc. Conuentus eiusdem Monasterij Procuratores nobis exponere curauerũt, quod dictus Simõ olim Abbas illius iuxta consuetudinem post fundationem eiusdem Monasterij pro tempore inibi pacificè obseruatam, secundùm quam Abbates prælibati Monasterij, qui sunt pro tempore illius regimini in manibus loci Ordinarij, vel eius Vicarij tenẽtur ad requisitionem dicti Cõuẽtus cedere annuatim, in manibus Magistri Philippi de Vrbe Veteri tunc Vicarij Venerab. Viri Bosi Præpositi, & Administratoris Ecclesiæ Arretinæ tunc Pastore vacantis sibi in spiritualibus, & temporalibus à Sede Apostolica deputati, nunc Electi Arretini ad requisitionem eandem regimini præ-*

fati

fati Monasterij cedere procurauit, dictusq; Vicarius illam admisit, sicq; Monasterio ipso per cessionem vacante eandem præfati Conuentus ad quos Abbatis electio noscitur pertinere, Te cum sis in minoribus ordinibus constitutus, & patiens in visu defectum, in eorum, & dicti Monasterij Abbatem iuxta præfatam consuet. concorditer postularunt. Supplicantes nobis vt postulationem eandem admittere, vel te in Abbatem eiusd. Monasterij præficere dignaremur. Nos itaq; volentes præfato Monasterio super his salubriter prouidere, dilectis in Domino Sancti Ioannis de Asso & ..... Grossenanensis sæcularium Ecclesiarum Prioribus dictae Dioec. sub ea forma dedimus nostris literis in mandatis, vt ipsi, vel duo eorum ad locum personaliter accedentes ibi autoritate nostra generale edictū publice emittere procurarent, & quantum .... sua interesse putarent postulationi prædictæ, aut prouisioni, per nos super hoc de persona tua, si illam fieri contigerit se vellent opponere infra certum terminum peremptorium competentem comparerent legitime coram nobis allegaturi, et ostensuri causam rationabilem, si quā haberent, quare prædicta postulatio non deberet admitti, vel nos de persona tua nequiremus præfato Monasterio prouidere. Vnde ..... Sancti Ioannis, & Angelus Grassanani dictorum Prioratuum Priores huiusmodi nostro, recepto mandato præfatum edictum iuxta ipsarum continentiam literarum, prout nobis per ipsorum instrumentum publicum retulerunt proponere, & mittere curauerunt. Verum quia nullus infra prædictum terminum, nec in ipso, nec & postremum contra te oppositorum apparuit, nec etiam contradictorū. Nos volentes eiusdē Monasterij indemnitati, quam propter vacationem diutinam posset incurrere salubriter prouidere. Sperantesq; quod defectum præfatum probitate suppleas meritorum, & quod Monasterium ipsum, & personæ, & bona ipsius sub tui cura regiminis fœliciter dante Domino, debeant prosperari, postulationem eandem admittimus gratiose, teq; Ordinem ipsum expressè professum in Abbatem illius auctoritate, qua fungimur præsentium tenore præficimus iuxta consuetudinem memoratam tibi curam, & administrationem ipsius in spiritualibus, & temporalibus plenariè committendo. Tu igitur curam eandem sic sapienter suscipias, & prudenter, prout confidimus, prosequaris, quod tui actus laudabiles præfatum defectum suppleant, & quod in illo deest perficiant tua grata administratio, & ministerium studiosum. Datum Florentiæ x. kal. Ianuarij Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Ioannis Papæ XXII. Anno XI.

EX quibus literis extra illa, quæ superius affirmata sunt exploratissimum est Conditorem nostrum Sacerdotio nunquam cohonestatum. Accepta Ordinis Oliuetani sine Præsbyteratū administrandi potestate, dubia tamē, & religiosa apud illum, cæterosq; Principes Legati auctoritas, duos enim Iurisperitos attestantur monumenta cōsultos, quorum membranis conscripta, cæreisq. signis communita responsa, & vidi, & legi, & subscribo, non tantum, vt scire cupientibus morem geram, sed etiam ne vllum nostris potissimum ea in re dubitationis locum relinquam.

Consilium habitum super Officio Abbatis Fratris Bernardi.

Adduntur ea de re duorū Iurecōsultorum responsa.

IN Dei nomine Amen. Petitio Religiosorum virorum Domini F. Galgani Prioris S. Hieronymi Carthusiensis, & F. Patritij Monachi S. Mariæ de M. Oliueto Sancti Benedicti ordinum Bononiensis, ac Arretin. Diocœsium continebat, quod dudum vacante dicto Monasterio Sanctæ Mariæ per liberam renunciationem Domini Fratris Simonis olim Abbatis eiusdem Monasterij factam iuxta consuetudinē post fundationem ipsius Monasterij pro tempore inibi obseruatam pacificè, secundū quam Abbates prælibati Monasterij, qui sunt pro tempore illius regimini in manibus loci ordinarij, vel eius Vicarij tenentur ad requisitionem Conuentus eiusdē Monasterij cedere annuatim, Conuentus ipsius Monasterij ad quos Abbatis electio in illo noscitur pertinere, Venerab. virorum Dominum Fratrem Bernardum de Ptholomeis eiusd. S. Benedicti ordinē expressè professum in minoribus Ordinibus constitutum patientem visus defectum in corum, & d. Monasterij Abbatem iuxta præfatam consuetudinē concorditer postularunt. Supplicantes bonæ memoriæ Domino Ioanni S. Theodori Diacono Cardinali tunc in prouincia Tusciæ Apostolicæ Sedis Legato, vt postulationem eandem admitteret, vel ipsum postulatum in Abbatem præficere dignaretur. Idem autem Dominus Legatus seruatis iuris solemnitatibus, quæ in huiusmodi negocio debuerant obseruari, nullo oppositore, vel contradictore comparente postulationem eandem gratiosè admisit, ipsumq; Fratrem Bernardū auctoritate suæ legationis in Abbatem ipsius Monasterij præfecit iuxta consuetudinem memoratam sibi curam, & administrationem ipsius in spiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo. Quodq; idem Abbas in eod. Monasterio à tempore promotionis huius de se factæ citra administrauit, vt Abbas, & adhuc hodie administrat seruata tamē consuetudine memorata, cuius renunciatio facta per eum annis singulis dicti temporis per eum, ad quem pertinuerit non extitit acceptata. Nunc autem quia reuocatur in dubium an factum eiusdē Domini Legati super hoc tenuerit, & ipse Dominus Frater Bernardus possit administrare, vt Abbas seruando consuetudinem sæpe factam, quæritur quid iuris.

Satis puto, quod prædictus Frater Bernardus administrare possit, & quod secum potuerit dispensari, per Legatum super prædicto defectu. Facit, dicta, & qual. suam.

Paulus de Azzarijs Doctor Decretorum.

Hoc idem videtur mihi. Andreas de Guantarijs per alleg. d. suam, & l. de accidens in cuius rei testimonium propria manu scripsi, & mei sigilli appensione muniui. Idem credo ego Dinus permissione diuina Pisanus Archiepiscopus.

ANno autem Abbatiatus 12. Bernardus cæteris non aduersantibus legem sanciuit, vt in posterum, quæ in singulos annos singulis familiæ destinarentur Cœnobijs referrentur in codicē ad id constitutum in Monte Oliueto adseruandum. Eo enim sæculo familijs euulgatis, quo antea scribebantur libellus cōscindebatur vsui aptissimus nu[illegible]. Sanciti quoq. in comitijs, quę habita sūt anno reparatoris 1337. vt Monachorū, Oblatorū & Oblatarū Congr. nomina, quos, vel quas cōmune fatū sustulerit certo loco cōmitterentur, quem pariter socij in M. Oliueto custodirent.

B. statuit, vt familia Cœnobiorū describantur.

1337.

rent; præterea vt in comitijs generalibus pro lectione vulgari in triclinio legerentur primò accumbentibus, qui pro defunctis Deo vota facerent. Id, quod primus exequitur institutor, mortuorũ libro compacto, cuius prima facies exordium habebat ad posteritatem tantum pietatis officium excitandam. Decretum insuper, vt cum aliquis diem suũ obierit Prior Cœnobij Monasterijs omnibus denũciaret, quibus ad communia, & priuata mortuo sacrificia, & officia suffragarentur. Consuetudo ad hanc vsque memoriam producta. De familiarum libro multos ante annos non leuis negligentia, neque videtur, quibus iure cõuenit breuissimus labor declinandus, & sanctum adeo institutum oblitterandũ, quod præcipuè gloriosus noster Auctor præceptum voluerit. Anno 1338. lata lex est, vt Comitia quotannis in Monte Oliueto celebrentur Cal. Maij, cum ante hac prima die Sept. haberentur, & anno 1339. seruari cępta ab Oliuetanis. Anno autem 1344. maximus Pontifex Clemens eo nomine 6. renũciatus Congregationis dignitati mirum in modum studuit; hic edito 12. cal. Febr. quo anniuersaria S. Agnetis natalitia recoluntur, diplomate eam confirmauit multis, eisque amplissimis decoratam priuilegijs; Nihil enim non stabile, non constans, non perpetuum voluit esse ex ijs, quæ Guido Petramalius Episcopus Arretinus de Cœnobio Montoliuetano, deq. Mõtoliuetanis statuerit. Licet altero edito diplomate, per Pontificis benignitatem, & liberalitatem, si quæ loca, si quæ Cœnobia nobis possidenda traduntur, ea omnia construere, quæ necessaria sint vel ad pia & sacra munia cum dignitate sustinenda, vel ad vitam more Benedictino traducendam. Huius quidem adeo singularis beneficentiæ memoriam quotannis eodem die repræsentari Ecclesiasticis officijs constitutũ est. Cum annus iam sextus & vigesimus prætetijsset, ex quo B. Bernardus sapientia, & integritate, & exemplo omnibus prælucens cętum rexerat Oliuetanum, Monachi tanta Beati Patris perfectione cognita, & ipsis, qui mẽtem, & voluntatem suam pro nihilo putabant in consilium non adhibitis, à legibus diuinis nunquam desciuisset, & quòd ipsis & vniuersæ Congregationi profuturum videretur, nulla ratione neglexisset absolutissimum vnanimes tradere voluerunt imperium, ita vt nullam Comitiorum, vel cuiuspiam è nostris facultate, sententia, consensione requisita omnia arbitrio suo pręscriberet. Tabulę confectæ 1347. manu F. Stephani Coppiæ Pratensis anteaquam iniret Monachismum, scribæ & in libro leguntur, quo alia ab eodem Stephano scripta continentur. Ex illis cum nonnullæ sint verborum formulæ, quibus Sãctitatis opinio, quam de B. Bernardo socij conceperant, eorumque erga Patrem obseruantia significetur, hic describo.

Leges feruntur de defunctis.

1338. *A Cal. Septemb. ad cal. maias Comitiorũ celebratio transfertur.*

1339.

1344. *Clem. VI. die festo S. Agnetis firmat diplomate Congregationem.*

1347. *Congregatio B. perpetuò Abbatem eligit.*

Arbitrium concessum Domino Abbati per Capitulum Generale.

ITem anno Domini, id est ab incarnatione millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, *Indictione*, id est quintadecima, & *die*, id est quarta

• Testes tabulęs fia scripta.

quarta mensis Maij *prædictis, loco,* idest in Ecclesia S. Mariæ Montis Oliueti, *in qua solita sunt fieri Generalia Capitula dicti Monasterij, & totius Ordinis, &c. & testibus, &c. Conuocatis, & congregatis Fratribus, & Monachis prædictis ad Capitulum ipsorum Fratrum nemine discrepante vnanimiter, & concorditer vice, & nomine totius Capituli, & omni modo, via, & iure, quibus melius potuerunt, dederunt, concesserunt, ac contulerunt in Venerab. Patrem Dominum Fratrem Bernardum Abbatem dignissimum dicti Monasterij, & totius Ordinis auctoritatem, & baliam, & potestatem plenissimam agendi, tractandi, & disponendi facta, & negocia Monasterij, prout casus occurrerit suo proprio consilio absque aliqua requisitione Capituli, & Fratrum, seu Monachorum videlicet in acquirendo loca noua, quæ sub Regulis, & disciplina eiusdem Domini Abbatis, & Ordinis S. Mariæ M. Oliueti cōmittentur, & in renuntiando loca accepta, sicut nouerit velle Deum, in recipiendo Fratres volentes assumere habitum eiusdem Domini Abbatis, & Ordinis Sanctæ Mariæ Montis Oliueti. Item, in astringendo, corrigendo, incarcerando, & alijs pœnis, & disciplinis plectendo fratres peccantes, & deuiantes ab obseruatione regulæ Beatissimi Patris Benedicti, & Constitutis dicti Ordinis, & Monasterij S. Mariæ M. Oliueti, vel qui aliquo modo repugnarent voluntati eiusdem Venerab. Patris Domini Abbatis, vel qui ab ipsius obedientia modo aliquo deuiarent, prout eiusdem Venerabilis Patris Sanctitas nouerit velle Deum. Item, in acquirendo, vel emendo possessiones, domos, & alia bona pro dicto Monasterio, & in vendendo, campsando, & permutando si sibi placuerit. Item in constituendo sindicos, & procuratores pro dicto Monasterio vnū, & plures, toties, & quoties eidem videbitur, & placebit dantes, & concedentes ex nunc plenam licentiam, ex liberam potestatem eidem Domino Abbati, quod possit dictos sindicos nominare, & declarare quando, & toties, & quoties voluerit, & expediens fuerit pro dicto Monasterio eiusdem membris, & toto ordine. Item, in expendendo, & dispendendo denarios, & bona dicti Monasterij, & membrorum ipsius, & totius ordinis prout eiusdem Sanctitati videbitur pertinere ad honorem Dei, & pacem spiritualem dictorum Fratrum, & totius Ordinis supradicti, ipsorumq. membrorum. Et generaliter quod absque aliqua Fratrum requisitione possit, & sibi liceat omnia disponere, & tractare, & ordinare, & ad effectū perducere, quæ totum Generale Capitulum, & omnes fratres totius Ordinis facere possent. Confidentes plenariè, quod propter eius Sanctitatem non discederet à voluntate Dei, & fratrum, atque filiorum suorum animarum salute.*

ANno tamen insequenti tot tantisq. laboribus ad instituendam, ac promouendam nescio an dixerim suam, siue integerrimæ Virginis Mariæ Congregationem exantlatis, tot tantisque pijs, & honestis
1348. actionibus, quibus antiquis primæue Ecclesiæ Patribus comparatus est, mundo exhibitis, monastica disciplina, quod prędiximus languida pro-pemodum reparata, ad superos euocatur, rerum præclarè gestarum premio potiturus. Fœdam in Etruria, quin tota Italia anno 1348. vastitatem faciebat pestilentia, vnde ex nostris amplius octoginta eripiuntur, media nimirum & supra, nuperæ Congregationis pars. Testatur anno

Itali pestilentia fœdè vexantur.

B. ad superos euolat.

1344.

1344. Clemens eo nomine sextus diplomate, quo superiora omnia à Præside Petramalio confecta stabiliuit. Cum enim dixerit in Cœnobio M. Oliueti quartum & vigesimum ante annum instituto, præter Abbatem Monachos eo tempore triginta commorari, eoque finitimorum Antistitum in illos religionem excreuisse, vt loca, vel Monasteria decem ad regularis obseruantiæ amplificationem consecuti sint, subdit hæc pauca, *qui omnes numero centum & sexaginta, & vltra existere dignoscuntur*. Bernardus audita multorum in Cœnobio Senensi luis conflictatione, relicta (quæ summa Patris pietas) solitudine Senas concessit filijs allaturus & solatium, & auxilium. Aegros igitur tanto curat studio, vt & ipse lethifero contracto morbo, cum cęteris iacuerit, cumque breuem ad beatæ vitæ felicitatem senserit traiectum, Eucharistico pane confirmatus, & oleo sancto delibutus inter socios psallentes vna & lacrymantes lætissimus Deo spiritum reddiderit. xj. cal. (scribit Arnoldus) Septembres anno Conuersionis 35. legis, & candidæ vestis acceptæ 29. Abbatiatus 27. nondum peracto, *sacrumque corpus eius* (ita Chronographus Oliuetanus) *in Ecclesia Monasterij Senensis præfati, vbi primum sepultum est in Domino requiescit*. De eo idem Arnoldus in suo opere ligni vitæ hæc prorsus habet.

VNdecimo cal. sept. Senis in Thuscia Depositio S. Bernardi Tolomai Abbatis, & primi fundatoris Monachorum Ordinum S. Mariæ M. Oliueti, qui inter psallentium filiorum manus, &c. Hoc autem die migrasse coniecturam nobis fecit electio successoris eius Fratris Franciscbini de Senis (de Arretio) *qui hac ipsa die electus dicitur in Cathalogo Generalium huius Ordinis à R. P. D. Theodoro à Venetijs Abbate Monasterij S. Helenæ Venetiarum communicato. Additur & ratio antiquæ consuetudinis, non enim solebant Monachi olim Abbates, & Generales suos sepelire, nisi prius successoris electio facta fuisset in capitulo defuncti corpore præsente.* *B. Bernar dũ sar. B. Benedicti nis quidã adscribunt.*

HOdie tamen nullum sepulturæ monimentum. Nobis quidem admirationem facit, Pium II. significare sua tempestate anno Christiano 1458. locum, quo sacræ custodiuntur Reliquiæ non latere, his verbis. *Nomen viro Bernardo fuit, cuius ossa religiose colunt*. Vt vt sit, Deo bene fauente, ingens hucusque desiderium tenet Oliuetanos apparitúrum aliquando tam preciosum Parentis thesaurum. Animum tamen ea in re pro pietate excruciatum, piumque mœrorem, quem res ferè omnis Oliuetana percipit, eleuat plerumque, sæpius abstergit, casus idem in sanctissimis eisque clarissimis Orthodoxæ Religionis luminibus, quorum si ædes sepulchralis non ignoratur, sepulchrum tamen, ne dum corpora ipsa non indicantur. Id quidem de S. Hieronymo, de S. Augustino, de S. Ambrosio, deque alijs eiusmodi dubitationis locum non patitur. Ad hæc licet tanta huius memoriæ cura sit, tantum studium, vt integerrimorum virorum res gestæ animaduertantur, obseruentur, in codices refe-

Tumulus ignoratur. Pius II. Com. li. 10.

Multa latent Sanctorum corpora.

referantur,corpora verò post obitum honorifico aliquo ſeponantur ornatu (ocio ſint gratiæ, quo ſuperis adſpirantibus, Italia noſtra fruitur, vnde in mentibus fidelium pietatis,& religionis incrementa non modica,eruditiſſimorum hominum frequentia, rerumque in dies contingentium ad poſteritatem politiſſima ſcriptione tranſmittẽdarum facultas) ſacra tamen eſt nondum cẽtenaria Familia, quæ bonitate,& eruditionis laude cęteris omnibus comparanda eſt,quæ ex primis Auctoribus, alterum Beatitatis titulo cultum expoſitum nulla inuentionis præuia luce amiſit,cum eius corpus reliquis appoſitum ſit in Cęmeterio. Quam nouæ huius iacturæ cauſam non affero, eam ipſam ſocijs noſtris fuiſſe arbitror. Noſtri multò magis excuſandi, & nihil eſt,quod pudore,& dolore afficiantur, Bernardum ſęculo illo rapiente, quod ſi nullo armorum ſtrepitu circumſonuerit, atrociſſima tamen peſtilentia confligatur, ita vt media noſtrorum pars, quod ſupra docuimus peſtifera lue occubuerit. Quare eodem tempore illos omnes obijſſe reputanti, qui Auctoris funeri pariter,& ſepulturæ interfuerint, deq. illo nonnulla chartis conſignauerint, & quæ annis proximè conſequentibus euenerint, aliaque, quorum quidem narrationem omitto, diligenter conſideranti admiratio ſatis minuetur, neque magnum quiddam videbitur, quod neque à nobis nulla,niſi ex aliorum ſententia,neque à veteribus mentio facta ſit de ſupremi caſus die, deque ſepultura. Ptolomęo Patre amiſſo xi.Calen.

F.Franceſchinus Arretinus Abb.Generalis V. Septembris (ita Chronographus) Comitia celebrantur, & Abbatiale traditur imperium in menſes octo,totidemque dies ex lege lata F.Franciſchino Tracozanenſi Arretino, qui Bernardo Inſtitutore vtique digniſſimus extitit. Ineunte Maio depoſuit. *Monaſteria. Patauinum,& Riperianũ* Accipit ab Ildebrandino Epiſcopo Patauino Monaſteriũ S.Mariæ de Armenis,inde Riperianum. Aſperam victu, moribuſque ætatem agit. Moritur in Sangeminianenſi, domicilio ſuo. In eius locum anno Chriſti 1350. Cal.Maijs ſubſtituitur

1350 *F.Raynerius Senenſis Abb. Generalis VI.* F.Raynerius Senenſis. Tradit F.Antonius Bargenſis,de quo inferius,F. Raynerium lue debacchante ſeceſſiſſe in Eremum Montis Argentarij, ibique nuncio Generalatus iniuncti, redijſſe Montem Oliuetum. Donatur à Petro Belfortio Cardinale tit. S.Mariæ nouæ de Vrbe,poſtea Greg. XI.Æde titularia,qua Monaſterium conſtituatur. Ea dę cauſa S.Mariæ *Monaſterium Romanum.* in Domnica relinquitur, cum Monaſticam diſciplinam (quamobrem neſcio) non patiatur.. Dimiſſum pro more anno ſequenti, & ſtata luce Abbatiatum Monachorum Conuentus F.Laurentio Arretino imponit.

F.Laurentius Arretinus Abb. Generalis VII. In ſuperioribus Comitijs decreta confirmantur vniuerſa, aliaque præterea inſtituuntur, nimirũ vt anniuerſaria Cal. Maijs habeantur in Monaſterio M.Oliueti publica comitia, quo ſinguli Priores accedant, vno, ſiue duobus è ſuis in ſocietatem aſſumptis,non ab ipſis, ſed à toto colle- *Decreta ſuperiora cõfirmantur, & alia adſcribũtur.* gio renunciatis. Abbas eo tempore maximus imperio decedat; cum deceſſerit, alter ea ratione ſufficiatur. Monachi tres diſcreti (hoc nomine appellamus ſuffragia ferentes)ſecreta eligentium ſuffragia perquirãt,&, quem plerique ſuis votis declarauerint, alter è ſcrutatoribus pro toto

Con-

Conuentu Abbatem proclamet nulla cõfirmatione sustinendum; Quòd si vel excedente Abbate, vel alia, quauis oblata causa Abbatiatus, annua excepta depositione, vacet, Prior Claustralis (hodie Vicarius Generalis) septem euocet Priores, qui vno, vel duobus è suo Prioratu à Collegio, quod supra diximus, lectis comitibus, ad Montem Oliuetum sese conferant, ibique cum eo conuentu, alijsque suffragantibus Abbatiatum deferant, & si quis demandatam prouinciam detrectauerit, triduūque pertexerit, dignitatis honore careat, & Prior iam dictus cum alijs suffragia laturis, vti scripsimus, nouum eligat Abbatem; Vt demum, ne quæ de Abbatiatu deponendo sancita sint tertio quoq. anno (diu enim steterunt) perrumpantur, à Pontifice rata fiant, quæ & facta sunt. Statutum præterea, vt singula Cœnobia celeberrimis quatuor ieiunijs solemnis defunctorum commemoratio habeatur. Hoc summo Abbate Clemens VI. anno 1352. septimo Cal. Maias diploma nobis edidit. Eo potesta- 1352.
tem, quam, inquit ille, Prioribus nostris Monachorum, & Oblatorum *Diploma*
confessiones excipiendi, eosq; de peccatis nisi talia forent, propter quæ *satis am-*
Sedes Apostolica esset meritò consulenda, absoluendi in quolibet Cœ- *plū Clem.*
nobio fecerat, eodem Petro Cardinale rogitante, ad tyrunculos vestibus *VI.*
communioribus etiam vtentes, & Cœnobiorum familiares promouet. Imperio perfunctus Raynerius annorum nouem, ac decem ętatem transigit, & Visitator Auenionem à sodalibus ad Pontificem dimissus, ibi sanctissimè decedit, sepelientibus Dominicanis. Exacto triennio, die, lo- 1354.
coque constituto (vltra non repetam, ne fastidio sim perlegentibus) *F. Raynerius*
secundùm Generalatus persona F. Raynerius insignitur. Multa decer- *rius Senen-*
nuntur; ex his, vt ad sacerdotium non promoti semel in mense Ecclesia- *sis Abb. Ge-*
stico ferculo reficiantur. Nonnulli morales casus perferuntur, de quibus *neralis.*
Abbas tantummodo absoluat. Certa insuper Cœnobijs pecunia præ- *VIII.*
scribitur in Visitationes, & Comitia Monasterio Montis Oliueti persoluenda. Anno 1357. F. Saluius Florentinus ad Generalatum assumitur. 1357.
Eius administratio gratissima fuit Oliuetanis. Tertio quoque anno pro *F. Saluius*
legibus cedens à socijs tamen in eadem prouincia, quæ duodecim ipsos *Florētinus*
annos ab eo tractata est, confirmatur. Reliquo coetu non dissentiente, *Abb. Gene-*
permulta sciuit vtilia. In primis; Ne vsquam in Monasterijs esculenta *ralis IX.*
carnea præbeantur, quàm ægrotis; Ne fœminæ in Montem Oliuetum *Esca car-*
descendant, & vltra Turrim, hodie Palatium gradum promouere liceat. *nea prohi-*
Addita lex, vt Anathematis pœna obstringantur, qui ad Generalem *bentur, &*
creandum conueniant non gloria Dei, vel Congregationis commodo *fęminarū*
inducti, sed præmio, vel vtilitate. Eo gubernante, tria obtinemus Mona- *in M. Oli-*
steria, S. Hieronymi de vico Ahiano in Pisano, quod anno Domini 1361. *uetum in-*
Ioannes Baptista Scarlattus posuit Pisanorum Archiepiscopus; S. Mi- *gressus.* 1361.
chaelis in Busco Bononiæ, quod anno 1365. à Petro Tudertino nobis *Dātur Monasteria,*
depositum est; & S. Mariæ de Montmorcinio Perusiæ, quod anno 1367. *Pisanū, Bo-*
Nicolaus Capocius Cardinalis, & Episcopus Tusculanus condidit. F. *noniēse, &*
Saluio per annum à Dominica pietate 1369. F. Raynerius Senensis suc- *Perusinū.* 1367.
D cedit 1369.

F. Raynerius Senensis Tertiò Abbas Generalis X. cedit tertium Abbas Generalis. Per id temporis mortuo Vrbano V. Pontificatum inijt Cardinalis S. Mariæ Nouę nomine Gregorij XI. Clemētis appellatione VI. patrui vestigia persecutus Oliuetanos mirificè amplexatur, immunitatibus, & priuilegijs, quæcunque à nostris petita sunt, amplissimè concessis. Firmissimum tamen beneuolentiæ argumentum, quod animam inter nos efflare voluerit, & in Æde, quam ipse nobis im-

Cle. VI. & Grego. XI. Oliuetanæ familiæ studiosissimi. petrauerat, S. Mariæ Nouæ tumulari. Propterea sapienter factum, vt Nepotis æque, ac Patrui erga nos beneficētiam remuneraturi, anniuersaria pro illis, non tamen eadem sub luce funeris repræsentatione parentemus. Ratum voluit Gregorius statutum in Comitijs, F. Saluio Abbate factum, vt, qui triennium imperauerint, non nisi altero expleto triennio, imperium rursus accipiant, in successore tamen eligendo adsistant, dentque pro voto suffragia, cum Priore Claustrali, & quatuor tantum, non omnibus Monachis, vt antea, à Conuentu eligendis è Monasterio M. Olivueti, ceterisq. aliorum Cœnobiorum Prioribus, quod supradiximus,

1371. vno, vel duobus comitibus. Arnoldus de Ligno vitę anno 1371. Saluijq.

Frater Petr. Tartarus Cardinalis Oliuetanus, qui et Cassinēsis appellat. secundo de Andrea meminit Fauentino Oliuetano, & Abbate Montis Cassini, & pręterea de Petro Tartaro Romano pariter Oliuetano, & Abbate, S. Laurentij extra Vrbem, dehinc Cardinale, ac demum Abbate Cassinense, de quo Ciacconius, & alij. Hinc mihi diuturna satis dubitatio, vnde Scriptoribus idē, & Oliuetanus, & Cassinensis appelletur, quomodo intelligatur. Propterea notum sit, Vrbanum V. Monasticam disci-

Redditur in M. Casino Monastica disciplina. plinam in Monte Cassino reparaturū, & Monachorum numerum exauctuturum, cum Annus euolueretur à Virgine pariente 1370. qui per ea tēpora Cassinensibus eo in loco præsidebat, Abbati, emisso Diplomate, copiam fecisse, vt Monachos 40. ex vniuerso Benedictinorū, quocumq. habitu incederent, Ordine, pro voluntate electos ad Cassinensem sedem, vestem, institutum, vitæq. rationem transferret. Ea igitur facta potestate, Abbas Montis Cassini Raynerio maximo Oliuetanorum præsidi, literis datis, mandat, vt è constitutione Pontificia de suis dimitteret sex nominatim expressos. Quamuis variè commoti obuiam complures fuerint decreto (id quidem ab vno factum, docebo inferius) & Greg. XI. anno subsequenti 1371. ab Oliuetanis fuerit Vrbani decessoris literas ad eos nihil pertinere significatas edito diplomate, vero tamen simile est, nonnullos libentissimè commutasse cum Oliuetano Cœnobio Cassinense. Eorum facilè numeres, quos supradiximus Andream, & Petrum. Hinc ipsis vtriusque familiæ nomen tribuunt Historici. Cum ad Cassinensem

Abbates duo Cassinenses Oliuetani. transierint, Oliuetanam non reticent, cui quidem amplissima dignitas est, quod Abbates duos Cassinenses protulerit, ex his alterum Cardinalatus insignia consecutum. Ita quidem arbitror (meliori non explosa sententia) interpretandos illos, qui de eisdem Petro nimirum, & Andrea Oliuetanis pariter, & Cassinensibus mentionem habent. Id quò fiat illustrius, profero scriptum, quod in Monte Olivueto repertum antea non cognitum, cupidiùs perlectum accurata visum est non indignum custo-

dia.

dia. Intelliget, qui legere non grauabitur, quod non facilè scribitur. Ioannes igitur Narbonensis Oliuetanum vitæ genus iam professus, eaq. tempestate (annus erat post Christum natum 1370.) in Monasterio Bononiensi sedem habens pridie nonas Decembres ad Proepiscopos duos accedit Anmeriti Bononiensis Episcopi vicem sustinentes. Docet, se 4. Non. Decembres eius sententiæ literas accepisse.

FR. Raynerius Abbas Monasterij Sanctæ Mariæ Montis Oliueti Arretin. Dioc. & eiusdem Monasterij Religionis Generalis.... dilectis in Christo filijs Fratribus Andreutio de Senis, Ioanni Trasliberim, Petro Paulo de Arreballis, Iacobo de Padua, Leonardo de Florentia, Ioanni de Narbona Monachis prædicti M. Oliueti Religionis benedictionem, & gratiam in Domino salutarem. Cum nuper nobis per quemdam nuncium quædam literæ in papyro descriptæ ex parte Venerabilis in Christo Patris, & Domini, Domini Andreæ Dei gratia Abbatis Cassinensis præsentatæ fuerint continentes. Andreas Abbas Cassinensis Venerabili Patri Domino Abbati Montis Oliueti salutem in Domino. Noueritis nos à Santissimo Patre, & Domino nostro Summo Pontifice cum reuerentia debita literas recepisse bullatas bulla plumbea pendente filo canapis; non abolitas, non abrasas, nec in aliqua parte suspectas tenoris, & continentiæ subsequentis. Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Andreæ Abbati Montis Cassini ad nos, & Rom. Eccl. nullo medio pertinentis, quod nullius Diœc. existit. Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cupientes, quod Monasterium Cassinensis Ordinis Sancti Benedicti nullius Diœc. in quo per Dei gratiam, & meritis eiusdem Sancti reformata est obseruantia regularis, augeatur numerus Monachorum de tua circumspectione, ac Zelo religionis gerentes in Domino fiduciam pleniorem tibi transferendi ad præfatum Monasterium quadraginta Monachos quorumcumque Monasteriorum dicti Ordinis, etiam si habitum album, vel grisum deferant, aut sint Religionis Sancti Spiritus de Vrbe secundùm instituta, B. Petri Confessoris, qui vulgariter Cælestini nominantur, eosque in dicto Cassinensi Monasterio recipiendi in Monachos, & fratres, ac ipsis habitum dicti Monasterij exhibendi, & sincera in Domino Charitate tractandi, & prouidendi, seu faciendi eis prouideri, sicut alijs Monachis Monasterij prælibati, ac contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstantibus si eis, vel ipsorum alicui communiter, vel diuisim à Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem plenam concedimus tenore præsentium potestatem. Datum apud Montem Flasconem 16. Calend. Sept. Pontificatus nostri Anno octauo. Volentes itaque, vt tenemur mandatis Apostolicis humiliter obedire, & suæ nos coaptare voluntati reformationem huiusmodi Monasterij, quæ sine bonorum Religiosorum copia fieri non valeret, cupientes nec vobis...... assistere ad tantum bonum, & necessarium huiusmodi videlicet reformationem Monasterij, quod propter Corpus Sanctum Beati Benedicti requiescens in illo, caput est irreuocabiliter Monasteriorum omnium huius mundi operam impertiri. Infrascriptos Monachos vestros auctoritate dictarum literarum

Litera Vrb. V. sũmi Põt. de Monasti ca disciplina in Monte Cassino reparatione.

Sacrũ B. Benedicti corpus in Monasterio Cassinensi.

D 2 Apo-

Apostolicarum tenore præsentium transferimus ad Monasterium Cassinense Paternitatem vestram, & honestatem orantes in Domino, ac expresse mandantes vobis auctoritate nobis in hac parte concessa, quatenus ipsos Monachos sic per vos translatos vsque ad quindecim dies post receptionem præsentium, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro tertio, & peremptorio termino, ex monitione canonica assignamus vobis ad ipsum Monasterium Mõtis Cassini mittere studeatis, & venire cum vestimentis, & alijs rebus ad eorum personas spectantibus liberè permittatis, harum serie nihilominus etiam iniungentes eisdem Monachis sic per vos (aut, *nos*) *translatis, quod infra dictum quindecim dierum terminum, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro tertio, & peremptorio, & monitione Canonica assignamus eisdem, & eorum cuilibet ad ipsum Monasterium Cassinense studeant cum rebus prædictis ipsorum quã primùm se conferre sub pœna excõmunicationis, quam in vos, & eos si contrafeceritis, aut fecerint, quod non credimus ex nunc pro vt ex tunc..... præmissa trina monitione Canonica prædicta ferimus auctoritate Apostolica supradicta, qua fungimur in hac parte ad aliam etiam processuri prout inobedientis, aut inobedientium contumacia exiget, & requiret. Nomina vero ipsorum Monachorum sunt hæc, videlicet. Andreutius de Senis, F. Ioannes de Trastiberim, F. Petrus Paulus de Aniballe, F. Iacobus de Padua, F. Leonardus de Florentia, F. Ioannes de Narbona, in quorum testimonium præsentes literas fieri mandauimus nostro sigillo munitas, quas ad cautelam in actis nostræ Curiæ fecimus registrari, de quarum etiam præsentatione Roberto de Papia latore præsentium nostro iurato nuncio dabitis plenam fidem. Datum in nostro Monasterio Cassinẽse die 23. mensis Oct. nonæ indict. Quæ quidem literæ sic in papyro descriptæ patentes erant, & apertæ, & impressum est quoddam sigillũ de cæra rubea, vt in præfatis literis asseritur dicti Domini Abbatis. Volentes dictis literis obedire, & mandatis eius, atque ipsius mandata, & præcepta exequi, prout tenemur, quantum in nobis est, & vobis, & cuilibet vestrũ dictas literas Domini Abbatis prædicti in præsentibus, vt supra patet de verbo ad verbum totaliter, & fideliter registratas .... transmittimus, nec non vos, & vestrum quemlibet per præsentem requirimus, vt studeatis venire, & vos personaliter transferre cum uestimentis, & alijs rebus ad vestras personas spectantibus ad dictum Monasterium Cassinense, & singula facere ad quæ ex serie dictarum literarum estis astricti, mandantes Prioribus vestris, & Conuentui, in quo ad præsens singulus vestrum residet, vt vobis tribuant pecuniam pro viatico vestri itineris opportunam, has autem literas registrari faciatis ad cautelam, & sigilli nostri Officij impressione muniri, atque de ipsis literis præsentibus, & de commissione earum publicam scripturam fieri, de quarum præsentatione..... de Florentia nostro iurato nuncio dabitis plenam fidem. Datum in Castro Astiani* (aut *Asciani*) *in plebe Ecclesia Sanctæ Agatæ de Astiano prædicto. Die 23. mensis Nou. 9. indict. Quibus literis, & cõtentis in eis per me visis, & examinatis, & considerans meæ personæ qualitatem, conditionem, & propositum, & deliberatione intra me ipsum præhabita, reputo, & sentio me ex eis, & sententijs, comminationibus, & mandatis in eis insertis, enormiter grauatum, & læsum, & cauens fortius in futurum lædi, & grauari posse. Ideo non valens accedere*

dere propter distantiam loci, in quo resideo, videlicet Ciuit. Bonon. ad præsentiam dictorum venerabilium Patrum Abbatum M. Cassini, & M. Olineti pro interponenda infrascripta appellatione in his scripturis à dictis literis, præceptis, sententijs, monitionibus, & comminationibus, & omnibus, & singulis contentis in eis tanquam ab iniquis, & iniustis sentiens me enormiter, & iniuste grauatum, & timens fortius lædi; & grauari posse in futurum saluo semper iure nullitatis, ad Sanctissimum in Christo Patrem, & Dominum nostrum Dominum Vrbanum Papam quintum, & eius Sanctam Sedem....., & appello, & appellationes peto, & iterum peto, & cum instantia peto, si quis sit, qui possit mihi dare, subijciens me, & vitam, & personam protectioni, & defensioni dicti Domini nostri Papæ, & suæ Sanctæ Sedis protestans, quod hac appellatione pendente nil debeat contra me, & personam meam circa prædicta innouari. Supplico insuper vobis quatenus dignemini dictam meam appellationem intimare per vestras literas, aut nuncium dictis Ven. Patribus Abbatibus Cassin., & M. Olineti meis, & Monasterij mei Conuentus Bon. in quo resideo expensis. Causæ autem mei grauaminis, & iniustitiæ prædictorum sunt istæ, videlicet. Prima quia ego sum in ætate..... perfecta, & non sanus de persona mea, itaque..... accedere non possem ad alia loca, & aliam Religionem sine periculo graui meæ personæ. Secunda, quia nutritus sum à iuuentute mea hucusque in Ordine, & Regula dicti Ordinis M. Olineti, & mihi esset difficillimum, & quasi impossibile mutare, & me alteri cōformare, quod si contingeret me cogi ad eam mutandam posset esse, & esset periculum meæ animæ, & corporis mei dispendium. Tertia, quia iuraui Deo, & voui, & totaliter disposui in ista regula perseuerare perpetuò, & sub obedientia dicti mei Superioris, & Deo ibidem famulari, in qua quiesco, & libenter vitam meam duco, & ducere intendo vsque ad exitum, & finem meam. Quarta, quia non intendo aliqualiter, nec volo diuertere à Monasterio, Regula, & Ordine M. Olineti præfati, in qua sum nutritus, & disposui perpetuò perseuerare, & inuitus non possum, nec debeo de iure per ipsos Abb. & etiam secundum Deum cogi ad Monasterium Cassin. transferri, & meum Ordinem, & habitum, quem elegi destruere, quia qui spiritu Dei ducuntur non sunt sub lege. Quinta, Cum Monasterium, & Ordo, & Regula Fratrum M. Olineti sit salubrior, & magis fructifera, & magis arduam, & strictiorem vitam, quam illam, quæ seruatur in Monasterio Cassinense, & seruetur, & fiat, & seruata, & facta fuerit per tempora retroacta, ita quod non intendo ad laxiorem Regulam, & vitam transire, sed quanto magis finis vitæ meæ appropinquatur, tanto magis intendo Deo famulari cum eius gratia, & auxilio in dicto meo Ordine præfato. Sexta, quia non est vniformitas in celebratione diuinorum, & in Officio diuino dictorum Monachorum Cassinensiū, & Montis Olineti, immo differentia magna. Vnde ego Frater Ioannes salutem animæ meæ in alia Religione, seu Monasterio præterquam in prædicta M. Olineti, in qua sum non spero; immo si contingeret alibi transire timeo de damnatione mea. Lecta, & interposita fuit dicta appellatio &c. Bononiæ in Episcopali Palatio sub anno Natiuitate Domini millesimo trecentesimo septuagesimo, indict. 8. die 4. mensis Decemb.

Scribæ

SCribæ nomen conscissa charta non loquitur. Eo descripto ita sentio. Ioãne Narbonensi fortiter obsistente, alios tamen è nostris, quib. nõ eadem quæ illi, obijcitur in toto negocio difficultas, Montecassinum concessisse, ex his præcipuè, quos antea memorauimus Petrum, & Andream. Vt ut sit, quid de vtroque tradiderint Historiæ (nullum enim in Monte Oliueto monumentũ) exponam. Andreas Fauentinus Oliuetanus anno 1371. prid. cal. Octobres primus & octogesimus Abbas legitur in Monte Cassino. Imperat toto, quo commodum vixit, triennio ad annum vsque 1374. Ad Capitularia, vt aiunt, subsellia sepelitur.

F. Petrus Tartarus Cardinalis Oliuetanus.

Petrus Tartarus Romanus ex Oliuetana familia (Priorem S. Mariæ Nouę apud Romanos lego anno 1372. in tabulario Romano) ad Cassinensem transgressus Abbatiale munus gerit, primùm in S. Laurentij extra Vrbem, tum in Cęnobio Montecassinẽsi, inde à Greg. XI. anno 1375. XVI. cal. Octobres inter Cardinales refertur, vulgò Reatinus. Conuenit cum sex Collegis (datur id quidem crimini) de obsidione, qua Nuceriæ Carolus Rex Neapolitanus Vrbanum VI. circũdedit. Eò à fidelium communione segregatur, Cardinalitio, & Abbatiali honore spoliatur. In vtrunque locum restituitur à Bonifatio IX. qui Vrbano successit, de Anathemate absolutus. Diem claudit Montecassini anno 1395. prid.

Vrb. VI. de sacris confessionibus Priuilegium.

non. Iunias, ibique conditur perhonorificè. Permittitur nomine Priuilegij ab Vrbano singulis Oliuetanis, vt, cuicunque velint vel socio, vel alieno sacerdoti peccata confitentes in extremo vitæ periculo constituti plenam culparum expiationem assequantur. Ad Raynerium Abbatem reuertamur. A deposita dignitate annis octo circumactis ætate

1372.

F. Saluius Florentin. secũdo Ab. Gener. XI. Traditur Abb. S. Miniatis.

prouecta Senis decedit. Ad Generalatum secundò ascendit pro Raynerio F. Saluius Florentinus S. Miniatis Abbatia Florentiæ donatur ab Augustino eam Abbatis titulo obtinente, Monachis in ea commorantibus de nulla Benedictinæ legis obseruatione, idque frustra, accusatis, ne antiquissimum, idemque vetustissimum Cœnobium indignè habeatur, vtque Monastica instituta reuiuiscant, nostræ Congregationis studiosissimus nobis liberaliter adiungit cum possessionibus, prædijsque, quod

1375.

Plura, quibus à Gregorio XI. summo Põtifice, perbenignè afficimur Priuilegia.

altero libro persequemur, re vera quàm plurimis. Dat litteras Gregorius Pontifex Apostolicas pro Oliuetanis, tribuitque, vt qui aliquando rem Oliuetanam professi sunt, possint ad Carthusianos tantummodo perfectionis ergò gradum facere. Per diploma ab eodem emissum Oliuetanos, omniaque Oliuetanorum Cœnobia quouis iure, & quauis Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Præsidum potestate eximimur. Restituit item Gregorius, quod ab Vrbano priuilegium datum est, vt (idque semel tantum in vita) cum vitæ periculum immineat, singulis Montoliuetensibus contra æquum bonumque admissa confitentibus, plenior criminum condonatio tribuatur. In vulgus effertur ipsius, diploma quo Archiepiscopum Rauennatensem, & Abbates SS. Floræ, & Lucillæ Arretin. ac S. Praxedis de Vrbe iubet Oliuetanis contra illos opem afferre, qui occupauerint, vel occupent, detinuerint,

rint, vel detineant, alijsque iniurijs affecerint, vel afficiant ipsorum bona, non modo, vbi conseruatorium locum obtineant, sed etiam alibi, vbi loca Montoliuetensia posita sunt. Multa quoque concedit Pontifex per literas datas Auenione; vt sepulturæ locum apud Oliuetanos liberè quicunque sit deligat, saluo tamen iure Parœciarum; vt à decimis quibuslibet fructuum inmunes habeantur; vt Oppido, Ciuitate, Prouincia, vel Regione sacris interdicta, licet in nostris tantum, eisque sacris ædibus, ianuis clausis, quos Anathema constrinxerit, vel Interdictum, exactis, silentibus campanis, voce submissa, sacrificio interesse. Statuit etiam, vt satis Oliuetanæ fieret dignitati; Ne cui ex ordine Oliuetano ad alium, quam ad Carthusianum transitus detur; sicubi contra fiat tàm ille, qui à nobis recesserit, quàm, qui in aliam familiam assumpserit, Anathematis continuò pœnam subeat, nisi infra mensem remiserit. Si quis impetrata potestate, aliò transeundi, iam à nobis digressus trium mensium spatio euagetur, neque alterum suscipiat institutum, tanquā Apostata castigetur. Prodit ab eodem diploma satis honorificum, quo vetitum iubet, ne quis familiæ Oliuetanæ adscriptus, quibusuis literis, & beneficijs à sede Apostolica impetratis, transgrediatur, vel transferatur ad aliam. Exeunt tandem ab ipso Gregorio literæ, quibus prohibetur, Generales, Visitatores, seu Reformatores per sedem Apostolicam constituti, vel cōstituendi, ne vllum Montoliuetense Monasterium visitent, deque eo in pristinam disciplinæ asperitatem vindicando agitent. Hoc tamen ius esse placet, cum in literis datis à Pontifice additum sit, vt & Oliuetana pariter inuisant, reformētque. Annus 1375. Saluio substituit F. Michaelem Pratensem. Hoc annitente eodem anno, Gregor. XI. cum cognouisset Abbatiam SS. Iacobi, & Christophori (hodie Ruffenianam) Benedictinis adscriptam in Arretino longius à legibus digressam, crederetque per Oliuetanos commodè reuocandam, Blasio Abbate extra Curiam eo tempore mortuo vacantem Monasterio tradit Montis Oliueti, ita tamen, vt tot cum Priore Monachi consideant, quot Abbatiæ redditus sustinere possint. Obtemperatur, quatuor demissis. Antiquitate nobilissima est, asserente, eoque confirmante Conrado Rege & Imperatore Imperij anno V. Monasterium eum Aede Beatissimæ Virg. S. Christophoro, & S. Clementi per auos, proauosque suos erectum, consecratum. Eisdem literis preterea, quæ possidet, alia dono dat, & inter cętera confirmat agrum Cœnobio proximum, quo ante multos annos oppidum, inquit ille, & Turris extructa, quorum nullum hodie vestigiū. Conrados Imperatores duos inuenio, vnum quidem anno Christi 1024. alterum vero anno 1139. ex alterutro auos, proauosq. suos Abbatiam condidisse attestāte, maxima statuitur antiquitas. Appellationem Ruffeni veterem non habeo. Non enim vltra annū ab orbe redempto 1041. sed, vt anno 1303. S. Christophori, & plerumque, vt in diplomate Pontificio, SS. Iacobi & Christophori. Iungitur Abbatiæ anno 1401. ab Episcopo Arretino Aedes SS. Simonis, & Iudę de Sartianello in plebe S. Ioānis

1375. F. Michael Pratensis Abb. Generalis XII. Abbatia Ruffeni Mōti Oliueto attribuitur.

nis de Vescona bellis, cæterisque incommodis planè diruta, nihil penè
reddens. Funditus euersa creditur, eiusque nulla in regione memoria.
Idem, qui supra, Greg. XI. priuilegio exornat triduo maioris Hebdoma-
Vitę forma constituitur asperius viuere cupientibus. dæ Psalmodiam more Romano exercendi. Præterea, summo Cœnobiar-
cha postulante, vt Monachis nonnullis in Monte Oliueto, alijsque Cœ-
nobijs commorantibus, numinis instinctu, Superum charitate, medita-
tionis desiderio impulsis, quò magis proficiant, asperiorem solitudinis
sedem exoptantibus locus maximè opportunus constituatur, Pontifex,
emisso diplomate permittit, vt sapientissimis in consilium adhibitis,
circa Monasterium pluribus etiam in locis minus frequentibus cubicula
coniuncta, vel seposita duodecim, vel partim coniuncta, & partim se-
posita ędificentur Monachis pariter duodecim permāsuris, ibique Ora-
torium, siue templum cum Cœmeterio, cum Turri, vna tātum campana
personante pro consuetudine Camaldulensium in Arretino, vel, quo
modo Præsidi, senioribusque placuerit, extruatur, Eremo religiosissimi
quique destinentur; his ex eodem numero aliqui à Præside præpona-
tur, siue aliàs præpositus confirmetur, cui id præcipuè curandum sit, vt
Eremicolæ à Monastica, & eremitica disciplina, & institutione non
discedant Camaldulensi, vel, quæ à senioribus à Conuentu deligendis
videatur proposita, Oliuetano Abbati, & successoribus, non secus atq.
F. Matthaeus Landius Pratēsis Abb. Gen. XIII cæteri in Congregationem cooptati, perpetuò subijciantur; Inuisat,
corripiat, aliaq. præstet consimilia, quæ alijs consueuerit. Est quoque
in mandatis à Pontifice, vt Monasterium Ruffenianum paulo ante ad-
iunctum Montoliuetensi, prorsus agreste, & ædificiorum vetustate, &
Monasteria, Lucense, & Vendanum. militantium iniurijs ita collapsum, vt Monastico Conuentui idoneum
non sit quantùm Monacho sufficiat, alijue populari sacerdoti anima-
rum imperio defungenti, sensim asseruato, ad Eremum colentes appli-
1378. cetur, eiusq. prouentibus sustineatur. Factum credo initium Eremi cir-
F. Saluius Florent: tertiò. Abb. Gen. XIV. ca Monasterium M. Oliueti, & pro argumento esse Oratoria, quæ & ho-
die inter nemora conspiciuntur, non tamen habitata, cum nullum sit
pęnè cohabitationis vestigium. Michael Abbatiatum dimittens diutur-
no vitæ vsu fruitur, & anno 1402. in M. Oliueto æternum requiescit.
Monasteriū Pistoriense. Subrogatur anno 1378. F. Matthæus Landius Pratensis. Eo præsiden-
te Lucæ Monasterium S. Pontiani, in Patauino S. Ioannis de Venda cō-
sequimur. Anno 1381. ad Generalatum tertiò prouehitur F. Saluius Flo
1381. rentinus. Vt tertio quoque mense in singulis Monasterijs expensi, ac-
F. Iacobus Arretinus Abb. Gen. XV. ceptique codices cognoscantur, decernit. Pistorium Oliuetanos indu-
cit Sancti Benedicti Cęnobio acquisito. Maximo inter suos honori sep-
tennio superstes Florentiæ obit in ædibus S. Miniatis. Post eum Olineta-
Monasteria, Cortonense & Camertinum. nis præficitur anno 1384. F. Iacobus Arretinus. Altero sacræ moderatio-
nis anno iungitur Congregationi per Beatricem Castracaniam fęminam
Lucæ clarissimam Monasterium S. Margaritæ apud Cortonenses, & per
Ioānem Camertū Principē S. Mariæ Nouæ apud Camertes. Socij vtroq.
1384. destinantur, ad Cortonenses octo, ad Camertes quatuor. Quinquennio
autem,

autem, vel sexennio transacto Congregationis instituto aduersantia relinquuntur. Munere perfunctus ætatem ducit annos quatuordecim, ceditque in Monte Oliueto. Anno 1387. Abbas Generalis declaratus 1387.
est F.Ducci. s Arretinus vir quidē summa religione præditus. Sedebat *F. Duccius*
anno tertio, cum Bonif. IX. familiæ nostræ amantissimus, vt proinde *Arretinus*
multa concesserit beneficia, Pontificatum inijt. Summis in re Oline- *Abb. Generalis.*
tana Abbatibus tribuit, vt Monachos in quibuscunque Monasterijs ab- *XVI.*
soluant, etiamsi illa perpetrauerint, quorum absolutio ad maximum, 1390.
vt vocatur in Vrbe Pœnitentiarium spectet. Firmat nouo diplomate *F. Hippolytus*
priuilegium multos ante annos à Greg. XI. concessum, ne quis, vel Nun *Mediolanensis*
cius, vel Legatus delatere a sede Apostolica aliquò dimissus, quicquam *Abb. Gene*
exigere possit ab Oliuetanis. F. Hippolytus Mediolanensis substitui- *ralis.*
tur anno 1390. facie spectabilis, officiosus, egregio in operibus, in ab- *XVII.*
stinentijs, in vigilijs, alijsque corporeis afflictationibus exemplo, *Virtutes*
Congregationis commodo, & progressui maximè studuit, optimis con- *Hippolyti.*
stitutionibus, sanctissimisque ritibus illustrauit. Familiam primo anno
constituit, Priorem nimirum, F. Nicolaum Pisanum cum sodalibus duo-
decim Monasterio S. Hieronymi de Quarto in Genuensi, cuius Alphon- *Monasterij Quartanum.*
sus Eps Iennensis Hispanus auctor, & conditor. Eo ipso anno, cum Bla-
sius quidam Burianensis in Pisano, Senis tñ habitans, fructuum, quos anni tempus tulisset in prædijs Platearum, Patiarelli, Carpineti, Greppanij in Clusurino vsum Bandutiæ nouercæ, & Seuero S. Mariæ de Scala adscripto reliquisset, iussit post obitum, quibus maximè placuisset, viris religionis, pietatisque cultoribus attribuere. *Hi cognoscentes*(tabulæ ita lo-
quuntur) *volante fama per orbem Monasterium fratres, Monachos Capitulum,* *Fiunt Co-*
& Conuentum Sanctæ Mariæ de Monte Oliueto de Accona de Clusuris comit. *mitia Istorij.*
Senarum, & Arretinæ diœc. inter alia pia loca, & personas esse ingentis Orationis, magni spiritus lachrymarum pœnitentiæ, &c. Monasterio Mon-Olivueti piè, legauerunt. Comitia anno insequenti prædia cum non satis tutò, bellis omnia turbantibus haberi possent, iam inueterata
lege in Monte Oliueto, peritissimorum sententia, ad Pistoriense Cœno- 1393.
bium translata sunt. His anno 1393. Hippolytus, F. Laurentio Perusino *F. Laurentius*
imperium Oliuetanum reliquit. Sapientia, & consilio valuit in negocijs, *Perusinus Abb:*
& piorum salutis filiorum studio exarsit singulari. Ordinis quieti, & *Generalis*
conseruationi multa in meliorem locum reuocauit. Montem Oliuetum *XVIII.*
furum, predonum, & militum (bello ardente Italia) incursibus obno- *Turrim ædificat*
xium Pastor ouicularū salutis cupidissimus, vt sine metu cęlestibus ob- *in aditu Mõ*
sequijs inuigilarent, vt Monasterio munimentum pariter, & ornamen- *te Oliueti.*
tum compararet, instruxit altissima Turri, eaque propugnaculis circum-
uallata in fastigio Montis, quà aditus patet ad nos. Perexiguę arcis spe- 1396.
ciem præbet. Facinus quidem apparet nobile, magnificum. Sta- *F. Mat-*
tuit singulis ad mensam, non binis, vt antea, Monachis portionem *thæus Pratēsis*
eduliorum apponi. Anno 1396. tertiò Generalem faciunt F. Mat- *tertiò Abb. Generalis*
thæum Pratensem. Eo imperante F. Ioannes Fabrianensis Mo- *XIX.*

Augemur Monasterio Fabrianensi.

nachus Montefanensis, vel Siluestrinus assignat Oliuetanis Monasterium ab ipso S.Catharinæ positum Fabriani, & cum socijs Oliuetanæ familiæ adscribitur. F.Hippolytus Mediolanensis iterum Abbas Generalis an-

1399. no 1399. Tertium in Monte Olíueto Templum aggreditur, quod superioribus amplitudine, & splendore antecedit. Suprema non imponit opum tenuitate disclusus. Accipit anno à Virgine pariente 1400. Monasterium S.Mariæ in vico Bedagio a Balzarino Pusterlio datum, & dotatum. A Mediolano distat quatuor millia passuum. Hippolytum cum esset Abb.Generalis, & postquam hoc munere defunctus est, sodales è nostris vehementer insectati sunt, vt mœrore, animique tenuitate adductus ad Carthusianos transfugerit. Nostrorum tamen consilio, & sapientia, in primis Laurentini de Arretio, anteaquam vestis Carthusianas indueret, redijt ad Oliuetanos. Vitæ finis illi fuit in Monte Mor-

F.Hippolytus Mediolan. secūdò Abb. Generalis XX.

Instituit tertiam in Monteoliueto Aedē magnificam.

1400. cinio. Hippolyto sufficitur anno 1402. secundò Præses Generalis F. Duccius Arretinus. Laudabile, sanctumque gerit Imperium, & naturæ satisfacit anno 1412. in Monte Olíueto. Idem dignitatis locus tribuitur F.Hieronymo Perusino anno 1405. Sacrarum literarum cognitio pre-

Assignatur Monasteriū Bedagiense.

1402. uexit, eximium in Benedictina disciplina studium, parcitas, & sobrietas in victu, modus in somno, vitæ genus Religioso Præside dignissimum. Anno secundo Monasterium obtinet in Pratensi tit. S. Bartholomæi de Saccis. Tertiò autem S.Helenæ Venetijs à Gregorio XII. Congregationis amantissimo. Hieronymo succedit anno 1408. F. Ioannes Vrbeueta-

F. Duccius Arret. secūdò Abb. Gener. XXI.

1405. nus sapientia, & eruditione insignis, corpore tamen claudus. Annus ex parte nobis reuera fęlicissimus. Idem qui supra, Pontifex Greg. demortuam in antiquissimo, clarissimo, &, quod & hodie opulentissimo, Cœnobio S. Iustinæ Patauino Monasticæ vitæ formam excitaturus, tradidit Oliuetanis edito diplomate, quod à multis, vt non ignoro, expetitum affertur.

F. Hieronymus Perusinus Abbat. Gener. XXII.

Monasteriū Pratēse adipiscimur.

1408.

F. Ioannes Vrbeuetanus Abb. Generalis XXIII.

Accipimus Monasteriū S. Iustinæ Patauinum.

Greg. XII. de Monasterio S. Iustinæ Patauinæ, pro nobis literæ.

Gregorius Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui Monasterij M. Oliueti Ordinis S. Benedicti Arretin. Diœc. Sal. & Apostolicā benedictionem. Romani Pontificis, in quo potestatis plenitudo consistit, & cui omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, & Ordinum sollicitudo incumbit generalis, intendens eorum profectui, & saluti animarum, interdum de illis pro sua voluntate disposuit, prout secundum Deum, & qualitates locorum, & temporum conspicit expedire. Dudum siquidem dilecto filio nostro Antonio tit. Sancti Petri ad Vincula Presbytero Cardinali tunc Episcopo Bononiensi, & tunc, & nunc Camerario nostro Monasterium Sanctæ Iustinæ Paduanæ Ordinis Sancti Benedicti Monachorum nigrorum, tunc Abbatis regimine destitutum, & antea dispositioni Apostolicæ reseruatum per ipsum Cardinalem tunc Episcopum, tenendum, regendum, ac etiam gubernandum per nostras literas, vsque ad Sedis Apostolicæ beneplacitum auctoritate Apostolica duximus commendandum, prout in ipsis literis continetur. Nos itaque ex iniuncti nobis pastoralis officij debito ad reformationē dicti Monasterij in spiritualibus, ac temporalibus paternis affectibus inten-

intendentes, Motu proprio, non ad vestrum, vel alterius pro vobis, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, & ex certa scientia Monasterium prædictum cum suis domibus, hortis, hortalitijs, ædificijs, & alijs officinis, ac cęteris possessionibus, iuribus, & pertinentijs. Vniuersis vobis, nec non pro vsu, & habitatione..... atque Monachorum Ordinis vestri, ex nunc auctoritate Apostolica liberaliter donamus, ita quòd liceat vobis ex nunc corporalem possessionem eiusdem Monasterij, cum domibus, hortis, hortalitijs, ædificijs, officinis, ac cæteris, nec nō possessionibus, iuribus, ac pertinentijs supradictis auctoritate propria liberè apprehendere, & perpetuò licitè retinere, Diœcesani loci, & cuiuscumque alterius licentia, seu consensu super his minimè requisitis. Quòdque vos de fructibus, redditibus, & prouentibus dicti Monasterij quingentos florenos auri de Camera pro Abbatis, vel Prioris, nec non Conuentus, seu Monachorum dicti Monasterij, qui pro tempore in illis residebunt, ac eorum ministrorum substentatione annis singulis dumtaxat percipere possitis, quodque residuum eorumdem fructuum, reddituum, & prouentuum prædicto Cardinali, ipsa Commenda durāte, cedat integre, ipseque Cardinalis de huiusmodi residuo disponere, & ordinare, ac illos in suos vsus conuertere possit, iuxta tenorem earumdem. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, quòd cedente, vel decedente dicto Cardinali, aut regimine, nec non administratione dicti Monasterij aliàs, quomodolibet dimittēte, ex tunc ipsum Monasterium vobis pro huiusmodi vsu, & habitatione cum domibus, hortis, hortalitijs, ædificiis, officinis, terris, possessionibus, & iuribus supradictis absque quocumq. onere vestro liberè deinceps debeat remanere, prouiso, quòd propterea in ipso Monasterio cultus diuinus nullatenus minuatur, & per vos consueta onera ipsi Monasterio incumbentia congruè supputentur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus Monasteriorum, & Ordinis prædictorum cōtrarijs, iuramento, Constitutione Apostolicà, vel quacumque firmitate alia roboratis, & alijs contrarijs quibuscumque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, si secus super his à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ donationis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Lucæ, decimo Calen. Iunij, nostri Pontificatus anno secundo.

ADimus, biennium obtinemus. Legimus primo anno, qui annus à Dominica Natiuitate numeratur 1408. munia Abbatis cum sodalibus sexdecim executum F. Franciscum Patauinum, altero solum sedisse Abbatem. Vltra non possidemus. Nam qui primò Cœnobium habebant Reipublicę Venetę fidem implorantes, & in sacris legibus custodiendis, quam & honestissimè tenuerunt, Duce Ludouico Balbo Veneto, constantiam pollicentes, nostris potius exturbatis, quàm amotis, restituuntur. Antonius de Butrio Legum cognitione notissimus hoc æuo conficit vitæ curriculum. Nostris adscribo, cum, quòd Congregationem Oliuetanam, & præcipuè Monasteriū S. Michaelis in busco summè dilexit,

Recedim⁹ non multò post.

Antonius de Butrio amantissimus Oliuetanorum.

xit,& pro tempore beneficijs exornauit, tum, quia ad aliquod fortasse breue temporis spatium nostram vitæ rationem coluit. Testem appello codicem in M. Oliueto grauissimum, quo hæc de Antonio memorantur. *Egregius I.V. Doctor famosissimus Dominus Antonius de Butrio Ordinis nostri valde deuotus & benefactor, qui præcipua affectus deuotione habitum nostrum petijt, & cum ipso in Monasterio nostro Sancti Michaelis in Busco de Bononia sepeliri voluit.* Tumulus in Perystilio octangulo fixus humi. Circa lapidem impositum, quæ consequuntur vix legere potui.

Qui legum ante alios interpres vixit acutus
Scæuola pro iuris cognitione nouus.
Et Canonum princeps, nulli pietate secundus,
Traiano & compar integritate fuit.
Consilio æquauit magnum & grauitate Catonem.
Antonius de Butrio, quanta sepulchra colit.

M. CCCCVIIII. Oct.

Io. XXII. sūmi Pōtificis in Oliuetanos sūma charitas.

Interim Romæ summus Pontificatus Ioanni 23. traditur. Is tanta in Congregationem charitate exarsit, vt duos è nostris continenter assidere voluerit, iterque facientem comitari, & sponte sua, quæ, & quanta nemo Oliuetanus Priuilegia petere ausus esset, perhumaniter dedit. Hoc ipso anno Gurellus Aurilius primariæ Nobilitatis inter Neapolitanos, Virgine Deipara (quod è miraculo accidit) iubente, Neapoli spectabile Cœnobium ad nos transmittit. Fratri Ioanni Vrbeuetano successor sublectus est anno 1411. secundùm F. Laurentius Perusinus. Turris ab ipso iam institutæ ædificationem prosecutus est. In opere Miraculum contigisse memorant. Monachis more suo fabris opem afferentibus, & ædificij, cuius iam suprema viderant, fulcimenta tollentibus, vnus è tabulato, quod ferè Turris fastigium attingebat, præceps ruit. Altissimo casu non modo periturus, sed & omnino perfringendus fuit. Laurentius, qui & aderat, cum præcipitem animaduertit, opis incertus, poplite curuato, Gloriosa, inquit, Virgo Maria miserum excipe, &, quæ tua summa pietas, epitulare. Surgens à precatione, continuò ad fenestram. Funebre spectaculum suspicatur oculis exhibendum. Attamen cum cęteris stantem maximè admiratur intactum, inuiolatum. Hinc Monachis, alijsque, quibus ea res admiratione plenissima significatur, maior in Virginem religio accessit, sanctiorq. de Præside opinio, cuius precibus tam admirabile beneficium in acceptis referendum volunt. Tertius erat Laurentio maximæ dignitatis annus, cum literas emittit Ioan. XXIII. quibus hæc sancita voluit, vt Abbas Generalis electus iuramētū deferat Vicario Generali, se leges Oliuetanas diligentissimè seruaturum, alijsque eodem cum studio seruandas curaturum; si id omiserit, à fidelium communione segregetur, & à Pontifice tantummodo restituatur; si quid in administratione triennali deliquerit, cū primùm Abbatiatu se abdicauerit per tres Monachos idoneos, quos Generalis Oliuetanorum con-

Obtinetur Monasterium Neapolitanum.

1411.

F. Laurentius Perusinus Abb. Generalis XXIV.

Miraculū in ædificatione Turris.

Io. XXII. Pont Optim. Max. Priuilegijs Congregationē magnificè prosequitur.

conuentus declarauerit, iureiurando adstrictos, in iudiciū euocatus examinetur, damneturque duobus, vel tribus fide dignis in testimonium adhibitis; si quem sibi artificio aliquo successorem parare studuerit, cum socijs, & conscijs Anathemate vinciatur, & nullum in electionibus habendis suffragium vel ferat, vel accipiat; pœnis eisdem sit obnoxius, qui seipsum, vel alios in summo Generalatus loco, Comitijs aut ex toto, aut ex parte refragrantibus, ponere contendat. Alio item diplomate statuit primùm, vt controuersiæ, quæ in curijs sæcularibus de rebus ad Monasteria pertinentib. exagitentur, in curia aliqua Ecclesiastica constituantur; Deinde vt Præsidibus, & Magistratib. Oliuetanis non nisi coram Pontifice, & Conseruatoribus dies dicatur. Denique rata facit quęcūque à superioribus Pontificibus, scriptis diplomatibus, permissa sunt. Sunt & literæ Pontificiæ à Ioanne; quæ familiam Oliuetanam illo priuilegio exornant, quod verè maximum, vt sit à quouis publico, & Principum imperio populatibus imposito onere libera, & soluta. Laurentius ex humanis desijt anno 1417. ad Montem Oliuetum. Abbatiatus Generalis demandatur anno 1414. Fratri Laurentino Marsupino Arretij in lucem edito. Summæ integritatis est, animiq. sacris tuēdis addictissimus. Tertio templo, quod in Monte Olìueto F. Hippolytus inchoauit fastigium imponit. In secundo Monachis Sepulchretum componit. Triennium exegerat Laurentius, cum Oliuetana prouincia traditur F. Hieronymo Miraballo Neapolitano. Euehit non ætas, annum enim nonum, siue, quod lego aliàs, quintum & vigesimum agitabat; sed senile consilium, vita seuera, asperitas Monastica, bonitas eximia, vitæ genus admirabile. Addite, si placet hæc, licet iam dictis posteriora, in rectore tamen, & Principe viro non spernenda, corporis proceritatem, formæ reuerentiam. Victus eiusmodi, vt alius eo vix ætatem sustineat. Ea quietis breuitas, vt, si quatuor horas decuberit, sommo satis datum arbitretur. Reliquam noctem legendo, orando, meditando absumit. Cum antea inter populares, tum postea inter Oliuetanos; si potissimùm sacra spectaueris, sapientia eminet. Non vulgaris in dicendo facundia, quam singularis facilitas consequitur. In Comitijs alijsq. locis mirum in modum enituit. Maturiores annos adeptus codicem scripsit maxime religiosum. Habeo manuscriptum. Inscribit, *De spirituali Monachorum, & Religiosorum conuersatione*, & ingreditur illis verbis, *Apostolica tuba* &c. Vtriusque potestatis Principes Hieronymum tanti faciunt, vt Ecclesiasticorum Pręsulum audient posthabere nemini. Eius, & Monachorum, quibus præerat virtus, quò magis elucesceret mortalibus, Deo permittente factum est, vt primo anno res Oliuetana summo cum periculo agitaretur. Monachus è nostris nomine Gentilius Mutinensis Venetijs degens in Monasterio S. Helenæ, elationis spiritu nescio quo sublatus, sodalibus non absimili ingenio sollicitantibus, sanctioris, & asperioris disciplinæ titulo scelus aggreditur, agitque de Veneto Monasterio sibi libero iure obtinendo. Re cum Venetis nonnullis optimatibus communicata,

1414. F. Laurentinus Arretin. Abb. Generalis XXV.

Tertia Aedes absoluitur.

1417. F. Hieronymus Miraball. Neap. Abb. Gen. XXVI.

Quæ præcipuè commendarent Hieronymum.

Accidit ex falso fratre Congregationi graue periculum.

de

de sua Congregatione multa oblocutus, fidem implorat. Illi, vtpotè qui consilio plurimùm valeant, Gentilij contra Oliuetanos machinamenta percipientes, impio animo non adstipulantur, sed pietatis ergò enunciãt Cenobiarchæ. Is, facinore cognito, ad Priorem S. Helenæ scripsit, vt Gentilium traderet in custodiam, quod cùm ille resciuisset, solum vertit, & ad Concilium Constantiense pedem attulit. Ibi multa falsò, & inuidiosè dicta Martino V. in Montoliuetenses euomuit, sed in primis maximè distractos. Per eos ferè dies in Italiam ad Ecclesiastica negocia discessurus F. Leonardus Florentinus Prædicatoriç familię Generalis Magister habuit in mandatis a Pontifice, vt cętũ Oliuetanũ inuiseret, & pro necessitudine consuleret. Igitur Leonardo Gentilio secum assumpto, per Italiã iter habenti, qua Bononia Florẽtiã ducimur, sũmus Oliuetanorũ Antistes obuius est; Pedes, & modestus incedit comite Monacho, qui manibus ducit equum, quo itineris labore defessi inuicem vtuntur. Abbatis modestiã, & inopiam cum admiratione suspicit Visitator, atque intentissimè contemplatus Deo vera pietate famulantem agnoscens, ex equo descendit, reuerenter salutat, Pontificis mandata exponit. Abbas dicto audiens Florentiam reuertitur, quò è finitimis Cœnobijs plures euocat Monachos, statuente Visitatore. Euocati die præstituta Florentiæ apparent ex his F. Ioannes Vrbeuetanus, F. Hieronymus Perusinus superioribus annis Abbates Generales, F. Petrus Sardus, F. Nicolaus Arianensis, F. Petrus Neapolitanus cęteris probitate antecedentes. Sodalium in Præside audiendo perspecta celeritate, singulis de Congregationis statu diligentissimè interrogatis ab hoste teterrimo omnia falsò per Gentilium imposita Oliuetanis didicit, vt in tam sancto imperio sacræ familiæ trãquillitatem violaret. Dehinc Florentia proficiscitur, viamq. susceptam prosequitur, nostra disciplina laudata, Gẽtilio vinculis, & supplicijs addicto, certiorem facturus de rei felicitate Pontificem. Reus furtim elabitur, & vita cedit Religionis desertor. Hieronymus Abbatiatum depositurus à Nicolao Estensi Ferrariensium Marchione Monasterio donatur S. Georgij propè Ferrariam. Subrogatur in Oliuetanum imperium anno 1420. F. Ioannes Vrbeuetanus secundùm. Eius memoria augemur Monasterio S. Mariæ Annunciatæ nostræ de Scola Arimini, quod Carolus Malatestius Princeps condidit, bonisque latifundijs locupletauit. Rursus in prima sede Montoliuetensium collocat annus 1423. F. Hieronymum Perusinum. Traditur hoc triennio Monasterium S. Seueri de Vrbeuetere. Dimittitur à nostris aliquot post annos uitæ Monasticæ non consonum, cæterà licet commodis externis ornatissimum, Paulo secundo Pontifici. Rata, firmaque esse iubet edito diplomate Martinus V. omnia beneficia, & singula priuilegia, quæ Pontifices superiores summa cum liberalitate concesserint, tribuerint Montoliuetensibus. Triennio absumpto, abdicat se Generalatu Hieronymus, & Perusiæ in Monte Morcinio optimo viuens exemplo naturæ concedit. Post eum prouincia permittitur anno 1426. F. Andreæ Bononiensi, cuius in aduersarios benignita-

Legatur à Pontifice Visitator Rector Maximus Dominicanorum.

Abb. Generalis sine pompa occurrit.

Maledicta omnia falsa comperit Florentiæ Visitator.

Petimur Monasterio Ferrariensi.

1420. *F. Io. Vrbeuetanus secũdò Abb. Gener. XXVII.*

Deseritur Monasterium Ariminense.

1423. *F. Hieronymus Perusinus secũdo Abb. Gener. XXVIII.*

Accipitur, et paulo post relinquitur. Monasterium Vrbeuetanũ.

F. Andreas Bononiensis Abb. Generalis XXIX.

1426.

nignitatem, in pauperes, quos vt aliquando operiret, suas ipse vestes exuisse dicitur, misericordiam ad astra ferũt. Eius pietatem obfirmat excitatum in Monte Oliueto hospitium, quo alienigenis quotidie humanitatis officia prestentur. Imperium secundo anno agitabat, cum Angelus Summariuius Cardinalis Laudensis fundatum, ditatumque Villæ-nouæ Monasterium sex millia passuum à Laudo appellatione SS. Angeli & Nicolai (hoc nomine frater dicebatur) detulit nostræ Congregationi Andreas emigrat Abbas Ruffenius anno 1456. Sufficitur 1429. F. Ioãnes Vrbeuetanus tertiùm. Hic facies Olinetanorũ immutari cępit. Cum enim Martinus V. cognouisset, regularem Disciplinam in multis rebus dissolutam, & religiosa patrum instituta penitus deserta, Cardinales denunciat Antonium S. Marcelli, & Nicolaum tit. Sanctæ Crucis in Hierosolyma, dum ætatem agerent, nostrarum Constitutionum reformatores, Visitatores, Correctores, earumque in primis, quę, cum nullam rationem haberent, à Monachis non facilè tenerẽtur. Principes accersito cum sodalibus vitæ laudabilis, & notæ prudentiæ viris Abbate Generali, de illis edocti, quæ in meliorem formã redigenda videbantur, multa decreuerunt in perpetuum obseruanda, eaque promulgarunt anno 1430. XVI. cal. Iunias. Præsidi maximo darentur Monachi sex idonei, quos Visitatores appellaret, eorumque Cęnobiorum Priores faceret, in quibus octo minimùm sodales agerent, eiusque vicem obiret, ille, quem Priorem declararet Montis Olíueti. Primos Visitatores legerunt F. Hieronymum Perusinum, F. Nicolaum Regiensem, F. Bartholomæum Mantuanum, F. Petrum Neapolitanum, F. Baptistam Podiobonitianum, & F. Benedictum Hispanum, quorum iudicio per annua Comitia è re nata Priores, Præsides, Præfectos, & vniuscuiusque Cœnobij familiares constitueret, vel remoueret. Plerisque illorum abnuentibus Constitutionum, pœnarumque delinquentibus gratiam non faceret, Congregationis commoda & fortunas, nec distribueret, nec absumeret. Tempora Visitatoratus ita præscriberentur, vt tribus in singulos annos à Visitatorio munere solutis, Abbas Generalis cum cęteris Visitatoribus tres alios eligeret, atque ita quotannis è sex amouerentur tres, qui id muneris gessissent, nec prius eodem reuocarentur, quam biennium vacassent. Bono Monachorum exemplo, vtque nulla esset occasio peruagandi, idem Abbas Generalis in Monte Oliueto consisteret, neque eiusdem Monasterij fines egrederetur, quos ad octo millia passuum statuerunt, vbi tamen Congregationis necessitas, & vtilitas ferret, per omnes vel plerosque Visitatores liceret, duobus comitantibus excedere, inuisere, & exequi quæcunque fuerint necessaria. Ad modestiam & ad exẽplum, duobus annis elapsis in Comitijs generalibus misericordiam postularet, idest absolutionem ab officio Abbatiatus, ibique tres Priores, quos altero quoque anno mutarent, dicerentur, qui, quæ in sua administratione fecerit, examinatis, omnium, vel plerorumque Visitatorum suffragio, si causa vrgeret, reique publicæ commodum pateretur, facerent

Acquiritur in Vrbe Laudo Monasterium.

1429. F. Io. Vrbeuetanus tertiùm Abb. Gen. XXX.

Tres Cardinales à Pontificia Reformatores &c. statuũtur.

Permulta sanxerunt de numero & munere Visitatorũ de officio Abbatis Generalis, de Comitijs, &c.

rent

rent (ita loquebantur) misericordiam triduum, si expedierit, interim Præses loco non abiret, sed sodalibus, vti antea, imperaret. Martinum ætate perfunctum consequitur in Pontificatu Eugenius IV. qui disciplinæ, quos supra diximus, Restitutores firmauit, & multa beneficia collocauit. Anno 1431. Abbatib. & Monachis in Monte Olifueto coactis ad Comitia cal. Maijs celebranda ex instituto, F. Ioannes cum grauiter iaceret, nec in templo adesse posset, per F. Hieronymum Neapolitanum Priorem in eodem Cœnobio, suumque Vicarium retulit, se Cardinalium decreto, misericordiam, hoc est, absolutionem ab officio petiturum, longiorem Oliuetanæ familię administrationem morbo non permittente, petere non solum ab omnibus misericordiam, sed etiam liberè, suaque sponte deponere. Relata Patres vno consilio ab ipso Ioanne audire volunt. Cubiculum, quo iacebat, ingrediūtur, eadē accipiūt, oratione, tradito Priori sigillo, vt alterum quàm primùm subrogent. Igitur Templū repetentes insignia Generalis Abbatiatus deferunt eidem Priori, & Comitijs Præfecto, venerabili, sanctoque viro, quod in prima renunciatione expositum est, anno 1431. Anno proximo consequenti Antonius Cardinalis alter è duobus disciplinę Restitutoribus, F. Nicolao Regiensi, F. Philippo Adurnio, F. Petro Neapolitano Visitatoribus, & F. Bartholomæo Genuensi in Cœnobio Romano Priore rogantibus, editis legibus, alias adscribit. Vt in posterùm Abbas Generalis imperet quadriennium, ita vt biennio absumpto cōfirmetur. Nullus maxima Abbatiatus prouincia deposita, ad eamdem rursus euocetur, nisi octennio post; Ne in singulos annos Comitia generalia celebrentur, quod magno sumptui Monasterijs, magnoque incommodo Monachis sint, sed duobus annis euolutis, tertio à Paschate de Dominico; Vacante siue ex obitu, siue ex alia causa Abbatiatu Generali, succedat cum Visitoribus Prior Montis Oliueti, & proximo post Pascha die Dominico nouus Præses eligatur; Ne cuiusque Conuentus Monasterij mittat ad Comitia duos Monachos cum Priore, sed vnum tantummodo sacris initiatum, qui de omnibus, quæ tractantur in Comitijs, suffragia ferat. Narrant, perlata hac lege, Visitatores, aliosque magnopere institisse, indignissimum esse arbitrantes, in Comitijs plura Monachorum, quam Præsidum suffragia esse, vnde illi numero valentiores voto potirentur, his vel inuitis, quorum auctoritati, dignitatique plurimùm detrahebatur. Augemur hoc tempore Monasterio S. Venerij de Portuuenerio, legiturque cum socijs tribus Prior F. Philippus Adurnius Genuēsis. Annus labebatur ab orbe redempto 1435. Cum, bellis, quę in Etruria gerebātur, Comitia in Monte Olifueto prohibentibus, Abbates, ac Visitatorum iussu in Monasterium Ariminense transferuntur. Ibi pro legibus nuper constitutis, tertia à Paschalibus ferijs luce Dominica V. Non. Maias, cum Abbas absolutionem petijsset, Præsides (quos miserunt Conuentus Monachos, non suffragantur à Cardinale exclusi) tres eligunt, qui Abbatem adeant, & pro meritis triduo dent, vel denegent in alterum biennium

Margin notes:

1431. *F. Ioānes morbo implicitus Comitijs non interest, sed per Vicariū Generalem munus suū exequitur.*

F. Hieronymus Neapolit. Abb. Generalis XXXI.

Antonius Cardinalis vnus è Reformatoribus alias leges promulgat de creando Abb. Generali.

Dono datur Monasteriū Portuueneriū.

1435. *Comitia celebrātur Arimini.*

nium confirmantes. Confirmatus eodem pariter afficit honore reliquos Priores, & præfectos, quos Obedientiam voluit iterum sanctè promittere. Quadriennium appetebat, cum varia sese extulit Monachorum opinio de Abbate maximo eligendo. Monachi, qui à Conuentibus ad Comitia mittebantur, cum ægrè ferrent, nullum in ea electione suffragium dare, aiebant, Constitutionem Reformatorum non æquam, quòd communis dignitatis locus communi etiam suffragio comprobandus esset. Contra tamen, plerique ex Præsidibus (plerique inquam, cũ nonnulli pro Monachis facerent) non rectè numerum, & auctoritatem priuatorum in rebus Comitialibus, non modò æquare, sed etiam fortasse antestare Præsides, proinde à Decretis non recedendum. Dissidium eò deductum est, vt ad aures Pontificis, qui ea tempestate Florentiæ morabatur, perueneris. Ideo futura Comitia præceperit in Monasterio Florentino celebrari, & Cardinalis Sãctacrucius alter è Monasticæ vitæ reparatoribus sanciuit, vt Monachi omnes, qui in leges Monasticas iurassent, tam Clerici, quàm Conuersi ad Vocum, vt loquuntur, electionem conuenirent in singulis Monasterijs, non autem ab ijs eligerentur præter eos, qui sacros Ordines suscepissent. Anno igitur 1435. IV. cal. Iunij, quo die tertia à Paschate illuxerat dies Dominica (id non amplius repetam, sed cum de eligendis Generalibus sermo fuerit, semper intelligetur) coeunt Florentiæ Oliuetani. Hieronymus antequam, vti mos erat, abdicaret sese Generalatu, quò Congregationis consuleret tranquillitati, &, neque animo Pontificis, Curiæque, praua, Monachis discrepantibus, insideret opinio, publicè sæpius, & priuatim dixit omnibus & Præsidibus, & Monachis, multisque rationibus ea ipsa, quam & natura tribuerat, & Deus pariter infuderat, eloquentia explicatis, à dissidio ad veræ pacis amorem, cupiditatemque adduxit. Ita sedatis omnibus, & in eandem sententiam perductis, Pontificem orauit, vt, quam Constitutiones, legesque Apostolicæ Abbatis secreto scrutinio declarandi iam ante prescripserant, forma, & ratione solutis, eo duntaxat tẽpore, potestatem faceret eum viua, vt aiunt, voce renunciandi. Pontifex assensus est, & Hieronymo Abbatiatum deponente, F. Bartholomæus Adornius Proabbas, præmissis Deo precibus, F. Laurentinum ab Arretio summo semel inter Oliuetanos honore vsum, Abbatem proposuit, & nominauit, eumque Comitio egredi iussum, Patres iterum rogauit, an placeret? Annuentibus cunctis intromissum Abbatem pronunciauit, & ante aram maximam deduxit, vbi supra tapetum procumbente, pannoque cooperto, hymnus agendis gratijs accommodatus decantatur. Te Deum &c. deinde Veni creator Spiritus, &c. demum ex instituto Abbatiale munus in Odęo suo loco assidenti contulit. His gestis, ne vlla in posterum sit disceptationis, & controuersiæ causa, Cardinalis, cuius paulò ante meminimus, Sanctacrucius, omnibus, qui Comitijs intererant approbantibus, decreuit, vt posthac omnes Priores ad Comitia Generalia comitem assumant Monachum, quem Conuentus elegerit,

Abbas Generalis cępit in alterum bienniũ confirmari.

Monachis discrepãtibus Pontifex Comitia vult Florentiæ, vbi & ipse erat, haberi.

1435.

F. Laurentin' ab Arretio secũdo viua voce Abbas Generalis XXXII.

Ritus, qui, creato Abbate, obseruantur.

Ad tollendas cõtrouersias lex est, vt ad Comitia Abbates cũ comite Monacho accedant.

cui & in creando Abbate, & in alijs ad Comitia pertinentibus, quod ad hanc vsque memoriam retinetur, suffragia ferre liceat. Sic, fauete Deo, pax restituta Congregationi. Quæ Pontifici cum primum cognita sunt, & familiaribus, magno quidem exemplo fuit vna, eademque in rebus diuinis, suæque Congregationis pace tuenda voluntas. Hieronymus verò anno 1437. graui morbo affligitur. Rumor dissipatur. Præsides, & Monachi complures in finitimis Cœnobijs ætatem agentes salutatum adueniunt, quibus, priusquam decedat, bene precetur. Dum igitur in Monasterio commorantur, supremæ abitionis dies instat, quem apertissimè socijs circumsistentibus prænunciat, his verbis. Hodie hora vespertina erit mihi beata requies. Igitur circumstantes, qui psalmis, precationibus, & lacrymis morituro subueniebant, ad leges diuinas iuxta, atque Benedictinas retinendas cohortatus, sacramentis confirmatus, & supra modum gaudens, qua hora prædixerat, spiritum Deo reddidit quinquagenarius. Laurentinus, qui Hieronymo subrogatus est, vt paulò ante diximus, anno 1435. à Sigismundo Imperatore accepit Monasterium opulentissimum S. Margaritæ de Demisio in Pannonia; inde alterum, vt loquuntur, S. Pauli de Buda, haud tamen satis libenter, quòd cum inuisenda essent, & Italia excedendum, & difficilia, ac longa itinera suscipienda. Nihilominus non respuenda censuit, ne quid iniuriæ faceret Imperatori familiam Oliuetanam summo studio veneranti. Primus Abbas F. Bernardus Vercellensis destinatus eò cum tribus, vel quatuor sodalibus dimittitur. Præsidet sexennium, (quo spacio fuit aliquando Monachi decem) Vitam magno integritatis exemplo traducit, elaboratque; immortalem sanctitatis famam assecutus; &, quod audio, Deo per eius merita insignia multa, & admiratione digna perpetrante, Pannonici religiosè coluerunt, coluntque fortassis, vt propterea Pio II. in Commentarijs auctore, ossa reuerenter custodiantur. Scripsit Beatus Pater, & ad alterum venerabilem, piumque virum Oliuetanum F. Antonium Bargensem, qui ab illo proximus in Pannonia functus est Abbatiatu; misit variarum precum, & meditationum codicem dialogisticum. Diligenter olim seruabatur in Monte Oliueto. Hodie latet omnes. Hæc duo Monasteria causis antedictis, & Imperatore vita functo, & cœlo, cultuque Pannonico ab Italico plurimùm distante, paulò post, anno nimirum 1445. Abbate F. Nicolao Sanoniano, viro nescio cui tradita sunt. Non prætereo, Sigismundum Oliuetanos ita complexum, vt, cum in Pannonia duo illa Cœnobia sponte sua attribuisset, dum in Italia magno illo schismate trium Pontificum Ecclesiam liberaturus elaborauit, Aedes Oliuetanas, frequentissimè adiuerit, multa largiter impertiuerit. Id præcipuè factum non ignoro anno 1433. Perusiæ in Monte Morcinio, vbi insignibus equestribus decorauit virum nobilem Perusinum Agamemnonem Comitis Iacobi de Archipretis filium. Fuit etiam aliquando Senis in S. Benedicto, & adolescentulum in familiam nostram assumendum ex præcipua quad. Religione sacris, & Oliuetanis indumentis

F. Hieronymus Mirabellus sanctè excedit.

Sigismundus Imp. duobus nos auget in Pannonia Monasterijs.

Præest sanctissimè F. Bernardus Vercellensis.

Cœnobia Pannonica deseruntur.

Sigismundus Imp. ad Montē Morcinū, & in Cœnobio Senēsi adolescentulū vestibus nostris induit.

mentis operire ipse voluit, vt Monasterium liberaliter donauit. Quòd tantus in Congregationem Oliuetanam huius Imperatoris, aliorumque Principum amor extiterit, nulla quidem admiratione afficietur, si secū ipse reputet, quamuis, vt diximus, iam centenaria; vltra quòd æquum docet experientia ipsa quemlibet uel religiosum cetum aliqua ex parte immutari, ac a pristino, & asperiori uitæ cultu nonnihil excidisse uideretur, hac tamen tempestate floruisse, pristina seueritate, licet optimis illis præcipuè Patribus alia sententia esset, piè retonta. Quid Antonius ipse Bargensis in sua Historia, quæ penes nos est, manuscripta ediderit, audiatur. *Nunc quidē in præsentiarū* (eius verba sunt vel nō expolita) *quanquam non æquali modo vt patres nostri tamen regularis obseruantia strictè tenetur. Nam ab idibus Sept. vsque ad Domini resurrectionem quotidie ieiunamus; nullam penitus violantes diem, dumtaxat diem Dominici Natalis, in quo ob tantæ solemnitatis reuerentiam minimè conuenit abstinere. Porrò si quis Visitatorum, vel Abbas Generalis aliquem vellet necessitatis causa, vel recreationis, seu etiam aduentus peregrinorum fratrum dispensare eis solum liceret; tamen id rarò fit. Tempore namque vindemiæ hactenus consuetum fuit dispensare, vbi oportet vindemiare. Istis autem prætermissis diebus, nec Prior potest dispensare conuentum absque licentia Abbatis Generalis, seu Visitatorum, quæ non leuiter conceditur. A Pascha vsque ad Pentecosten, nec vnum diem ieiunamus iuxta præceptum regulæ. A Pentecoste autem vsque ad festum Exaltationis sanctæ Crucis, quartam, sextamque feriam ieiunant fratres, nequaquam hanc normam violantes, nisi nimius feruor æstatis incaluerit. In aduentu Domini, in Quadragesima, in vigilijs ab Ecclesia statutis, & in omni die Veneris lacticinia, nec oua concedimus. Carnes nunquam mandimus, nisi grauis interuenerit infirmitatis necessitas, quòd vt infirmatus se melius habere cognouerit, cito dimittit eas, & ad proprij Conuentus reuertitur vsum. De vestibus quid dicam? Non enim antiquis patribus comparandi sumus, qui modicis, ac paucis pannis vtebantur, tamen nec gyrouagis conformari credimus. Nam tunichinum penitus sine euidenti necessitate, videlicet infirmitatis, tenemus. Camisiam autem neque lineam, neque laneam portamus, sed tantùm super nuda carne simplicem tunicam. Vnusquisque nostrum tres ad vsum habet tunicas cum cuculla, & scapulare. Singulis quoque dantur pedules, & capellinæ necessariæ. Nam caligæ difficilè conceduntur, ijs dumtaxat, quos infirmitas, seu senectus vrget, vel alia vrgentissima causa deposcit. Pellicijs omnino quisquam nostri, quamuis fuerit antiquus, aut infirmus, non vtitur. Balneorum verò vsus præstatur in necessitate ab Abbate, vel Visitatoribus. Nullus Monachus potest manducare, aut bibere sine sui prioris licentia, & huiusmodi licentia haud illis conceditur per annum, sed per diem & horam; quod si quis secus fecerit, manducans, aut bibens absque licentia, à Priore suo minimè valet absolui, ad Abbatem reseruatur. Qui autem contra honestatem quid vel in minimo actu, impudico videlicet animo fecerit, eidem subiacet vindictæ. Nocturnalem nempè Synaxin secundùm Regulæ decretum, tam æstiuo tempore, quàm hyemali sagaciter celebramus, nec vllus ualet post Matutinū, nisi cū sui maioris licētia, dormire. Vnde quidam Abbas fecit fieri in singulis ostijs Cellarum duo foramina, quæ clausa in qui-*

Familia Oliuetana insignis sanctitate & eruditione floruit.

F. Antonius Bargensis Historicus Oliuetanus.

busdam Monasterijs adhuc videntur, vt senior deputatus potuisset videre vigilantes, & dormientes. Vota proinde, quæ profitentur ij, qui mundialibus curis dorsa verterunt, optimè hucusque in nostro Ordine, communiterque seruantur. Quid nam de Obedientia dicturi sumus, in qua totius Religionis consistit robur, & fundamentum? Omni quidem anno ab Abbate, & Visitatoribus fiunt de nouo familiæ, mutanturque fratres de loco ad locum, vt melius nouerint saluti animæ singulorum conuenire; mittunt cedulas singulis Conuentibus, in quibus continentur mutationes, quibus sicuti Euangelio tam Prælati, quàm subditi obediunt. Transmigrantibus autem de loco ad alium locum propter obedientiam, datur à Priore Monasterij, à quo recedunt, pecunia eorum victui necessaria, dum itinerantur. In communi, profectò iuxta beatissimorum Patrum leges viuimus, nec vllus quid esse suum dicere audet. Fit quidem à Visitatoribus temporibus congruis magna inquisitio proprietatis; nam post triduanum ab eis terminum impositum, vt moris est dare, si quis parum, vel multum possidens contra maiorum voluntatem non vltroneus panderit delictum suum, illico excommunicatur. Cæterùm Visitatores de Monasterio; quod visitauerint, antequam recedant, solicitè scrutantur Cellas fratrum, ne aliquis in tam graui, nefandoque delicto iaceat ignotus. Atqui vt olim regularis exercitij disciplinam custodiunt fratres. Nocturnum verò, diurnumque diuini operis officium cum magna diligentia celebratur, tam cantando, quàm legendo. In plerisque Monasterijs toto hyeme cantatur Matutinum, potissimè in Monasterio Montis Oliueti, in quo tam in hyeme, quàm in æstate penè totum officium decantant fratres, ex quibus aliqui, tum propter longitudinem cantus, tum propter exercitium, quod nimis prolixè extenditur, tum propter ieiunium, & vigilias lapsi aliquotiens cantando, seu legendo ceciderunt in terram. Sed vnde sumus digressi, eò reuertamur. Laurẽtinus anno 1437. XI. Cal. Maij petijt à Comitijs absolutionem, eiusque administratio non indiligenter examinata ad biennium producta est; Annus abierat, cum, quas Abbas cum Monachis leges à Cardinalibus reformatoribus latas, quòd essent incommodo, castigauerat, ab illis, vt castigationes ratas, firmasque facerent, contendit. Erant autem, quæ sequuntur, Cum videretur Abbati, & Visitatoribus, posset vnus, siue plures Visitatores Cœnobijs, quæ octo amplius Monachos haberent, assignari; liceret Abbati, vel ad inuisendũ, vel aliud pro Congregatione præstandum è re nata Montoliueto egredi, comite saltem Visitatore; Si intra annum Prioratus vacasset, Abbas, duobus, cum cęteri abessent, Visitatoribus assentientibus, alterum sufficeret, vno autem, cęteros præfectos, de Monachis priuatis pro tempore, pro fide statueret; ad nouæ Constitutionis editionem, veterisque abrogationem arcano scrutinio Comitiorum voluntas quęreretur. Laurentinus Monasterio suo Arretino plurimùm addidit, auxitq. ædificijs, Gregorio Marsupino fratre pecuniam suppeditante, multis scripturæ sacræ voluminibus, & varijs eisque sericis ad diuina peragenda ornamentis. Humanis rebus desistit anno 1445. in Monasterio S. Miniatis. Die autem sexto ante Cal. Maij anno 1439. in summo Abbatiatus loco ponitur F. Io. Baptista Podiobonitianus. Religio hominem euexit, pietas in

Leges à Cardinalibus euulgata corriguntur.

1439 *F. Ioã Baptista Podiobonitianus Abb. Generalis XXXIII.*

Deum,

Deum, in precibus frequentia, austeritas in victu. Exundantium, vt ita dicam, in precatione potissimum lacrymarum donum meritus est. Vultus benignus, legum custodia singularis, adeo vt aspicientibus imago sanctitatis videretur, maxima sacrarum literarum, iurisque Pontificij cognitio. Raro loquebatur. In dicendo plurimum valebat, vtique verba vitæ proferens. Eo administrante, multi ad Oliuetanam vitæ rationem transgrediuntur. Emicat in primis Francisca Romana Oblata nostræ Congregationis, cuius & disciplinæ, & sanctionibus, cum alijs pijs, clarissimisque fęminis se libentissimè subiecit. Paulus V. hoc nostro sæculo anno 1608. retulit in Sanctarum numerum. De illa nihil præterea hoc loco afferemus, eiusque gloriosa facinora, si dabitur facultas, alio volumine tradituri.

S. Francisca Romana Oblata

Anno 1443. 4. id. Maij creat Oliuetana Respublica Præsidem Generalem F. Franciscum Ringherium Bononiensem & genere, & sanctitate spectabilem. In ore perpetuò versabantur filios spirituales ad timorem Dei, celique desiderium cohortanti verba Sapientis. Fili memorare nouissima tua &c. Franciscus dum præsidet ab Antonio Corario Protectore, qui ad supremam vsque animam patriam, vt ita loquar, erga nos charitatem præstitit; præter alia multa, quæ nobis vel ipse tribuit, vel à Pontificibus obtinuit, beneficia, Veronæ donamur rampla & opulenta Abbatia S. Mariæ in Organo, quam titulo Commendationis possidebat, Pontificio Diplomate suo ære impetrato, nulla sibi pensione sepositâ.

1443
F. Franciscus Ringerius Bonon. Abb. Generalis XXXIV.
Ditamur Monasterio Veronense.

Primus Abbas statuitur F. Bernardus Bononiensis anno 1445. quo anno IV. Cal. Maij Generalatus prouincia Francisco in duos annos producitur. Consuetudinem, qua in Monte Oliueto, alijsque nonnullis Monasterijs, quod supra significauimus, cineracea quædam, & eremitica pallia gestabantur, aboleuit, & candida vbique instituit. Extremo quadriennio per Petrum de Monte Episcopum Brixiensem, & F. Sigismundum Germanum Monachum nostrum ab Eugenio Pontifice maximo ægerrimè quidem consecutus est, Brixiensibus quibusdam aduersantibus, Monasterium S. Nicolai de Rodingo, sextum circiter à Brixia lapidem.

1445.
F. Franciscus pro Cineraceis candida pallia constituit.
Brixiense Monasterium obtinemus.

Franciscum in Imperio Oliuetano sequitur anno 1447. prid. Cal. Maij F. Nicolaus Regiensis magna aduersus seipsum inclementia, in ijs, quæ sibi comparare debuit, cultuque, humilitate, erga pauperes misericordia, in Monachis castigandis frequentia, moderatione, benignitate, & denique ad vltimam vsque ætatem ardentissima erga Deum, erga proximum pietate reuera prædicabilis. Anno subsequenti Ludouicus Interamnas egregius Iurisperitus & Aduocatus, vt vocitant, Consistorialis Monasterio M. Oliueti vniuersam, qua ipse vtebatur, Bibliothecam, ita tamen vt nihil ex ea alienaretur, vel veniret, relictam voluit. Sed cum pleraq. ad Iurisconsultos pertinerent, virisque Religionem consectantibus nihil perficerent, dante Pontifice, post nonum ad decimum annum magna pars diuendita, & pretio, quod florenos vltra septingentos confecit, alia coempta ad varias artes spectantia, vt Monasticè viuentib. magis accõmodata. Hæc omnia vera esse intelliget, si quis hac etiam

1447
F. Nicolaus Regiensis Abb. Generalis XXVV.
Datur ingens bibliotheca Monasterio M. Oliueto.

memoria

memoria Bibliothecam, quæ in Monte Oliueto est contempletur, quæ, cum præcipuè constet è manuscriptis, pluris, quàm fiat, multi facienda est. Nicolaus cum biennio post IV. Non. Maij in eodem munere confir-
1451 matus esset, anno demum 1451. XVI. cal. Iunij, habuit, omnibus, si tres tantummodo exceperis, rite suffragantibus successorem F. Io. Baptistam Podibonitianum secundò, in tam conspicuo dignitatis loco constitutū. Annum præfuerat, cū Ludouicus Gonzaga Marchio Mantuanus Congregationi Mantuæ adiunxit Monasteriū S. Mariæ de Gradaria. Sub hac ætate Nicolaus V. Pont. Max. F. Gregorium Amatiscum Romanum Oliuetanum in Vrbe renunciat Abbatem S. Gregorij. Tacent de illo monumenta Oliuetana, loquitur tamen satis honorificè Epitaphium in eodē templo S. Gregorij Mar. more in solo legitur incisum ad dextram aræ maximæ. Cum alij vix videant, nedum perlegant, vel animaduertant, libens hic exeribo.

F. Io. Baptista Podibonitia nus secundò Abb. Generalis. XXXVI.

Monasterium Mātuanum a Marchione consequimur.

F. Gregorius Amatiscus Romanus Oliuetanus. Ab. S. Gr. de Vrbe.

Gregorio Amatisco Romano ex Congregatione Montis Oliueti, in qua annis XXXIV. piè sanctèq; vixerat in Abbatem Sancti Gregorij Vrbis Romæ à Nicolao V. Summo Pontifice electo, licet inuito, & recusanti. Paulus Pontifex, curāte Matthæo saxo Amatisco, faciundum mandauit ob eius castissimam vitam, sanctissimosq; mores, & restitutum egregia impensa Monasterium. Vixit Ann. LXXI.

F. Hippolytus Romanus item Abb. Romæ S. Gregorij.

Ioanne Baptista Podiobonitiano Præside, constat, ab eodem Pontifice Nicolao F. Hippolytum Romanum S. Gregorij Abbatem electum, fortasse Gregorio subrogatum. Cum via, qua Florentia Senas ferimur, orta suspicione belli, non satis tuta sit, Comitia, quæ anno 1453. X. Cal. Maij habēda sunt, Bononiam ad Monasteriū S. Michaelis in Busco transferuntur, ibiq; Io. Baptistæ gubernatio firmatur in alterum biennium.
1453

Comitia Bononiæ celebrātur.

Res mira, quæ F. Io. Baptistæ meritis accidisse creditur.

De eius bonitate mentio fuit in superioribus. Est qui memoriæ prodidit rem admiratione dignam, quæ meritis ipsius accidit. Ignem nescio quo intra Montem Oliuetum famulorum negligentia accenso, &, cum validissimus ventus spiraret, arbores, vites, & omnia circumsistentia absumente, iamq; stabulum, & fenile compræhensum certissimum Monasterio, exustionis periculum, & exitium imminebat, cū Rector maximus Monachis sequentib. tanto strepitu excitus, & excidio impendente exterritus aduolauit. Flammis vndiq; furentibus humano artificio ignem extingui non posse animaduertens, Fratres, inquit, nullum, quàm à Deo, subsidium. Eum deprecemur. Igitur in æde sacra opem diuinam tanto in periculo cum lacrymis implorantibus, (res non dubiè admirabilis) precationis vix fine facto, ignis, amissā diuinitus vi, ac virtute, substitit, nec vltra progredi ausus est. Quo viso, templum repetunt, Deo gratias agunt tanta cum religione, quanta modò discriminis formido corripuerat. Perfunctus munere Generalatus, vitæ genus nullius repræhensionis patiens, nihil intermittit, diuq; grauioribus morbis, & corporeis cruciatibus, in quibus mirum tolerantiæ, & mansuetudinis exemplar eluxit, confectus anno 1469. finem ætatis assecutus est. Socios appellat, &

Sacra-

Sacramentis communitus, aduersus illos manus intendens, quàm pote-
rat, in discessu, salute dicta, ita permanet ad horam, &, fato instante, Cœ-
lum suspiciens, & precantis more palmas iungens, Deo quasi gratias *F. Io. Bap-*
agens, qui ad felicissimum, & optatissimum exitum deduxisset, prid. Id. *tista fœlicissi-*
Ian. è vita proficiscitur. Succedit in Generalatu anno 1455. X. Cal. Maij *mè fatis sa-*
secundùm electus F. Franciscus Ringherius. Habet in mandatis ab vni- *tisfacit.* 1455
uerso Conuentu, vt nomine Congregationis Pontificem exoret, qui B. *F. Francis-*
Franciscam Romanam Sanctarum Catalogo adscribat. Post duos annos *cus Rin-*
postridie Non. Maij in hac prouincia confirmatus quadriennium feli- *gherius, se-*
citer absoluit. Sufficiunt anno 1459. Oliuetani XVII. cal. Maij F. Nico- *cũdò Abb.*
laum Regiensem. Huic quidem optimum factu visum est, vt qui Ge- *Generalis.*
neralatum subijsset, seq. virum egregium ostendisset, quamuis familiæ XXXVII
Oliuetanæ exequi officia non posset, & nusquam imperaret, suffragia ta- *Agitur de*
men in Comitijs generalibus, & præsertim in creatione Cœnobiarchæ *B. Francis-*
ferret, &, si qua causa impeditus adesse non posset, punctum suum com- *ca Roma-*
mitteret alteri ex adfuturis, & ab omnibus obseruaretur, & vbiq. post *na in San-*
Visitatores consideret. Nemo non assentitur. Hoc Abbate Generali Pius *ctarum nu-*
II. per Etruriam ad balnea Petriolana in Senensi morbum, quo labora- *merum re-*
bat, depulsurus iter faciens ad Monasterii diuertit Mõtis Oliueti. Cogni- *ferenda.* 1459
to eius aduentu, Monachi, cum omnia ad eum suscipiendum necessaria *F. Nicola-*
comparassent, processerunt obuiam, pompæ ordine seruato, vel vltra *us Regien-*
Turrim, siue Palatium, quod in aditu Montis Oliueti esse docuimus, ra- *sis, secũdò*
mos olearum præferentes manibus, ore autem hymnum, Te Deum, sua- *Abbas Ge-*
uiter decantantes. Traditur Pontificem, Cardinales, Præsides, aliosq. ex *neralis.*
cohorte Pontificia Monachorum lætitiam, & celebritatem patrũ mo- XXX-
destia, grauitate, & austeritate coniunctam, religiosos præterea ritus VIII.
admiratus; vt Pontifex in primis præ Religione lacrymis non tempe- *Pius II. ad*
rarit. Aedem ingressus, & Deum paucis precatus ad interiora Cœnobii *Montem Oliuetum* [illegible]
progreditur. Dies ille hebdomadæ quintus, quo Cardinales, aliiq. im-
perauerant, cœnantibus carnes apponi. Pontifex id maximè iniucundũ *Carnibus*
Monachis animaduertens, cum filius Cœnobij, & totius Congregatio- *noluit ipse*
nis institutum est non præbere carnes laicis comedendas, standum exi- *vesci. Co-*
stimauit tam piæ, sanctæq. consuetudini, quam & ipse legibus non obno- *mites imi-*
xius, ne qua in re Montoliuetenses offenderet, sed religiosa potius con- *tantur.*
solatione reficeret, retinere voluit, pietate potius mentem, quàm epulis
dapibusq. corpus alere cupiens. Itaq. vesperi, & die postera, qua ibidem
demoratus est, in Triclinio, vt mos obtinuit, cum Oliuetanis accubuit.
Exemplumq. (verba Pontificis in suis Commentariis, vbi hac de re sermo
est) prælatis Ecclesiarum in eo deinceps applicaturis dedit, ne carnes pa-
scerent, quibus nossent ob loci reuerentiam summum Pontificem absti-
nuisse. Pius, vt religiosa delectatione Monachos afficeret, curauit in-
ter epulas suauissima modulatione Carmen (Itali Mottectum) in hono-
rem S. Catharinæ Senensis nuper compositum decantari: Eo concentu
piæ quidem citæ Monachis lacrymæ. Singulos deinde beneficiis, quæ pe-
tiue-

tiuerunt, spiritualibus cumulare: Vellemus, inquiens, quantum in nobis est, ad cęlestem patriam destinare. Templum Montis Oliueti, quo die cò aduenit, hoc est mense Septembri, festo die S. Michaelis inuisentibus, & pro more Catholico precantib. ad expiationem perpetuò concessit septem annos, & totidem, vt aiunt, quarantenas. Deniq. nostris postulantibus Congregationem amplissimis, quæ nullus ante ipsum dedit, priuilegiis exornauit. Præcipuum fuit, vt omnes Monachi, Conuersi, & Cōmissi, siue Oblati, qui malefacta sua dolēter cōfessi in Cęnobio adessent, vbi Comitia generalia fierent suppliciis expiatoriis omnino liberarentur, idq. perpetuum valeret. Demum ad balnea discedit, ne Monachos diutius impediat, tanto pręsertim hominum ferè trecentorum, & equorum centum & viginti, quibus tamen omnibus, ad cibum, ad potum, ad somnum nihil defuit, numero, benedictione, & salute omnibus impertita, quam in illis consecutus est, bonitate mirum in modum recreatus. Nostri vsq; ad Palatium proprijs humeris efferunt. Nouimus hæc omnia, ita ut enarrauimus ex libellis Horarijs B. Virginis, quibus etiam alię perueteres nostri Ordinis præcationes adiunctæ sunt (aliquid ex ipso Pio II. interiecimus narrationi) de hoc itinere Pontificis, de situ Montis Oliueti. Vtrumq; ab eodem Pio scriptum referunt lib. 10. Commentariorum, in quibus Pontifex ita loquitur. *Iter illi fuit per Monasterium S. Annæ, quod Monachi religiosi colunt in monte lapidoso, atq; admodum sterili, quamuis sua industria in parte aliqua feracem reddiderint, multasq; ibi amygdalas plantauerint, & alias inseruerint arbores, ex quibus partem vitæ traducunt, pium Deo famulatum exhibentes. Montis Oliueti horum religio dicitur. Quorum præcipuum Cœnobium, & totius Ordinis caput sexto ab hinc milliario distat. Eòque se Pontifex contulit per itinera sola ætate calcanda, cum Sol omnes ebibit humores; pluuiali tempore loca dixeris inaccessa, quæ in argilla profundissima nullum admiscuere lapidem, cedit vngulis equorum calcata terra, nec remittit, nisi maximum adhibeat equus conatum. Pluuiæ item fossas hinc, atq; inde produxerunt, & angustas reliquere semitas, quibus non sine magno labore inhæreas, si pes paululum aberrauerit, in præceps ruas. Ventum est ad Monasterium, cui Montis Oliueti nomen indidere, quod non procul ab oppidulo Clausuræ iacet, cuius caseum inter optimos Thusci ducunt. Situs Monasterij in hunc modum se habet. Collis sublimis est ad Occidentem respiciens, topho, cretaq. compactos, stadio vno, vel circiter longus, latitudine multò minor. si formam quæris, castaneæ folium imitatur. Vndique rupes, & barathra pergunt profundissima, in quæ horror sit inspicere. Qua iungitur reliquæ terræ collis, dorso modico, turris erecta est lateritia, quæ omnem prohibet accessum non amicum. Et fossa deducta, quæ in vtrumq; barathrum emittit aquas, ea ponte coniungitur, quo sublato, nulli patet ad Cœnobium aditus. Decliuis est collis, & in medio nobile templum constructum, & iuxta Monachorum cœnacula, deambulatoria, porticus, & omnia officinarum genera, quæ necessaria religiosi ducunt. Nihil non egregium, nihil non nitidum, &, quod cupidè nō intuearis. Agrum hunc fuisse tradunt nobilis cuiusdam viri Ptolomæa gente apud Senenses prognati. Qui Deo plenus, & religionis nouellæ fuerit autor, & Cœnobij fundator,*

Habes a Pontifice M. Oliueti egregiè descriptum.

tor, cui possessiones suas donauerit: Nomen viro Bernardo fuit, cuius ossa religiosè colunt. Parua ab initio fundatio, deuotione hominum aucta, felices successus habuit, & in omnem ferè Italiam propagata est. Ex familia Piccolominea multa etiam huic Cœnobio accesserunt incrementa, cuius possessiones in circuitu fuere. Nam Auena, & Chiachina, quæ olim non contempsere loca, nunc ferè deserta sunt, ad Piccolomineos pertinuere, & plures ex ea familia in Monte Oliueto post obitum sepulchro conditi sunt. Religiosi eius loci auctores non minus Piccolomineos, quàm Ptolomæos aiunt. Quamuis fundatorem primum Ptolemæum fuisse nemo dubitet. Religio eadem ferè est, quæ Monachorum S. Benedicti ipsius regulam obseruantium. In habitu discrimen inuenias, illi fusca veste vtuntur, hi candida, ac mundissima. Vsus Carnium vtrisq; pariter interdictus, nisi ægritudo requirat. In Cæremonijs pleraq. inuenies diuersa, in substantia vna ferè est viuendi norma. Et hi quidem vsq; in tempus hoc sine infamia vitam agunt. Mons ipse domesticus, arboribus consitus plurimas habet oleas, vnde Oliueti nomen ortum. Sunt fici, & amygdalæ, pyrorum, malorumq; multa genera, adsunt cupressi, nemuscula, in quibus æstate suaues captare vmbras licet. Vineta quoq;, & vmbracula pampinea, & olerum horti, & lauacra, & fons perennis, & cisternæ, ac putei. In ipsis rupibus quercinæ syluæ, & arbor iuniperi. Deambulatoria multa, quæ duos capiunt homines, colles circumquaq. ambiunt, mediumq; intersecant, hinc atq; inde rosetis, aut vitibus, aut rore insita marino. Iucunda Monachis solatia, iucundiora his, quibus postquam viderint, licet abire. Monachi aduenientem Pium ingenti gaudio exceperunt, atq; omnibus modis aggressi sunt honorare. Apud Clausuram tunc nundinæ erant. Itaq. frequens populus Pontifici occurrit, & vsque ad Turrim, quam diximus Montem Oliueti claudere, benedictionis consequendæ causa descendit. Dies erat quintæ feriæ, cum eò ventum est. Cardinales, & omnis familia Præsulis carnes in cœna manebant. Pontifex iussit omnes eo in loco carnibus abstinere, cum id placiturum Monachis animaduertisset. Exemplumq. Prælatis Ecclesiarum eò deinceps applicaturis dedit, ne carnes pascerent, quibus nôssent ob loci reuerentiam summum Pontificem abstinuisse. Mansit hic, & sequenti die Pius, cœnamq; cum Monachis in communi refectorio peregit, & cantores introduxit, qui nouum carmen Diuæ Catharinæ Senensi inter edendum tam suaui modulatione cecinerunt, vt omnibus Monachis dulces excusserint lachrymas. Adscripsit, & indulgentias loco non modicas, & priuilegia dedit Religioni amplissima. In hoc Cœnobium consenuit Matthæus Venetus cognomento Ronta; cui tam promptum fuit edere carmen, vt illud Ouidij non immeritò illi conueniret. Quicquid conabar dicere, versus erat. Mensura tamen, & carmine fuit, non elegantia. Dantis poema, & vulgari sermone in latinum vertit, & heroico versu conscripsit, quamuis parum terso. Siue, quòd optimus ille Pontifex pecuniario aliquo munere Monasterium exornauerit, siue, quòd sacram illam Eremum adire summo beneficio fuerit, siue quòd amplissima Montoliuetensibus priuilegia impertiuerit, siue quicquid sit, extimo cubiculorum, quæ hodie summus Abbas habet, in quibus Pontifex quieuisse dicitur, parieti, candidũ marmor cernitur insertum, inciso signo Pontificio Piccolomineo. Subscripta hæc duo carmina.

F. Matthæus Ronta Venetus ad carmina pangenda promptissimus.

Vt monumenta tui maneant per sæcula nobis,
Muneris insigne hoc stat tibi Papa Pie.

Abbatis Generalis, more Oliuetano administratio producitur in biẽnium. Pauca quędā ab illo sanciuntur. In his, ne quis in mensam singulare quicquam proferat; vt, qui cibis non adesset consecrandis, aduoluatur humi, surgatq; dato signo à Priore. Res Asculana Monasterio S. Angeli Magni nos donatos voluit, regitq; primus F. Petrus Camers. Abbas consumpto biennio, Prior S. Annæ interit lue pestifera, qua postero anno, hoc est, 1463. in Monte Olíueto intra duos menses vndecim sodales desiderantur. cal. Maij Generalatus defertur F. Bartholomæo Politiano octogenario quidem, sed maximè vegeto, sensibus accerrimis, optima memoria (in æuo tam graui insolitum) corporis asperitate, inediæq; deditissimus. Eousq; opinio publica ita tulerat, tantam esse homini duritiem, & acerbitatem, vt socij satis metuentes, cum, qui emungit lac, eliciat sanguinem, & veriti, ne nimia seueritate subditis incommodo esset, in electione discrepauerint. Consilium autem, & sapientiam experti in imperio, vel serò doluerunt, non antea promouisse. Nam, non magna licet literarum cognitione præditus, temporaria tamen Congregationis negocia, & animarum, quæ in eius fidem traditæ fuerant, salutem tanta cum dexteritate, & prudentia curauit, vt fuerit prorsus admirationi. Literas hoc tempore à Pio I I. accipimus perhonorificas, quibus firmato Greg. X I. de transitu ad alium ordinem diplomate, additum voluit, vt non in uicennium, quod Gregorio placitum est, sed in perpetuum illa constitutio maneret. In alijs ipsius literis primùm est confirmatio Priuilegiorum, quæ antea à Pontificibus tributa sunt, deinde sanctio multiplex. Prima quidem, vt loca ex Monasterio Montis Oliueti, siue ex alijs huius nostræ familiæ Cœnobijs dependentia, cum vacauerint, nullus, nisi Oliuetanus acquirat, Cardinales, alijq; summo aliquo honoris loco prælucentes non attingant. Altera verò, vt nihil exoluant titulo decimarum, subsidiorumq. Tertia, vt à nemine cogantur deferre testimonium, siue iusiurandum, nisi, cum verum aliter innotescere nequeat, idq. tamen in Monasterijs, ad supplicationes, nisi præcipuas, & ad Concilia, nisi generalia conuenire. Bartholomæo gubernante celeberrimus, qui, & semper extitit, quamuis nulla aduenientium certa fides, clarissimorum virorum aduentus Montem Oliuetum inuisentium. Adijt inter alios Cardinalis S. Susannæ F. Alexander Oliuius Saxoferratensis Præses olim Augustinensium maximus, cuius, & religio, & eruditio insignis. Scribitur, & numeratur à F. Marco Antonio Viniano Bononiense Augustinensis disciplinæ alumno inter Beatos suæ familiæ. Constat ex arbore, quam hoc anno, qui ab humana redemptione est vltra millesimum sexcentesimum quartus, & decimus, typis excudit. Monasterium tenet, sexta luce Hebdomadis VII. id. Octobris, cœnat, quiescitq. vesperi sine apparatu. Mane die sequenti in Odæo singulari cum pietate interest Sacris maioribus, quæ Beatiss. Virgini rite peracta sunt.

Monasterium Asculanū adipiscitur.

1463.

F. Bartholomaus Politianus Abb. Generalis XXXIX.

Pij II. Priuilegium.

Alexāder Oliuius Cardinalis Montē Oliuetum cum egregio Monachorum exemplo inuisit.

Deinde

Deinde Monachos in Capitulum conuocatos, & intereos Abbatem Generalem, tres Visitatores, & alios Priores, semotis famiIiaribus disertissime pijssimeq. alloquitur. De vita spirituali. Orationem literis excipit Visitator, qui & audijt. Ego custodio. Ita exorsus est. *Patres, & Fratres mei. El suole auenire* &c. Atq. ita læto animo ad iter institutum reuertitur. Eodem anno illò sese attulit Angelus Cardinalis Reatinus. Magnificè excipitur, munificè clargitur. Mensibus aliquot interiectis accessit, & Cardinalis tit. S. Petri in Vincula. Triduum mansit. Sacris quotidie, & die festo sanctissimæ Triadis solenniter operatur. Vestibus Oliuetanis opertum in Ordinem nostrum adscribit Bononiensem adolescentulum, Sermonem sanè facundum habet, quem & scriptum perhibent, de rebus diuinis ad Monachos. Impensis omnibus satisfacit. Hic annus 1464. sustulit in Monte Olìueto duobus mensibus Monachos duodecim. V. non. 1464

Plurimi in M. Oliueto Monachorum obitus.

Iulias Generalem inuenio cuidã fratri Stephano Eremitę (Patria, & Ordo latent) Eremũ ad nos pertinentem in Diœcæsi Arretina, in agro Senẽsi, in Mõte Camerino prope Castrum Rapolanũ tradidisse, vt ibi, quamdiu vitæ vsus esset, honestè ac religiosè viueret, mobilibus, vt aiũt, & immobilibus quibusq. permissis, seruasse tamen Monasterio M. Oliueti lignorum, quæ nemora illa pariunt incisionem ad dolia zonis vincienda, aliaq. huius generis conficienda. Quare habeo falsum, quòd à multis audiui, Montcamerinum annum iam quintum, & trigesimum à Rapolanensibus socio nostro permissum D. Benedicto Spetiæ Bononiensi, qui mansit ibi ad annos viginti. Verum tamen est, cum multis laboribus, & eleemosynis, quas è pluribus, maximè ab hominum multitudine, quæ ad B. Virginis imaginem adorandam eò confluebat, bono suo exemplo cõparauit, agris, ædificijsq. quæ modo conspiciuntur auxisse, muris denique circumuenisse. Annus planè quinquagesimus supra centesimum agitur, cum, quòd iam diximus Montcamerinum à Monte Olìueto obtinetur.

Rapolanẽses non dederunt D. Benedicto Spetia Mõtẽ Camerinum.

Prouincia ad biennium prorogata, Bartholomæus, cum Turrim Campanariam ad summum vsque fastigium perduxisset, maximamque campanam collocasset, templum reparatum solemnibus cæremonijs IV. Id. Martias anno 1467. à Ioanne Episcopo Pientino sacrandum curauit, assidente altero Ioanne Episcopo Grossetano. Sexennio post 1467

F. Bartholomeus Cãpanariam Turrim in M. Oliueto absoluit

Templum consecratur.

administrationem æuo fruitur, & in eo, quod Generalibus paulò post ædificatum est tumulo constituitur. Subrogatur huic anno eodẽ XIIII. cal. Maias tertiò Generalis F. Franciscus Ringherius. Aetas grauissima, & labores ad Comitia obiti die ab electione vigesimo sustulerũt. F. Matthias Trebiensis Prior, & Proabbas Generalis cum Visitatoribus Generalatum subijt, legibus Oliuetanis ita iubentibus, ad proximum tertiũ, quem à Paschate numeramus, diem Dominicum, cum, indictis pro mora Comitijs, mandaretur alteri.

F. Franciscus Ringherius tertiò Abb. Generalis XL.

Sumptibus Ludouici, quo de supra mentionem iniecimus Interamnatis, quem fratrem fuisse constat F. Petro Monacho nostro, Bibliothecam in Monte Oliueto extruxit, libris Theologicis, quod supra significatum est, pro Cæsareis repositis. Ex

Extruit Bibliothecam.

F. Philippus Ringheri⁹ uir memoria dignus.

quodam manuscripto, quod in ipsa Bibliotheca asseruatur, habeo de optimo viro F. Philippo Ringherio mentionem huiusmodi. *Hic liber est valde correctus, quem scripsit*(olim in scriptione potissimum versabātur, quod excipio ex S. Petri Damiani Ep. 3. c. 9.) *verè Religiosus ac Deuotus, regularique obseruantia præcipuus, ac etiam potens opere, & sermone, quoniam vita, & conuersatio eius fuit seruientium Deo speculum, nec vlla vnquam infirmitas eius propositum frangere potuit, F. Philippus de Arengheria Bononiēsis, quem scripsit cum plurimis optimis libris in hoc Monasterio existentibus. Obijt anno Domini 1469. pergens ad Christum plenus operibus bonis. Vtinam dignetur orare.* Mortuo igitur Abbate Generali anno insequente 1468. postridie.

F. Leonardus Mezauacchius Bonon. Abb. Gener. XLI.

1468. Non. Maij habita Comitia, factusque Rector maximus. F. Leonardus Mezauachius Bononiensis sacrarum literarum satis eruditus, & charitate flagrans in proximum. De oculis eius testantur, illa potuisse ex Canticis vsurpari, Sicut piscinæ in Hesebon; &, quod de B. Arsenio legitur, Continuò ferè lacrymarum imbre madefacti cernentibus apparebant. Si quem in aliquā culpam prolapsum audijsset, si quem accusaturus, si quem cohortaturus, si quem consolaturus esset, soluebatur in lacrymas, & cum infirmis, vt ita loquar, quò facilius lucraretur, infirmabatur. Talis ad obitū vsque perstitit. Vt diuino cultui, regularique obseruantiæ aliquid accederet, primò codicem scripsit de ordine Officij, quod in Aede sacra peragendum esset, inde alterum de Ceremonijs, ritibusque ibidem summo cum studio retinendis.

Summis Abbatib. tumulum instruit, quo primo infertur. F. Franciscus Ringherius, qui decimo post mense integer inuentus est.

In templo Montis Oliueti pro Ara maxima tumulum illis, qui Abbatiatum Generalem administrassent, honorificè fabricatus est, primumque intulit F. Franciscum Ringherium, quem in summo regimine consecutus erat. Decimum ante mensem emigrauerat, cum monumento, quo asseruabatur aperto integer apparuit, & intactus, vt non cadauer, sed homo somno suauiter indulgens videretur, cucullo nulla ex parte temerato, sed nitida, sed candida, qualis, quo die ad superos euolauit. Res miraculo similis habetur, si præcipuè animus ad eius vitæ sanctitatem intendatur. Ea fide magna cum religione nouo traditur sepulcro. Placuit ibidem collocari ossa F. Nicolai Regiēsis è Monasterio S. Annæ, vbi Prior spiritum supremum ediderat, deportata.

Monasterium Neruianense accedit.

1470. Hoc anno à Principibus Criuellijs, quod altero libro perscribetur, cęlitus Monasterium S. Mariæ Coronatæ accipimus Neruiani. Leonardum Comitia Generalem anno 1470. constituunt, vt assolet, in alterum biennium.

Legatur Monasterio Montis Oliueti Hospitium Clusurinum. Non possidetur.

Christophorus Muzzacanius Clusurinus scripto testamento, rerum suarum hæredem instituit Xenodochium S. Mariæ de Scala Senense, ea lege, vt Clusurij ad excipiendos pauperes stratis duobus instructis, teneatur hospitium; si Xenodochium non accipiat, eadem cum conditione Montem Oliuetum. Qui Xenodochio præerant, matura deliberatione adhibita, hæreditatem reijciunt, & Monachis tradunt, quorum debet esse Hospitium Clusurinum, quamuis minus possidere videantur. Multa fabricatus est in M. Oliueto Mezauachius, & præcipuè à fundamentis Sacellum SS. Sebastiano, & Catharinæ

Seriensi

Senensi ære largiter collato per Ioannem Ciancium Valentinum, qui Regi Neapolitano erat consiliorum particeps, constitutum, in quo &, legibus ita præscribentibus, quotidie Monachorum cōuentus habetur. Vitę vsus hoc tempore contigit Beato F. Hieronymo de Corsica Oblato nostro, cuius cum in Congregatione exigua quidē, vel nulla cognitio, quæ sum de illo consequutus paucis absoluam. Editur in lucem in Insula Corsica sub anno post Christum natum 1431. patria Luno, Marco, & Domnicella parentibus. Hi Principis cuiusdam, qui in illis regionibus tyrannico more dominabantur vim, & immanitatem declinantes domicilium Pisis collocant. Hieronymum adhuc teneros annos habentem Dux quidam ad bellum proficiscens in familia excipit, comitatuque; fide, & solertia cognita, res tātùm suas curare voluit. Cum Duce diu fuit, militum mores nōn imbibit. Domum reuersus, Deo ad altius vitę genus impellente ad Minores Franciscanos accessit in Maritimis Senensibus iuxta Scarlinum. Ibi paucos dies exegit aliò euocatus. Pisas repetit, & fama commotus cuiusdam Eremicolæ ad montes vicinos transgreditur. Sub Eremicolæ disciplina manet quadriennium. Cum non longè ab Eremo extaret Monasterium S. Hieronymi de Agnano, vitaque Oliuetana maximè Hieronymo probaretur, vt quæ ad animæ salutem tutior esse videretur, Eremita cohortante, petijt ad missionem. Admittitur iam vicenarius. Admissus tantum pietatis, & religionis studium præsetulit, quantum nec videre, nec desiderare possis. Dato non multò post Florentino, Sanctique Miniatis domicilio, vbi hodie arx munitissima à Magno Duce cōdita, vt sanctissimum templum tam ciuibus, quam exteris, qui hospitaliter excipiebantur, condonationis ergo adeuntibus optima ederet virtutum exempla. Eius igitur charitate, affabilitate, bonis operibus, flamine Prophetico, alijsque sanctitudinis ornamentis, Cœnobium in maiorem famæ amplitudinem adoleuit. Ibi vitam sanctissimè duxit annos circiter XXX. quib. elapsis vitæ finis adfuit. Supremā exultanter horam expectanti Nepotulum, qui iam degebat in Monasterio, vt iniret Oliuetana tyrocinia, exhibitum Monachi maximè commendant; Pater, inquiunt, huius præcipuè memento Nepotuli apud Deum vt laudabilem, & religiosam vitæ rationem assequatur. Facturum se respondit, eodem tamen, & illum paucos post dies excessurum, vt accidit. Igitur sacramentis confirmatus ad superos feliciter euolauit anno Seruatoris 1479. 7. cal. Decemb. die Dominico. Vitam B. Hieronymi scripsit F. Andreas Volaterranus. Est apud me exemplar. Auctographū in Cœnobio Volaterrano repertum in Augusta patrij Monasterij Bibliotheca seruandum misi. Anno 1472. XIV. Cal. Maij Generalatus prouincia defertur F. Nicolao Rouerellio Ferrariēsi. Continuò leges euulgat. Vetitum in primis, ne ambiatur ad suffragia ferenda in Comitijs; ne quis crepidatus incedat non necessariò, non opportunè. Instabat muneris exitus, cum ecce, Bartholomæo Rouerellio Cardinale Rauennate fratre in Vrbe grauiter laborante, medicis vitæ desperantibus, nepotes,

B. Hieronymus de Corsica Oblatus, vel Cōuersus Oliuetanus.

1472.

F. Nicolaus Rouerellius Ferrariēsis Ab. Generalis XLII.

tes, & familiares nuncium ad Nicolaum dimittunt, vt Cardinalem ante obitum inuisat, & decedentem consoletur. Angitur de nuncio Generalis, quid faciat, incertus; si abeat, nimiæ beneuolentiæ; si maneat, inhumanitatis notam incursurum. Demum, senioribus ita suadentibus, Romam proficiscitur in Monte Oliueto ad Comitia certè futurus, & prouinciam more depositurus. In eius sinu expirat Cardinalis. Cogitantē, appetente iam tertio à Paschate die Dominico, Montem Oliuetum, Cardinales prohibent; anteaquam discedat, de familia, deque rebus familiaribus constituendum. In consilio persistenti minantur à Pontifice, si ab Vrbe se moueat, pœnam Anathematis. Tum ille, scriba accito, testari, se Romæ non vltro commorari, &, quod debeat, cum dies adsit præstituta, abdicare Generalatu. Hoc testimonio mittitur ad Montem Oliuetum F. Iacobus à Verona Procurator Generalis. Comitia Nicolai, & satisfactione, & depositione accepta anno 1476. III. Non. Maij maximi Præsidis persona decorant F. Iacobum Carpensem Nicolai in habitus susceptione, solemnique professione amantissimum sodalem, & fratrē. De Nicolao præterea docendum, non modo splendore natalium, sed etiam cognitione rerum, vtpote qui in iure Cæsareo profitendo laicus versatus sit, varijsque virtutibus clarissimo. Honorem Episcopalem semel, atque iterum, & tertiò reiecit, ab ocio Cœnobitico nūquam distrahendus, *sed omnibus his*, vt cum Auctore de eo scribente loquar, *vocationibus postpositis non sollicitauit animam eius honor oblatus, nec motus est pes eius, vt inclinaret se ad gloriam, nec magis eum delectauit Tiara, quam rastrum & sarculus*. Maluit igitur Religiosam in Monasterio humilitatem retinere, quàm honorabilem in sæculo dignitatem sustinere. Tanta victus, cultusque asperitas, vt fidem, si referam, superem fortasse multorum. Sixto IV. ea ætate Pontifici, & Cardinalibus tanta in admiratione est, vt alter ex his, cum ad alterum literas det, hæc de Nicolao affirmauerit, eam in Pontifice hominis opinionem, quæ in quoque esse solet cuiusuis sanctitate præditi. Pontifex ipse, cum se aliquando salutatum videret adeuntem, Christi voce vsus, *Ecce*, inquit, *verè Israelita, in quo dolus non est*. Is anno salutis 1480. Prior in S. Georgio Ferrariæ, & Visitator, qua anteactæ vitæ sanctitatem decuit maxima religione abijt. Tanto viro amisso, dolent, lugentque non modo socij, sed etiam Principes, & Dynastæ. Quę in æterna felicitate Nicolaus gaudia consecutus sit, Monachis fide dignis, aiunt, diuinitus enunciata. Præter Cardinalem, quo supra memoratum est, & alterum fratrem nomine Laurentiū habuit Ferrariæ Epm, Romę Datarium, qui familiā Montoliuetensem egregia pariter beneuolētia, & beneficētia prosecutus est. Eius opera deuenit ad nos Monast. Rhodiginum. Animam inter nos efflauit ad Montem Oliuetum, cui quidem Monasterio sacros multos codices manuscriptos relictos voluit. Ibi tumulo commendatus, & aliquot annis euolutis Ferrariam deportatus in monumento collocatur, quod in æde Oliuetana nepotes antea extruxerāt, & parauerant. Quod verò ad Iacobum Generalem spectat; anteaquam sacro

Romā petit Cardinalem fratrē animā agentē inuisurus.

Cardinalibus vetātibus, ne Mōteoliuetum ad Comitia repetat, Romæ per scribā Abbatiatum deponit.

1476. F. Iacobus Carpensis Abb. Generalis XLIII.

Humilitas F. Nicolai.

Pia sancti tatis opinione floruit.

Laurētius Ferrariæ Episcopus Frater Nicolai ergā nos bene affectus.

Monasterium Rhodiginū additur Congregationi.

F. Iacobus Abbas Generalis antea Medicus.

sacro Religionis habitu initiaretur, rem medicam tractabat. Inter Oliuetanos numeratus animabus salubriter curandis, maximè in summa Generalatus prouincia, operam impendit. Monasterio S. Ioannis in deserto potitur in Cremonensi, ceditq. sponte sua Nicolaus Abbas Salandus.

Donatur Monasterio Desertano.

Per hæc tempora, bello, & pestilẽtia Italiæ vastitatem inferentibus, Iacobus, vt tot, tantisq. calamitatibus pro viribus occurrat Congregationem semper obit multa perpessus. Quartum regebat annum, cum Alphonsus Aragonensis Dux Calabriæ, & filius Ferdinandi Regis Neapolis, qui disciplinam Oliuetanam apprimè obseruabat, cum in Etruria degeret, fama, quæ de Monte Oliueto, & de asperiori vitæ genere, quod ibidem seruaretur, tota Italia peruaserat, adductus, cò magno Procerũ, & Principum exercitus numero stipatus accessit.

Alphõsus Aragonẽ. Dux Calabr. ad Montem Oliueti.

Incidit in Comitia generalia, quibus (quamuis liceat ferè nemini, cui suffragia ferenda non sint) placet interesse, vt veteris depositionem, nouique Antistitis electionem, qua F. Leonardus Mezauachius secundùm Oliuetanis præponitur 9. Cal. Maij 1480. cupidè spectet;

Comitijs præter consuetudinẽ interesse p mittitur.

1480

F. Leonardus Mezauacchius Bon. secundò Abbas Generalis. XLIV.

Summa capitur admiratione, quòd in tanta Monachorum, quorum alia, atque alia gens erat, frequentia, eadẽ sit mens, eadem voluntas, turbæ nullæ, nulla dissensio, mira tranquillitas. Itaque cum certo habeat, inter eos tanta inuicem charitate coniunctos Deum continuè versari, augetur eius erga Oliuetanos pietas, & religio, delicijsq. spiritualibus expletus sese precibus Monachorum commendans tertia luce proficiscitur. Leonardus Monasterium Montis Oliueti, quòd agros sanè commodos parauerit, magno ære alieno .i. florenis aureis octingẽtis, & amplius oppressum, offendit. Quare cum alij minus commodi alienentur necesse sit, senioribus annuentibus prædia omnia vendidit, quæ ad Abbatiam Castellanam pertinebant, Lucignani in valle Clanensi constituta, æde nobis retenta, quã, cum hodie non obtineatur, necessariò alienatã credimus.

Monasteriũ Caffarum attribuitur.

Eodem anno per Federicum Ducẽ Vrbinatem Congregatio augetur Monasterio S. Angeli de Gaiffa, quod tamen non aditur ad annum vsque 1492. Abbate, qui illo fruebatur, superstite. Anno 1482. Monachorum Conuentus inducitur in S. Secundum de lacu Thrasymenio, quæ olim portio fuit Monasterij Montis Morcini, Priore collocato F. Nicolao Volaterrano cum familia.

Fit Monasterium S. Secundus de Lacu Thras.

Monasteriũ Tarẽtinũ apponitur.

De quadriennio parum supererat, cum Io. Cardinalis Aragonensis detulit apud Tarentinos Monasterium S. Mariæ de Iustitia. Comitia imminebant, cum pestis Monachos duos in M. Oliueto absumpsit. Ideo statuitur, vt conueniatur in Monasterio Senensi. Conuenitur, & 7. id. Maij anno 1484. Generalis persona defertur F. Dominico Leucano.

1484

Comitia Senis habẽtur F. Dominic.ᵘˢ Leucan.ᵘˢ Abb. Generalis. XL.

Leonardus, obiens Generalatu honestam vitæ rationem exigit annos quinque, menses quatuor, dies quindecim, & expirat, cum in S. Michaele de Busco Prioratum gerit. His Comitijs primus in Monasterio S. Sepulchri de Placentia, quod ab Alexandro Abbate Mariano Carpensi benignè conceditur, Prior destinatur F. Ioannes Bedagiensis, qui cum familia eò mittitur iura vsurpatum. Et Trebium ad S. Petri in Bouaria, quod Thomas

Adiũguntur Monasteria Placentinũ, Trebiense

F. Dominicus ab Innoc. VIII. Pontif. priuilegiorũ cõfirmationẽ, & Iubilęũ Monachis impetrat.

Breuiaria edita.

Dãtur Monasteria Saxouiuiũ, Castilionense.

F. Ioannes à Bedagio Abb. Generalis. XLVI.

Habemus Monasteriũ Camertinum in Piceno, & Buscãnũ in Sicilia, & Castellonense in regno Neapolis.

F. Placidꝰ à Castaneta Abbas Siculus.

F. Iacobus Carpensis secundò. Abb. Generalis. XLVII.

anas Abbas Valentius ad nos transmittit, Conuentus cum Priore deducitur. Dominicus nulla pene mora, Romam sese conferens Pontificis, qui paulò ante Innoc. VIII. nomine creatus erat, pedes osculaturus, & obsequium de more præstiturus ad osculum primùm, inde humanitatis ergò, ad familiare colloquium admissus obtinet, vt Priuilegia omnia, quæ superiores Pontifices Oliuetanis dedissent, rata faciat, aliaque noua conferat, & præcipuè duplicem Monachis, eamque cumulatissimam (vulgò Iubilęum) criminum condonationem alteram viuentibus, morituris alteram. Firmatur anno 1486. 16. Cal. Maij. Typis excusit magnis impensis & laboribus (mendosè tamen, incuriosis administris) quadringenta Breuiaria Congregationi.] Marcus Balbus Venetus Cardinalis Nepos Pauli II. familiæ Oliuetanæ amantissimus tradit Monasterium S. Crucis de Saxouiuo in Fulginensi, quod titulo Commendationis habebat, & ære suo Diploma expedit. Abbas cum duobus Visitatoribus, alijsque Monachis eò sese attulit, possessionem cepit, familiam constituit, præfecto F. Leonardo Imperialio Genuensi. Eodem fermè tempore non aliter factum à Commendatario S. Mariæ de Castilione in Parmensi Danielio Birago Mediolanensi. Ibi primus in Prioris dignitate collocatur F. Franciscus à Briasco.
1488 Anno 1488. 5. Cal. Maij, & tertio post Pascha sole Dominico, & in M. Olіueto, vt moris est, Comitia habentur, & Abbatis Generalis honor F. Ioanni, quem diximus, à Bedagio Mediolanensi imponitur. Non pauca sciuit, in quibus, ne iuxta leges Benedictinas noctu cęnaretur, neue propterea Completorium ante Cęnam recitaretur. Anno huius regiminis tertio Iulius Cęsar Varanus Camerini princeps Congregationem Monasterio S. Mariæ de Colleboario in vrbe Camertina donatam voluit. Quarto autem F. Placidus à Castaneta Abbas in Monasterio S. Mariæ de Busco in Diœcesi Agrigentina apud Siculos sanctimonia, & disciplina nostrorum accepta, inq. eos præcipua quadã pietate concepta Italiam aduehitur, ad Montem Oliuetum contendit. Summum Antistitem, & Monachos ad Comitia conuocatos exorat, vt suæ Congregationi Siculum illud Monasterium adiungant. Nullo non abnuente Romam petit, & coniunctionis vel Societatis diploma obtinet magno negocio, multo argento. Hinc lętus & gaudens in Siciliam reuehitur, quò Prior cum Monachis defertur F. Michael Volaterranus. Eodem anno Alphonsus, de quo supra mentio fuit, Dux Calabriæ dono dedit Monasterium S. Erasmi de Mola, vel Castellono. Emuntur hoc Abbate Generali, Monasterio Montis Olіueti possessiones aliquot in Ilcinensi bis mille florenis. Migrauit è vita anno 1507. Prior in Monasterio
1492 Gaissano. Sufficitur in Generalatu anno 1492. 4. Id. Maij F. Iacobus Carpensis secundùm. Is septuagenarius à Monasterijs circumuisendis ad sedem in Monte Oliueto constitutam regressus morbo corripitur, & nocte Epiphaniæ celebritatem præcurrente, singulari cum religione de rebus diuinis cum sodalibus colloquens, & ad vltimum vsque spiritum psalmos effundens vitam concludit, & in Generalium monumento sepelitur. Eius

mu-nere

munere ad tertiam post Pascha lucem dominicam cum Visitatoribus fungitur Prior, & Vicarius Generalis F.Michael Volaterranus, qui ab eodem Alphonso Aragonēsi Monasterium S.Manni de Fundis accepit.

Monasterio Fundano deiecti sumus.

Cum tempus Comitiorum adueniret 4. Calen. Maij 1493. libentissimis animis honore Generalatus decoratur F. Leonardus Imperialius Genuensis, cui in tanto numero tria, vel quatuor suffragia desiderata.

1493 F.Leonardus Imperialius Abb. Generalis. XLVIII.

Hoc anno vita functo Rege Neapolitanorum Ferdinando, regiæ personæ dignitatem subit primogenitus Alphonsus ab infantia de nostro instituto, quod omnibus locis, temporibusque mirificè tutatus est, supra fidem bene meritus, qui etiam si Dux antea Calabriæ, vti iam demonstratum, egregia apud nos beneficia contulerit, regio tamen diadcmate insigni tus tanta benignitate, & liberalitate præstitit, vt familiæ nostræ Principem cum illo conferendum exoptare quidem, non sperare liceat. Rex continuò nobis in Apulia tria Monasteria attribuit, S.Catharinę in Castro S.Petri de Galatina, S.Nicolai de Licio, & S.Leonis de Butunto, additis immunitatum priuilegijs amplissimis, & Monasterijs, nullo postulante, possessiones magnò constantes assignauit; Sed de illo fusius, cum in altero libro de Monasterio Neapolitano.

Alphōsus Dux Calabriæ regnū subit Neapolitanū. Iūgit Rex tria Monasteria Galatinium, Liciense, Butūtinū.

Leonardo rem Olīuetanam administrante, Ardicinus de Porta Nouariensis Cardinalis magnæ sapientiæ, ac prudentiæ vir luxus, & inania hominum decora exosus, purpura deposita, Pontifice permittente Montem Oliuetum accedit, vestes Oliuetanas induit. Id tamen ægrè ferentes reliqui Cardinales, quibus amplissimi Senatus dignitatem, & auctoritatem nullam habere visus est Ardicinus, illis ignorantibus ad aliā vitæ rationem transgressus, vt Pontifex Romam reuocet, efficiunt. Reuocatus consilium suum apud Pontificem, & Cardinales purgat vberioribus literis, quas in Alphōso Ciacconio legere. Vrbem repetit, & si quid ea in re deliquerit, Ordinis sese iudicio permittit. Ardicinus iure mihi videtur Cardinalis Olinetanus appellandus. Maior enim (ita habeo) dignitas est Congregationis, vt quispiam ad eam ex purpura, quàm ex ea ad purpurā gradum faciat.

Ardicinus de Porta Cardinalis nostrū suscipit institutum. Ad vrbē reuocatur.

Administratio Generali prorogatur in biennium 6.Id.Maij 1495. quo confecto vitam ad annū nostræ salutis 1502. producit, & definitè viuis Prior, & Visitator Neapoli. Anno 1497. 16.Cal. Maij in Comitijs suffragijs quinque & nonaginta initis Generalis iterum declaratur F.Dominicus Leucanus.

1497 F.Dominicus Leucanus secundo. Abb. Generalis. XLIX.

Statim nonnulla promulgauit Congregationis tranquillitati satis opportuna, in his, vt vetus Constitutio deleretur, qua eò vsque seruata, Abbas in alterum biennium confirmaretur, & in posterum fieret in biennium, cui non ante quadriennium succederetur. Id quod, cum omnes intelligerent, concordiæ, quietiq. Olinetanæ maximè profuturum, vnanimes approbarunt, ne tamen quicquam efficeretur, nisi huius Generalatus quadriennio absumpto. Hanc legem eò latam arbitrantur, vt libidini, quæ diuturnitate temporis innadere præsidem posset, imperandi obuia esset. Nā in eo æquitatis leges stare videbantur; cum, honore, & onere in plurimos distributo, nemini ex longo imperio insolentia, ex

Eraditur constitutio de Abbate in alterum biennium cōfirmādo, vt tantum post quadriēnium eligatur.

nimio labore lassitudo negotium facesseret; Vtcumq. sit, ratam, firmamque voluit, qui eo tempore Pontificatum obibat, Alexander VI. &, quod significabimus, obseruata est. Hoc anno idem Pontifex S. Spiritus in Vrbe Xenodochio præficit F. Benedictum Senensem in Cœnobio Camprenensi Priorem. De eo vetustissimus liber in Bibliotheca Montis Oliueti hæc habet. *Librum istum donauit huic Monasterio de Clusuris R. P. F. Benedictus de Senis, dum esset prior S. Annæ. Anno Domini 1497. quo etiam anno electus fuit per sanctissimum D. N. Alexandrum Pontif. max. in Commendatorem S. Spiritus de Vrbe.* Item de eodem F. Benedicto meminit alius liber eadem memoria scriptus, in quem relati sunt ordine Monachi in annos singulos vita functi; anno 1505. *Vener. Pater F. Benedictus de Senis Abbas S. Gregorij de Vrbe, & fuit Praeceptor S. Spiritus de Roma, & fuit frater ordinis nostri.* Dominicus anno secundo Monachorum familiam instituit in S. Mariæ de Leonico in Vicetino, qui locus multò ante ad Monasterium S. Mariæ in Organis Veronæ pertinebat, primo Priore declarato F. Felicio Gandinate. Priores cum Monachis suffragantibus ad Comitia congregantur anno 1499. 11. Cal. Maij; & quamuis ex lege proxime edita electus Abbas, firmatusq. sit in quadrieniū, neq. ideo solenniter depositurus sit, humilitatis tamen documentum futurus genibus flexis iacens humi omnium, quæ in administratione peccauerit, non inuitus coram omnibus gratiam petit. Rebus ab illo gestis per tres à sacro Cœtu delectos pro more examinatis, cum nihil accusatione dignum pateat, confirmatur. Multis iam tota Italia Monasterijs aucta Congregatione, Dominicus ære publico ædificia in Monte Oliueto amplificauit, vt multitudinem facilè caperet Monachorum ad Comitia coeuntium. Dominico succedit anno 1501. postrid. Cal. Maij F. Franciscus Ringherius Bononiensis nepos alterius F. Francisci, qui Generalatum vel tertiò sustinuit. Legitur in biennium, quo præterito substituitur anno 1503. Non. Maij F. Thomas Palauicinus Mediolanensis. Quarto mense Franciscus Cardinalis Piccolomineus, qui Pio II. cui mortuo bene præcemur, patruo vsus est. Congregationis Protector studiosissimus ad Pontificatum assumitur; Pius III. appellatur. Vetus erga nos beneuolentia animo non excidit tantæ Maiestatis amplitudinem obtinenti, immo ad Abbates & Monachos in M. Oliueto agentes hominem certum mittit, qui suo nomine denunciet patrocinium humiliore fortuna præstitum eò libentius modo præstiturum, quod amplissimo potitus imperio satis postulationibus illorum facere possit beneficia non, vt antea curaturus, sed pro voto daturus; ideo sibi tantum à Deo ætatis, & vitæ precentur, vt, quod animo constituerit, impertiatur. Verùm, vti res Christiana tanto Preside, & Pastore digna non est; ita, quod ille decreuerat, familia nostra consequi non potuit, Pontifice paucis diebus fato concedente. Thomas duo per quam egregia in Monte Oliueto molitus est. Viam à Monasterio ad Palatium (speciosius ne, an vtilius, ignoro) lateribus constrauit. Odeales in templo sedes vetustate exesas locoque celeberrimo indignas recentiorum

F. Benedictus Senensis Saxio Romæ Xenodochio præponitur

Monasterium instituitur Leonicenum.

1501 *F. Franciscus 2. Ringherius Bon. Abb. Generalis. L.*

Datur post hac Generalatus in biennium.

1503 *F. Thomas Palauicinus Mediol. Abb. Generalis. LI.*

Pius III. Familia Oliuetana amantissimus.

F. Thomas à Palatio ad Monasterium viā lateribus strauit, Odeū artificiosè instaurat.

tiorum more restituere iussit F. Ioãnem, qui eo tempore æuo fruebatur, Veronensem nostrum Oblatum virum delineando, architectando, depingendo, exculpendo, si de opere potissimum ligneo, & segmentato verba sint, nulla dubitatione clarissimum, nullique comparandum, teste Georgio Vasario, & doctissimis, antiquissimisque operum, quę diximus, artificibus nullo pacto posthabendum. Admirabilis industriæ argumentum magna spectantium admiratione citra biennium fabricatur.

F. Sebastianus Ruinas opere vermiculato & incisorio maximus.

Clarus est etiam hac tempestate F. Sebastianus Ruinas, qui in cerostroto, & incisura palmam adeptus est. Multa fecit specie, & opere celebratissima; ex his sacra vestiaria, & fortasse Odeum in Monasterio nostro Veneto.

F. Iacobus de Traiecto clarus inter Oliuetanos.

Claruit pariter F. Iacobus Traiectensis Iurisperitus: Librum anno 1500. edidit, cui titulus. Tractatus de modo visitandi, & corrigendi subditos, & de modo inquirendi contra eorum defectus. Præterea Regulam Benedictinam Commentario, quod ferunt esse, vel fuisse in Bibliotheca Montis Oliueti, illustrauit.

F. Dominicus Leucanus, tertio Abb. Gen. LII.

Anno 1505. Idib. Aprilibus ad Abbatiatum Generalem tertiò euehitur F. Dominicus Leucanus. A Pontifice primo anno literas impetrauit, quibus vniuersæ Congregationis bona tuta fierent.

Lex de adeundo Roma Pontifice post creationem Abbatis.

Laudabilem eamque multos annos intermissam consuetudinem, vt Abbas Generalis statim renunciatus ad Vrbem profectus debitum summo Animarum Pastori profiteretur obsequium Dominicus restituit, & eadem successores lege adstrinxit.

Additur Monasterium Ticini.

Pontificis pedes exosculatus cum eo sermonem habuit, &, data occasione perquàm suauiter, & venustè Monasterium obtinuit S. Bartholomæi in Strata Ticini.

Pontifex, petente F. Dominico, Iustinensium & Oliuetanorum priuilegia distinguit.

Nihil obstitit Dirarum pęna paulò ante in Collegio Cardinalium contra illos indicta, qui petere ausus sit sacerdotia, vel Cęnobia Monasterijs, alijsq. locis, vt aiunt, obseruantiæ regularis adiungerentur. Fuit in causa Commendatarius Montis Cassini, qui maximo labore, & pecunia penè incredibili (omnibus ferè Cardinalibus obsistentibus) illud Monasterium Monachis S. Iustinæ assignauit. Illud etiam à Pontifice impetratum est, vt Oliuetani plenissima semel in vita, iterum in obitu criminum condonatione fruerentur. Præterea Priuilegia ferè omnia, quibus Congregatio S. Iustinę gaudet, à Pio II. nobis æquè permissa, cum satis graue, & indecorum videretur, si res ipsa postulasset, Iustinensiũ opera vti, rogante Dominico, Pontifex separatim detulit.

Adijcitur Monasterium Mediolanense.

Anno secũdo res Oliuetana Monasterium S. Victoris adipiscitur Mediolani.

1507

F. Franciscus 2. Ringherius secũdo Abb. Generalis. LIII.

Biennio confecto 17. Cal. Maias anno 1507. suffragatorib. sex, & nonaginta in Comitijs, omnes, si tres tm̃ exceperis, conueniunt in F. Franciscum secundũ Ringheriũ, qui secundò munia Generalatus exercet. De illo nihil pręterea.

1509.

F. Thomas Palauicinus secundo. Abb. Generalis. LIV.

Frãcisco subrogatur 3. Cal. Maij, anno 1509. F. Thomas, qui supra, Palauicinus Prior in Monasterio S. Victoris, in quo pariter eodem cũ munere decedit anno 1512.

F. Domin. Leucanus. Ab. G. LV.

A Thoma Generalatus insignia accipit V. id. Maij anno 1511. iam quarta vice F. Dominicus Leucanus. Huic vitæ finis est anno 1516. in Monasterio Laudense Prioratum administranti. Annus 1513. ad amplissimum inter Oliuetanos honorem tertiò promouet F. Franciscum

1513 Ringherium. Regiminis curriculum conficere non licuit. Abbas Generalis declaratus statim Aedis Lauretanæ viam ingreditur votum Deo, & Mariæ redditurus, vt Monasterium S. Michaelis de Busco à bellorũ, incendiorum, aliarumque insultationum periculis eriperetur, nuncupatum. Dum regreditur, laterum, pedumque doloribus Eugubij adeò grauiter affligitur, vt habeatur decimum & quintum, siue vigesimum diem exanimis. Sed, cum tantisper conualuerit, repetit Montoliuetum. Ibi eòdem relabitur, & die S. Hieronymo sacra naturæ magna cum pietate satisfacit natus annos vnũ, & sexaginta. Ab excessu tres horæ sunt, cum solum grauissimo terræmotu concutitur. Eius imperium vsque ad Nonas Maias anno consequenti à F. Barnaba Bononiensi Proabbate Generali, & à Visitatoribus obtinetur. Cum publico, eoq. extraordinario consensu Generalatum assequitur F. Philippus Vitellianẽsis, vir magna integritate, omnigena virtute, ore venerabili, ingenio eodem amabili, eodemque formidabili, vbere quidem, non tamen nimiùm exquisito sermone, quippe qui bonis literis non mediocriter institutus, & artibus, ac disciplinis omni ætate deditissimus. A muneribus vsque adeò abhorruit, vt vel tenuissima quæque constantissimè reiecerit; quod & sermonibus, & literis, & præcipuè operibus suadere conatus est suis Visitatoribus, cum illa sæpius inculcaret. Principes tui socij furum, omnes diligunt munera. Illico Monachis nonnulla præscripsit, quæ ego habeo manuscripta. Accipiuntur, approbantur. Iubentur in primis crepidas, non soccos induere. In Cœnobijs obeundis multum desudauit nullo commodo exterritus, & Imperium Venetum, quod illa tempestate in armis erat, nullo periculo impeditur, quò minus totum inuisat. Nicolaus Fliscus Cardinalis Philippo dominante Cremonę nobis attribuit Abbatiam S. Thomæ. Ager emitur hoc anno Præsidis opera nomine Puteus Florenis centum Monasterio Montis Oliueti, vbi vita fungitur anno 1535. Proabbas Generalis. Post eum Reip. Oliuetanæ gubernacu-

F. Franciscus secundus Ringherius. tertiũ Ab. Gen. LVI.

F. Francisco in ipso Generalatu sie mortuo, paulo post fit granis, & ingens terræ motus.

F. Philippus Vitellianensis. Abb. Gen. LVII.

Soccorum vsum abolet.

Monasterium Cremonẽse accipitur.

1516 lum traditur Idib. Aprilib. anno 1516. F. Leonardo Porcello Eugubino. Is nobili genere ortus, anteaquam Monasticæ vitæ sese addiceret celeber Iurisconsultus ab omni tamen honoris cupiditate longissimè aberat, neque illum dignitatis gradum affectabat modestia, lenitate, & facilitate in sermone admirandus; penè septuagenarius, & propria, ac iucunda oris specie venerabilis, morumque suauitate charissimus vniuersis. Quare eius imperium nec graue, nec molestum alicui. Dum potuit, studiosos extollere cupidos honorum deprimere, malis incidentibus sapienter occurrere. Cœnobia Congregationis, more Oliuetano, non inuisit, genu vlcere impedito, quo à Medicis equitatione interdicebatur, ne certissimum adiret mortis periculum. Ferè perpetuò sedit in M. Oliueto, viris tamen idoneis, qui optima illius consilia exequerentur, Visitationis munus demandauit. Hoc biennio in Congregatione summa tranquillitas. Cum Priorem ageret Eugubij anno 1532. è custodia

F. Leonardus Porcellus Eug. Abb. Gen. LVIII.

Congregationẽ non obit vlcere impeditus.

1518 corporis euolauit. Anno 1518. VII. Cal. Maias honestissima centum

ac duodecim (reliqui tres dissentiũt) Monachorum suffragatione cymbæ Oliuetanæ Nauarchus constituitur F. Barnabas Ceuenninus Bononiensis ingenio perspicax, cõsilio prouidens, sermone grauis, quem tamen lętis iucundisque salibus inspergebat, in negocio lenis, & humanus, & adeo cautus, vt res ipsa prius opinione apparuerit, animo integer, moderatione spectabilis, æquitate insignis. Extabat in illo suauior quædã asperitas, & tanta pacis, societatisque cupiditas, vt nihil in ore frequentius fuerit, quàm Concordia, de qua, euoluto biennio, cũ prouincia abeundum fuit, Monachis orationem habendam curauit. Diurnis, nocturnisque precibus, dum cura Pastoralis non destinet, religiosissimè intererat. Iniurias nullo negocio condonat, beneficium rependens pro maleficio. Pietate præstitit, & pręhumaniter ægrorũ cubicula adijt consolatione, & ad ægritudinis tolerantiam cohortatione adhibita. Floruit, Barnaba præsidente, F. Iulianus Vannellus Florentinus Cosmographus, qui inter cętera magno artificio, & labore Sphęram miræ magnitudinis, quæ in Bibliotheca Montis Olíueti hodie cernitur, ædificauit, & F. Raphaelius Brixiensis, qui in opere segmentato faciendo sua
memoria palmam retulit. Eius multa, eademque insignia conspiciũtur 1520
opera in varijs nostræ disciplinæ monasterijs. Campanã libris quatuor mille grauem sacrę Turri Barnabas adiecit. Gentis Oliuetanę datur inde gubernaculũ, habitis comitijs anno 1520. III. Cal. Maij. F. Constantino
Mediolanensi administrationis perito, Proabbatiali, pręter alios, sępius 1522
honore vso. Eius industria M. Oliueti Bibliothecę accessio facta est ducẽtorũ voluminum, & Monasterio S. Victoris de Mediolano Abbatię Præcipianensis. Constantino sufficitur ãnno 1522. V. Id. Maias, F. Michael Bindus Volaterranus ætate prouectior, antea sępius Visitator, & Alphonsi Aragonensis Regis Neapolis, cuius animam inter vlnas excepit, sacerdos, &, quod aiunt, Cappellanus. Is à Congregatione delegatus in Apuliam contendit iura Monasteriorum vsurpaturus, Butuntini, Liciensis, Galatinij, & Barolini, quod S. Scholasticæ & S. Claræ positum est, & in Siciliã Buscani propè Iulianam, quibus & alijs in Regno constitutis multa Regem exorauit. Suis igitur cum munere Abbatiatus pręfectus summo iure, summo studio non citra admirationem moderatus
est. Coacta ex Monasterijs pecunia, Breuiaria, more nostro, typis emi- 1524
sit. Leges & decreta non edidit, satis est, inquiens, si per maiores edita seruentur, quod quidem, vt omnes pro viribus faciant, magnopere cohortatur. Efficit vt Monasterium S. Mariæ de Cappellis iuxta Neapolim nobis attribuatur. Templum Virginis annunciatæ extra Laudum, quod olim spectabat ad Monasterium Villænouæ, erigit titulo Monasterij.
Biennio elapso XV. Cal. Maias. iterum munere Generalatus cohonesta- 1526
tur F. Barnabas Bononiensis, qui altero anno prid. Cal. Feb. vita excedit. Regit pro illo, quod de biennio superest, F. Constantinus Mediolanensis, more antiquo, Proabbas Generalis, qui & Comitijs insequentib. X. Cal. Maij secundò Generalis eligitur Monasteriorum, quorum multa

diruta

F. Barnabas Ceuenninus Bonon. Abb. Gen. LIX.

Est pacis, quietisq. studiosissimus.

F. Iulianus Vãnellus Florentinus Cosmograph' Oliuetanus.

F. Raphaelius Brixianus Faber Segmẽtarius Oli.

F. Constãtin. Mediolan. Abb. Gen. LX.

F. Michael Bindus Volater. Abb. Gen. LXI.

Breuiaria typis emissa.

Nihil decreuit fa- ??? inquiens, multa decreta

F. Barnabas Bononiensis secũdò Abb. Generalis LXII.

F. Constãtinus Mediolan. secũdò Abb. Generalis LXIII.

diruta, & direpta incredibili dolore, ac merore afficiunt, visitatione fermè prohibent Constantinum bella, quæ in Etruria Florentini, & Senenses, Hispani verò, & Galli in Insubria gerunt, pestifera lues tota Italia latè serpens, cladem que inferens, & non satis commoda valetudo. Annum preerat secundum, qui à Dominica redemptione quinti, & decimi sęculi septimus & vigesimus, cum Clusurini, habito, cui interesse mos est in singulas domus singulos homines, conuentu, Monasterium

Parœciam Clusinij tradũt Mõte Oliueto Clusurini.

Montis Oliueti æde Curiali, vel Plebana, qua iure Patronatus vtebantur, S. Michaelis donant cum prædijs aliquot. Pontifex, petente Generali, ratum esse iubet, & potestatem facit, vt suo arbitratu, Monacho, vel Laico sacerdoti sacrorum procurationem imponat. Constantinus corporeis vinculis exoluitur Brixiæ anno 1531. agens Mediolanensibus

1528

F. Benedictus Tõsus Mediolan. Abb. Gen. LXIV.

Priorem. Anno 1528. V. Non. Maij munia Generalatus deferuntur F. Benedicto Tonso Patritio Mediolanensi, cum decora maximè auersetur, durius accipienti. Nihil magis vnquam studuit, quam vt in singulis Monasterijs disciplinas publicè aliquis profiteretur, nullum homini accidere posse supplicium dictitans, ignoratione grauius. Vox homine digna, qui sacras literas toto vitæ curriculo diligentissimè tractauerat.

Monasterium Genuẽse acquiritur.

Multa sustinemus, Bello flagrante Etruria.

Per hæc tempora Monasterium S. Stephani de Genua ad nos transmittitur. Clemente VII. Florentiam obsidente, pleraque nostra in Etruria, Monachis eiectis, militum insolentię patuerunt; vnde Benedicto singulare meroris, luctusque argumentum, & præcipuè, cum auditum est, Cœnobium arsisse Sangeminiani. Miserum propterea administrationis biennium exegit. Custodia corporis elabitur anno 1549. Mediolani.

1530.

F. Angelo Albenganẽsis. Ab. Generalis LXV.

Substituitur anno 1530. postridie. Non. Maij F. Angelus Albenganensis, Saliæ genitus, quod est castrum in Liguria, parentibus Albenganensibus, gente Ceriana. Bene, & religiosè educatus à puero de se egregium nescio quid pollicitus est, vt parentes mercatorio artificio addicere velint. Ille tamen mercator cęlestis vt Deum inueniat, rebus humanis salute dicta, in Monasterio Deiparæ Virginis, quod habet Vallis pia de Finario, quò pietatis ergo concedit, sese Oliuetanis adscribit. Sacerdotium vix consecuto Ordinis tyrunculi dantur erudiendi, æuoque maturiore vtenti varijs in locis per decennium, & præcipuè Prioratus, hinc Visitatoratus demandatur. Hæc omnia munera obijt perquàm egregiè, & per inclyta merita primum in sua familia dignitatis gradum adipiscitur. Dum viuit, & potissimum dum Generalatum gerit, in parsimonia victus, aliarumque, quæcunque sint, deliciarum secundus ferè visus nemini, tenui quidem vbique, sed honesto cõtentus apparatu. Leuissimam

Memor est non iniuriæ, sed beneficij.

quamque iniuriam, exiguumque dedecus Deo irrogatum, nec nouerat, nec poterat vnquam dissimulare. Inuicto patientiæ clypeo semper munitus, dicere solitus est, nihil sibi accedere iucundius, quam maleficia obliuisci, beneficia recordari. Ideo nonnulli in maxima Oliuetanorum sede collocatum videntes, cum sibi ipsi primùm non leuiter timerent, deinde pro vltione, & animaduersione beneficentiam, qua dignitates,

gnitates, & honores deferebat, contemplati, similes attonitis vestigia Præsidis statuunt persequi. Angelo præsidente Armazottus de Armazottis Bononiensis, qui Pontificis copias ducebat, Monasterium tit. Sancti Michaelis in Alpibus ad Scaricalasinum condidit, &, dote assignata, tradidit Congregationi. Angelus demum anno 1535. Prior in Finario nauim cum alijs, nescio quò, conscendens, non amplius apparuit, sed cum naui, cum socijs misere, quæ nobis certa fides est, interijt. Anno 1532. XI. Cal. Maias, omnibus publicè plaudentibus Abbas Generalis creatur F. Hippolytus secundus Mediolanensis. Cum regio Montis Oliueti infęcundissima sit, sedemq. habeat tanta aquæ penuria laborantem, vt mensibus æstiuis horti, aliaq; loca maximè sitiant. Mens fuit Hippolyto subuenire in perpetuum annuo, &, sic dixerim, grauissimo incommodo, piscinâ, quò aquæ pluuiæ vbertim effusæ seruarentur, extructa. Rem postero anno aggreditur Io. Baptista Pelorio Architetto, Hieronymo Senensi artifice, quibus cum ita conuentum est, vt lacus cubitis septuaginta in longitudinem, latitudinem verò quinque, & triginta pateret muro, specie tamen, quamuis non perfecta quadrilatera circumdato, qui ab imo ad summum cubitos octo haberet cum alijs cisternulis, & adiunctis, quæ id operis exigere videbatur. Hisce dimensionibus Piscinam constare crediderim, cum neque ipse per me, neque per alios demensus sim. Satis dictum putes hoc ædificium in Monte Oliueto censeri insignem præ cæteris, quæ ibidem conspiciuntur, nobilitatem non modo, sed etiam vtilitatem importare. Bienne Hippolytus imperium infeliciter absoluit. Magna enim orta controuersia (vnde tamen, non satis notum) in huius regiminis exitu inter Montoliuetenses. Bononienses aiebant se multa passos ab Hippolyto Abbate Generali minus bona aduersus illum voluntate vti. Paulò post ex occasione palam faciunt. Pontifice, qui Bononiā contenderat Imperatorio aureo diademate Carolum V. exornaturus, in S. Michaelis de Busco, vt à negociorum curis, & molestijs aliquandiu conquiesceret, triduo diuersante, nouam aliquid aggrediuntur, quo euulgato, tumultus, & dissensio excitatur, & eousque progreditur, vt Florentini antea fortassis irritati apertè commoueantur, seseq. aduersarios profiteantur. Nam Pontificem ad Franciscum Galliæ regem profectum, & in Etruria commorantem adeunt omnes queribundi, vt nouis constitutionibus tyrannidem in Congregatione quotidie magis inualescentem cohibeat, & ideo post Hippolytum suo diplomate faciat aliquem Abbatem Generalem, qui multa temperet, & componat absona. Vtrinq; diu concertatum hic, & alibi, & in Vrbe potissimum cum vtrisque homines præponentes, varijq; Principes præsidio adsint, Pontifex, & Federicus Cardinalis Cæsius Congregationis Protector dissimulare, dicere, se facturos, multa polliceri, omnibus bene loqui. Verùm Comitijs imminentibus, Factio Hippolyti, ne diploma perferatur Congregationis, quod ad libertatem spectat, incommodo, adniti, &, (quod & altera probauit) suadere, vt quatuor nominentur, ex quibus alter ad Abbatiatum

Dat nobilis Bononiensis Monasteriū Scaricalasinēse.

F. Angelꝰ è vita misere abripitur.

1532

F. Hippolytus secundus Mediolan. Abb. Generalis LXVI.

Piscina M.Ol. nein amplissima cōstruitur.

Lis satis ꝑ molesta inter Bononienses, & Florētino.

Federicꝰ Cardinalis Casius Protector.

Ad litem constituendam quatuor in Abbates no-

mirantur ut hinc unus eligatur.

batiatum proponatur. Ea re maximè commouentur Pontifex,& Protector. Primum è quatuor locum obtinet F.Cyprianus Veronensis.Fautoribus Hippolyti rem suam Romæ defendentibus satis impetratum videtur. Nihil non accipiunt, modò nullum diploma proferatur, nullus, quod magnopere metuebant,ad Comitia,vt aiunt,Commissarius accedat.Cum res iam conficienda sit, vt hi iam ad Comitia concedere parati, terga vertere videntur, & exiguam fidei præstandæ significationem dare. Pontifex,& Protector post eos mittendum existimant Præsidem, vel Legatum duabus de causis;primùm, vt Bononienses, & Florentini, qui demorabantur Arretij Legatum expectantes,cum hunc Montoliuetum aduenisse cognoscerent,ad Comitia liberiùs descenderent; deinde ne Hippolytus cum suis contra quàm promiserat, aggrederetur. Etenim Legato mandatum,vt,cum pactionibus staretur, diploma incenderetur, si contrafieret,& populares Hippolyti omnia suo arbitrio administrarent, ius penes diploma esset. Legatus igitur iter ad Montem Oliuetum ingreditur (non lego quis fuerit,) & cum Monachis, quos in itinere offendit,quosq; in M.Olgueto congregatos inuenit,se non ex composito adijsse testatur,vt erat in mandatis,itineris causam sapienter, & callidè dissimulans. Illi Arretio progrediuntur ad M.Oliuetum,& qui Hippolyto fauent,numero aucti in proposito manent, ne quem è quatuor ad Generalatum nominatis accipiant. Cognito autem, quorsum aduenerit Legatus, Senensibus auxilia petenda constituunt,nihil minus suspicantes, quàm Diploma Romæ euulgandum. Id verò contigit prid. eius diei,quo Comitia habeantur. Legatus Hippolyti, quem sæpius admonuit,in sententia pertinaciam intelligens, varijsq. omnium consilijs, & opinionibus nunquam in Abbatem Generalem coituros, cui vtraq. factio subijciatur, controuersias tollere statuit; & cum Bononiensibus, Florentinis,eorumq; studiosis,inter quos,& ille, quem diximus F. Cyprianus Veronensis, qui propter insignem mentis integritatem,optimè audiebat,hunc adit,oblato diplomate. Tum Cyprianus valde admiratus,vt pote mitis,& moderatus, grauiter, & molestè patitur, quod per suffragia sodalium Maximus Antistes, quæ vetus iam consuetudo est, non eligatur,ideo non accipit, non legit. Legato id à Pontifice præceptum attestante, &, si minus legat, eius nomine sacris interdicente, aperit, & publicè multis, qui aderant, altiori voce recitat. Extemplo per eos,quorum id interest permagni,fama peruulgatur eorum, quæ inter Legatum, & Cyprianum euenerint. Hinc fautores Hippolyti ad eius cubiculum conuenientes mirabundi, quid faciant incerti. Interea loci Senensibus instant,vt maturent afferre subsidia. Quid autem? factione iam reiecta præcipuè, quia rei nouitate permoti, & Pontificis Imperio rati non posse obsisti, nihil agere, & rem omnino prætermittere decernunt. Cum res ita sese habeant, Oliuetani sua in re esse arbitrantur nihil constituere, & ad posteram diem supersedere, cum mane Hippolytus summam inter Montoliuetenses prouinciam depositurus sit. Propterea ante-

Mittitur a Pontifice legatus ad Comitia.

F.Cyprianus Veronensis agre ferens, Abbatem per suffragia non renunciari, à Legato diploma Pōtificiū non accipit.

antequam factio minuatur, & deficiat, mentem Cypriani, & diplomatis sententiam planè audiendam ducunt. Cyprianus igitur humilis, ac mærens socijs vnà conuocatis non ita ferre voluntatem suam exponit, vt quidquam derogetur inueteratæ consuetudini, & Congregatio pristina libertate, ac facultate careat Abbatis per suffragia renunciandi, porrò ita consultum velint, vt nullum capiat respublica periculum, & ipse nihil à communione fidelium segregetur, sese profectò, quò cõmodiùs noua institutio vitetur, negocio dies aliquot temperaturum, dum Romę apud Pontificem de abrogando, & antiquando diplomate, de Monachis in veterem libertatem vindicandis agitetur, sanctè pollicitus, quæ omnibus, & dignitati, & vtilitati sint, diligentissimè seruaturum. Lenissimis hisce vocibus deliniuntur animi, tantaq; moderatione Cypriani, & ipsi quoq; euincuntur aduersarij, ita ut omnes etiam atq; etiam reputantes, virum æquitatis, bonitatisq. non vulgaris à sorte, & à Pontifice præpositum Oliuetanis, qui magnum in Congregatione iurgiorum, litiumq; incendium restinguat, sententiam mutare cæperint, & Pontificis decreto obtemperauerint. Postera luce, qua tertius à Paschate Dominicus dies illuxit Monachis cõgregatis, & Numinis ope celebri sacrificio implorata, & omnibus in templo cæremonijs adhibitis, Hippolytus facundè, & sapienter disseruit præcipuè dolorem, quo ipse contabesceret, testatum faciens, quòd, se Abbate Generali talis, ac tãta rerum perturbatio extiterit, id tamen nulla sua culpa admissum, nihilq. laboris ac studij prætermissum intelligentem sese aliqua consolatione recreari, gratulariq. dignissimum successorem. Hac oratione lachrymas auditoribus conciuit, atq. inde, vt moris erat, Generalatum deposuit.

1534

F. Hippolytus, habito sermone lacrymas mouet.

Nihil ampliùs Latinè pro suggesto dictum est ex instituto, quod etiam per aliquẽ è nostris factitatur, antequã Generalis electio ineatur. Ducebatur enim superuacaneum, cum persuadendum, siue consulendum non esset, vt ille potius, quàm iste Generalis persona augeretur, iam cõstituto Cypriano.

Orõ antea quam Abbas Generalis declaretur.

Is itaq. sociorum corona circundatus, quid pridie contigerit, breuiter exponit, literas Pontificias sibi oblatas, quas profert, & publicè legendas tradit, potissimùm Visitatori. Audita illarum sententia, cum plausu gratulantur vniuersi. Ideò ex more ad electionem, siue malis confirmationem Abbatis, & ad alia, quæ fieri consueuerunt, acceditur. Multis deinde statutis, quæ omnium, qui Comitijs adsunt sociorum suffragio comprobantur.

F. Cyprianus Veron. Abb. Gen. LXVII.

Abbas cum Proabbate, & sex Visitatoribus ad priuata quædã subsellia secedit, quæ nos vulgò Banchettum appellamus, vt Monasteriorum familias decernat, munera, & honores deferat, eaq; omnia transigat, quorum nemo particeps pręter Abbatem, Proabbatem, Visitatores. Hic iterum disceptatur. In creandis Præsidibus, honoribusque partiendis inter se, & à summo Antistite dissident. Itaq; nec sibi ipse, nec alijs satis Abbas facere potest, sæpe numero dictitans, se à Pontifice, & ad pacem afferendam, & ad litigia tollenda in eo munere collocatum ad hos magis, quam ad illos propendere nefas esse. Rebus oblanguentibus,

Dissidia i priuatis subsellijs, quæ nos Bãchettum :

tibus, & in longum obeuntibus, omnia Pontifici, atq. Protectori tacitè renunciantur. Vterq. vt credere par est, rei indignitate permotus nouo diplomate liberè permittunt Abbati, vt, vel cæteris discrepantibus, res Oliuetanas suo arbitrio conficiat. Tantam de sanctitate, & virtute Cypriani Pontifex opinionem gerit, vt eius tantummodo consilio, integritate, & prudentia iudicauerit, tam multas posse controuersias dirimi. Id quidem ægrè patiuntur Collegę, sibiq. adeo prouinciam impositam dolet non mediocriter Cyprianus. Attamen cum potestas insolito homini maxima moderatione prædito data sit, omnia feliciter proueniunt: quamuis enim negocia ab eius voluntate dependeant, nihil tamen sine Collegis deliberat. Visitatorem modò renunciat F. Archangelum Fliscũ sapientia, eruditione, morumque innocẽtia satis præstabilem. Post hæc, noua Prioratuum, dignitatum, & locorum distributione euulgata, Comitia dimittuntur non sine multorum obtrectatione, & maleuolentia, cum in tam vario, ancipiti, & repentino rerum euentu morẽ gerere omnibus Præsul non potuerit. Cyprianus (ita nomine Pontificis mandauerat, qui diploma attulit) statim ad Vrbem iter habet, vt nonnulla a Pontifice cognoscat de statu Congregationis. Ex illius adspectu non solum cum cæteris Cardinalibus Protector, sed etiam Pontifex ipse voluptate quadã afficiuntur, & lætitia, quòd hominem in præteritis controuersijs exornauerint, eoq. vehementius excitantur, vt pro eius dignitate multùm elaborent. Pontifex in primis admonet, vt pro viribus audaciam illorum coerceat, quos in Congregatione audiat summos dignitatis gradus affectare, ideoq. ambire, & artibus Religioso viro indignis vti, se, id quò commodiùs exequatur, opem suam continenter allaturum. Dum Abbas Romæ studebat penitus sedandis in Congregatione dissensionibus, rumor dissipatur Hippolytum, & tres eius perquàm studiosos Romam in iudicium euocatos, causa ignorata. Periculo, quod Hippolyto impenderet, sapienter obstitit Cyprianus solita industria, & debita erga fratrem, eo tempore subditum charitate, adductus. Ex Vrbe remeans totam æstatem in Monte Oliueto absumpsit, posita in sacris literis opera. Interim rumor euagatur, Pontificem grauiter iacere, paulò post agere animam. Quare, qui inimico in Cyprianum animo vtuntur, accendi, & cum virus diu pectore inclusum continere neq. sciant, neq. valeant, euomere, & palam dicere, occasionem satis commodam adesse diplomatis abolendi, continuò rem instituere. Abbas sociorum consilia assecutus vehemẽter angitur cum suis, quòd nullam dissensionis causam præbuerit, & tam multa sustinuerit, vt omnia penitus conquiescant. Sed ecce tibi nuncius affertur, melius esse, non tamen sine admiratione, Pontifici, & nullum vitæ periculum. Hic animum Cyprianus recipit, & de tollenda turbarum occasione cogitat. Socijs hortantibus remouet ab honoribus nonnullos, aliosq. subrogat, dehinc Protectoris literas profert, quas ille voluit locum habere diplomatis, legem Pontificiam promulgat, vt sex, qui hucusq. fuerint, Visitatoribus duo adijciantur. Nec mora, suffragijs

A Pontifice componuntur.

Cyprianus Romæ gratissimus.

Pontifice decumbente iterum ãgitatur.

gijs visitatores fiunt F. Vincentius Buccaferreus, & F. Philippus Serralius Florentinus, partium, quæ maximè valent, facilè Principes, vt propterea confirmatæ validiùs, acriùsque videantur. Interea Pontifex vita fungitur, atq. ea noua occasio factiosis dissidia restituendi. Vtrisq. qui studia Cardinalium non desiderant, in Pontifice renunciando spes est. Ad Pontificatum assumitur Cardinalis Farnesius nomine Paulus III. qui Cypriano, Buccaferreo, & asseclis fauerat in Controuersijs. Verumtamen Sodales Mediolanenses, quibus res Oliuetanæ minus arridebant, opera Primatum, & Principum non facilè a Pontifice impetrarunt, vt quatuor ex ipsis ad Vrbem sese conferrent, qui eum de omnibus edocerent, suasq. rationes exponerent. Re cognita Cyprianus, socios occupare, & interturbare meditatur. Igitur ad quatuor delegatos mittit, vt Romam petentes per Montem Oliuetum iter faciant, grauia quædam, & quæ Reip. Oliuetanæ plurimùm expediant, communicaturum. Interim studio F. Antonij Bentiuolij, quem Abbas Generalis Romam delegauerat, & F. Bacij (ita vulgò, sed re vera F. Bartholomęus Florentia oriundus Paulo III. perquam familiaris, vt proinde in S. Mariæ Nouæ complures annos Abbatiatum obiuerit) Pontifex nouo diplomate, quæ Clemens eum in Pontificatu antegressus sanciuerat, rata, firmaque iussit. Mediolanenses cum Romæ Generalis acta accepissent, finemq. exoptatum nulla ratione consecuturos intelligerent suadente Pontifice, ad Cyprianum accesserunt, eiusque consilijs, & deliberationibus sese totos tradiderunt. Cum suis pariter acquieuit Hippolytus, cum extrema iam expertus esset, Pontificis aditu quæsito, & impetrato, quem in proposito diplomate cōstantem animaduertit, Antistes, Prouincijs, Visitatoribus diuisis, Neapolim contendit nescio quos tumultus, vt clementer, & iustè sedauit, sedaturus. Inde repetens Montoliuetum in ædificatione tempus posuit. Valetudinarium restituit, magna ex parte Piscinam reparauit, & ædiculam vicinam, aliaque non multùm referentia, quæ missa facimus. Sed in re magnum quidem momentum afferente eadem se memoria dignissimum laude præstitit Cyprianus sapientiæ, & æquitatis nō exiguæ posteris exemplum. Æquo non satis consonum arbitratus, vt in deferendo Abbatiatu, nullus Ordo, nulla Prouinciarum, & Nationum diuisio, adeo vt non omnes vniuersè, sed altera magis minùsve cęteris summo illo honore impartiretur, Congregationem statuit in posterum fore bipartitam Vltramontanam, & Citramontanam, hoc est, Vltra, vel Citra Appenninum, & ex vtraque Abbatem alternè eligendum, ita tamen, vt, qui semel Abbas, hoc est biennium fuerit, in eodem dignitatis gradu post sexennium tantummodo locari possit. Atque vt omnes publicis subsellijs adfuturi liberè, & Numine impellente, eligerent, & simultates faciliùs euitarent, non modò Abbatem, sed etiam in quouis Monasterio. Discretum, vt vocant, & alia in Monte Oliueto, Monachis suffragantibus, non proclamantibus declarandum. Prætereа, vt in Comitijs, sortibus ductis, octo Præsides euocarentur, quatuor nimirum Ci-

Lex à Pontifice de augendo Visitatorum numero.

Sociorum Mediolanensiũ ad Pontificem Legatio.

Congregatio diuiditur in Vltramontanos, & Citramontanos causa Generalatus.

Varia à Cypriano constituta.

tramontanos, quatuor Vltramontanos, quorum partes essent videre, numerare, & diligenter examinare suffragia pro Abbate renunciando inita, cum semel atque iterum in anno sex Visitatores omnia Monasteria circumuisere non possent, octo in posterum, quatuor ex Citramontanis, quatuor ex Vltramontanis essent, vt paulò ante memoratum est, commodo Congregationis, & Nationum ornamento; ne quis ex Visitatoribus, vt nulla beneuolentiæ, inuidię, cognationis, vel cupiditatis ratione à recto declinaret, suam ipse inuiseret Prouinciam. Denique quia experimento compertum fuerat, data iunioribus imperia multis, eisque publicis afficere Congregationem incommodis, cum plerumque in iuuentute, quæ imperantibus necessaria ducitur, experientia desideretur, vetitū voluit, ne vllus in posterum vel minimo quouis honore augeretur, qui octo admodum annos honestè quidem in familia Oliuetana non transegisset, videbatur enim adolescentulus certè quindenarius inter Oliuetanos adscitus, eo temporis interuallo posse paulatim leuiora dignitatum munia agitare. Hæc à Cypriano præscripta, vt quæ Reipublicæ Montoliuetensi apprimè vtilia, ac necessaria visa sunt. Quamobrem omnia, & quæ potissimùm ad electionem Abbatis referebantur, eiusdem Pontificis auctoritate firmanda curauit. Impetratum est cum absolutissima culparum, pœnarum, & censurarum, quibus aliquis sese Monachus obstrinxisset ex factionibus, dissidijsque superioribus, condonatione. Ad hęc Cypriano placuit vetera quædam Decreta colligi ad obseruantiam, idque dare negocij F. Philippo à Vitelliana, & alia apponi, quæ sunt; Vt, adolescentulo cum cęrimonijs profitente omnes è familia adessent Cucullo induti; Ne feria sexta in cœnaculo ouis, aut id genus cibarijs quispiam vesceretur; Ne adolescentes ante sexennium tyrocinia deponerēt. Ad hęc, Studia literarum in Congregationem primus inuehit, multumq. in eo laborat doctissimus vir, qui magna ex parte voti compos est. In multis enim Cœnobijs Musęa aperiuntur, fitque processus non vulgaris, vnde Oliuetanis maximus dignitatis splendor exoritur. Pontifice permittente, Locum S. Iacobi è Monasterio S. Mariæ in Organis pendentem titulo cohonestat Monasterij, idque in primis, quòd præcipua religione coluerit illum Apostolum, cuius Corpus non temerè credimus, de quo in altero libro disseretur, ibidem requiescere. Grauiter semper tulit Cyprianus absonum, & indecorum etiam ratus è summis Monasteriorum Præfectis alios, nempe qui ea loca regerent, quę ab origine, & institutione dicerentur Abbatiæ, Abbates, alios verò Priores appellari; eò magis aiebat, quòd Prioris appellatio nihil pietatis haberet, nihil amoris præseferret, sed potius nescio quid superbiæ, & elationis ostentaret. Id quidem non accidit nomine Abbatis, quod Patrem interpretamur, & optimè conuenit cum ijs, quæ S. Benedictus in Regula decernit, & aliæ Congregationes Benedictinæ obseruant. Supplices igitur ea de re literas dedit ad Pontificē, qui diplomate 3. Non. Febr. 1535. edito, tribuit, vt qui Monasterijs imperarent, Abbates vocarentur, quique eorum vice fungerentur,

A Pōtifice confirmantur.

Studia instituūtur.

Cęnobium Ghirilianense cōstituitur.

gerentur, Priores aut Vicarij. Ita posthac maximus Antistes, vt antea Abbas Generalis, &, qui pro illo Monasterium Montis Oliueti administrat, Vicarius Generalis dictus est, cum antehac plerumq. Prioris claustralis titulo vsus sit. Hæc à Cypriano confecta, quibus ampliorem ne famam sibi, an Oliuetanæ familiæ dignitatem pepererit, pro incerto est. Multi, quod aiunt, cum ab adolescentia hominem viderent, vario laudum genere ornatissimum, Abbatem Generalem prænunciarunt, & maximo quoque amplitudinis loco dignati sunt. In edendo, in potando, in dormiendo parcissimus est, vnde, si falsus animo non sum, illa corporis macies, illa vocis exilitas, qua sępius in Psalmodia planè destituitur. Pauca, & submissa voce loquitur, grauiter tamen, sapienter, suauiter, & modestè, vt nihil vnquam fastidiuerint, quibuscum sermonem, quod interdum accidere solet, longiorem contulit. In gressu grauis admodum, & venerabilis, in sacra pariter, & humana Cęnobiorum administratione cautus. Palam faciunt quæ in singulis beneficentissimè præstitit. In equis, alijsque rebus omnibus nihil exquisiti, nihil ornati, sed, quod tantùm commodo sit, vsuique postulat. Se perpetuò præstat Diuini cultus studiosum, diurnæ, nocturnæque precationis amantem, Beatissimæ Virginis veneratorem, pium afflictæ fortunæ consolatorem, munificū egentibus, facilè ignoscentem, de male habentibus bene merentem, denique modestiæ, & humilitatis diligentem. Nemo tamen crediderit, nunquam aut verè, aut falsò insimulatū, quia, Nemo sine crimine viuit. Equidem scio accusatum, quòd plures quàm debuerit, hoc est ferè viginti Præfecturis abire iusserit. Id tamen facto opus fuit, vt rem Oliuetanam ad ocium deduceret, temporum conditione exigente, & potissimum Pontifice Clemente, vt supra significatum est, admonente. Verùm, vt redeam ad alia, quæ, Cypriano Abbate, facta sunt, scire licet. Cùm in familia Seruitica ingens quædam orta seditio nulla posset ratione componi, Theologus ex illis nomine Angelus à Cruce Bononiensis, cognita sociorum, mentiumque dissidentium pertinacia, consilium cępit ex illo quasi turbulento, agitatoque pelago ad hunc ferè tutum, & tranquillum, quæ Cypriani sapientia est, nostræ Congregationis portum perfugiendi. Accipitur, & nostris indumentis amicitur. Pontifex probato consilio, diploma emittit, iubetque, perinde ac disciplinam Oliuetanam professum, eum inter Monachos locum obtinere, quem si tricenarius in ea esset (tantus enim in Seruitica) obtinuisset. Eodem anno permittitur, vt Bononiæ conciones habeat. Palmam assequitur, non modo, quod doctissimè disputat, sed etiam, quod frequenti Concione auditur, plerisque rei nouitate commotis, cum nemo antehac Oliuetanus ex superiori loco publicè dixerit. Ferunt hæc omnia à Pontifice concessa, nostris exposcentibus, apud eum ita gratiosis, vt nihil non impetrent, immo petitiones illorum anteuertat, adeo delectatur etiam multò ante Pontificatum institutis, moribus, rebusque nostris. Quamobrem inito Pontificatu, cum eandem erga nos pristinam, & singularem beneuolentiam præstaret,

Pontifex, vrgente Cypriano Prioris Albatitul. (?) exhonestat.

Laudes Cypriani.

F. Ang. à Cruce Seruita ad Oliuetanos trāsgreditur.

Primus ex Oliuetanis concionatur.

Pauli III. in Oliuetanos beneuolentia.

Baccium,

F. Bartholomeus, aliás Baccius Florētinus Oliuetan⁹ Abbas Paulo III. Pont. Max. gratissimus.

Baccium, quem supra memorauimus, hominem raro ingenio, vrbanitate mirabili accersiuit, eiusque consuetudine ita oblectatus est, vt illum non siuerit Congregationem repetere, immo ne ędibus quidem Pontificijs egredi, vt quauis tempestate, illo vteretur ad maxima. Tantùm gratia, & amicitia potuit apud Pontificem, vt plerique Principes, & Cardinales Baccium adirent, cuius opera Pontificis copia esset, &, quicquid in optatis haberent, facilè obtinerent. Tota scilicet, œconomia in domo Pontificia Baccij prudentiæ, & industriæ tradita. Per eadem tempora cum in Italia expectaretur Carolus V. Imperator, qui Tuneta expugnata ex Africa more triumphantis repediebatur, infinita hominum multitudo Romā confluebat, cumq. Pontifici Oeconomorū cura necessaria videretur, literas ad Cyprianum dedit, vt quàm primùm F. Vincentium Buccaferreum ad Vrbem mitteret. Mittitur à Cypriano Buccaferreus, benignè excipitur, Pontifice ita loquente, Inueni hominem secundum cor meum. Paulò post Cardinalibus cupidè annuētibus, qui eum Bononiæ nouerant S. Michaelis in Busco Priorem, & ad magnifica quæque agitanda idoneum prædicabant, Marsicanum creauit Episc. addita Oeconomiæ Pontificię prouincia, earumque rerum omnium administratione, quas Imperatoris aduentus Romæ exigeret. Ad finem properabat Abbatiale munus Cypriani, & iam quæ Comitijs necessaria essent comparabantur, cum ecce nuncius, Imperatorem ductum amplitudine, & nobilitate, quæ fama ipsa percrebuerant, Montis Olіueti, ex Vrbe eò discessurum, locique pietatem, & religionem veneraturum. Cyprianus, hoc certo quidem, sed ad tantum, æterneque memoriæ Principem excipiendum, admodum sero nuncio allato, quicquid operæ licuit, eò intendit, vt extra Monasterium, quà Carolo transeundum sit, viæ, pontesque instruerentur, in Monasterio autem non solum necessaria, sed etiam, quæ ad hospitem tam insignem quàm honorificentissimè accipiendum ornamentum, ac splendorem conciliare poterant, pararentur. Vndique igitur pendere serta varijs florum generibus contexta, Imperatoris insignia, ostia, & parietes serpentibus hęderis, virentibusq. lauris enitescere, multa passim eodem de Cęsare variè scripta legi, & pręcipuè Tetrasticon ab ipso Cypriano conditum inter alia Palatij vestibulo affixum.

F. Vincentius Bucafer. Episc. Marsicanus.

Venisti lustrare domos fortissime Cæsar,
Sacram queis nomen Mons & Oliua dedit.
Sic adeas victor sacrata cacumina montis,
Quem pedibus pressit Christus ad astra means.

Caroli V. Imper. ad MontēOliuetū acces sus.

Ventum est à Cęsare Montoliuetum anno restitutæ salutis 1536. IX. Cal. Maias, hora 22. Stetit in ipso vestibulo, & carmina non incuriosè legit. Inde Oliuetanos hic candidissimis Cucullis indutos, & in duos ordines distributos vtrobique eum expectantes humaniter salute impertitus, familia, & cohorte pedibus progrediente, solus grauissimo, & iucundissimo vultu nostrorum corona circundatus equitans processit.

Interim

Interim suaui, & religioso concentu, quo hymnum Eucharistichum exultanter prosequebantur, sacra vallis obstrepuit. Cũ ad valuas Aedis accessisset, lustrali vnda aspersus, & Crucem à Cypriano propositam exosculatus, subijt eisdem comitibus, genibusque inflexis cum breuiter Deo supplicasset, misso Monachorum concentu, pro Imperatore cum Ecclesia precatio effunditur, *Deus regnorum omnium* &c. Ante Cęsarem erat arula excitata duabus columnis, quibus Distichon inscriptum.

Plus vltra Cæsar geminas transferre columnas
Quid cessas? satis vtere propitijs.

Inde surgit, atque iterum salute Monachis perhumaniter annunciata, cum Principibus & Dynastis, quos officij gratia ducebat, Hospitiũ, quod primum Perystilium introeuntibus ad lęuam sese obijcit ingreditur. Ita pariter domicilia cònstituuntur Proceribus, & familiaribus tãto ordine, & commodo omnium, vt non mediocriter admirentur longè maiorem fama, & nuncio comperientes amplitudinem loci, cum nullo Monachorum incommodo amplius duo millia hominum cũ equis mille excepta sint, quorum hospitium magnum esset negocium ciuitati, ne dum Monachorum Cœnobio, vti Montolinetano exhibitum. Vespere Carolus Cyprianum accersiuit, & perquàm benignè hortatus est, vt aliquid expeteret. Cyprianus, ne quid exigere pretij more cauponantium videretur, nihil expetijt. Carolus tamen piæ liberalitatis ergò aureos centum Monasterio relinquit. Postera luce cum sacris interfuisset, Abbas Generalis multa cum illo disseruit, causatus tenuitatem hospitij, precatusque etiam atque etiam, vt nostra omnia Monasteria, & loca vindicaret ab incursionibus, & iniurijs suorum militum. Parco admodũ ientaculo habito, Senas hora ferè decimaseptima discedit. Post hæc, quę Comitijs imminentibus vsui esse possunt, instruuntur. Præsides igitur, & Monachi cum in Monte Oliueto cõuenerint, more antiquo, triduo ante tertiam à Paschate lucem Dominicam multa de electione collocuti, omnes denique cum auctoribus adeunt F. Philippum Serralium Proabbatem Generalem, qui loco omnium renunciet, quem malit, Abbatem. Quo accessu cognito, alij æuo, & consilio principes, & ipsi adeuntes idẽ Serralio permittunt. Congregatis omnibus, & Patribus, vel obsequio, vel dignitate, vel virtute præstantibus vnà consedentibus Philippus exurgens, & ad Cyprianum conuersus; Vox, inquit, Plauto digna fuit, Improbus ille est, qui acceptum beneficium cum possit, maius non restituit. Cum omnes huius Congregationis sodales tibi præterito biennio multa, eaque insigna beneficia in acceptis referant, nonnullam gratæ voluntatis significationem exhibituri, omnes vna eademque sententia successoris electionem tuo arbitrio, tueque sapientiæ tradunt. Negat sese id facturum Cyprianus, & alios cohortatur, vt liberè sententiã proferant. Respondet pro omnibus, Philippi oratione confirmata, inter octo Visitatores ætate prouectior. In tanta animorum coniunctione Cyprianus, vt cum Collegis deliberet, spatium petit, quantum duabus

Ostẽditur amplitudo Montis Oliueti.

heris

horis comprehenditur. Hæc perpetua hominis consuetudo, vt suæ, vel certissimæ, sententiam quoque aliorum adiungat. Itaque secedens cum illis, mox ad conuentum regrediens nullius offensione Generalem proponit, quem omnes ab eo pronunciandum censuerunt, F. Io. Baptistam Senensem, qui, socijs consulentibus, non adest. Cypriano adstipulantur, & hilares, lætique recedunt. Die Comitijs præstituta. i. Nonis Maij anno
1536 1536. habita per F. Benedictum à Verona Abbatem S. Iacobi nitidissima oratione, surgit è subsellijs Cyprianus, & eorum, quæ in Generalatus prouincia effecerat, rationem multa cum venustate reddit, se datam aliquando nonnullis maleuolentię, odijque occasionem vehementer indolere, omnia profectò duobus Pontificibus potius assignanda Clementi VII. & Paulo III. eum assiduè sollicitantibus, quàm sibi, cui nihil vnquam optabilius, quam vt omnibus morem gereret, Attamē, pro veteri, instituto, supplicem à Deo veniam exposcit omnium, quæ vel contra ipsum Deum, vel contra proximum admiserit. Deinde suffragijs collatis, Generalatus Io. Baptistæ demandatur. Is, anteaquam Montoliuetense institutum amplexaretur, nomine Hieronymus, Gregorio Cennio, & Francisca Ghinutia, qui honestissimum nobilitatis locum Senis obtinent, natus est. Parentibus id præcipuè studentibus in literis eruditur. Vsque adeo procedit, vt breuissimo spatio in re Medica, vnde Medicus ferè appellatur, plurimùm excelluerit. Dialecticam publicè interpretatur, nemine non admirante, adolescentiæ fines nondū egressus. Omnibus denique egregia virtutum ornamenta spectabilem efficiunt. Attamen honoribus, & delicijs, in quibus opibus abundans ætatem agere potest, pro nihilo habitis Deo nomina dare constituit. Ideo Matre fato functa, & inuito patre ad Montem Oliuetum sese confert. In ordinem adscribant orat, & obsecrat. | Tandem adscriptus eum sese præbuit, vt, cum quo tempore Monachus factus est, annū ageret quintum & vigesimum, paulò post Nouitios, ac tyrunculos instituendos acceperit, idq. muneris obierit in varijs nostræ familiæ Cœnobijs, potissimum in Monte Oliueto. Oeconomicam (vulgò nobis Cellarariam) prouinciam perpetuò abnuit, quippè quæ studia literarum interturbet. Prioratum deinde, & proximè Romanum assequitur, honore Procuratoris addito, in quo rebus præclarè gestis tantam præsertim à Cypriano gratiam inijt, vt, è socijs maximè dignis, quod modò significatum est, apertissimum elegerit ad summam Reip. Oliuetanę sustinendā. Initiò, vt aliquid gratię referat Cypriano, sciuit, vt quę ille sanciuerit, pariter colantur, pariter obseruentur, ac si in eodem loco sederit; atque vt Monachorum beneuolētiam colligar, à re coquinaria liberos voluit, & quod antea in coquina, hoc postea in Musęo tempus collocare. Id tamen, quod & Iuuenes immunitate abuterentur, & quòd seniores, legibus nostris penitus aduersari, quererentur, abrogauit, vt suo loco narrabimus, qui Io. Baptistę subrogatus est, F. Vitus à Prato. Neapolim inuisit, & pęnis, pręmijsque pro dignitate constitutis, respondet conceptę

F. Io. Baptista Senens. Abbas Gen. LXVIII.

de eius

de eius virtute opinioni. Multo plus suis ipse laboribus profecisset, si in medio curriculo delapsusequo crus non effregisset. Paululùm confirmatus ad Montem Oliuetum regreditur. Alter annus adeò turbulentus est, vt nihil supra. Inter alia parùm conuenit cum Proabbate Generale F. Luca Rhodigino, id, quod pluribus molestissimum accidit. Dissensio ortum habet ex Cardinalis Cęsij Protectoris interitu, quo de Abbas admonitus, statim de Protectore pro uoluntate eligendo cogitauit. Igitur per speciem cum Pontifice componendi de duodecim millium aureorum tributo nobis imposito, nullo præter consuetudinem comite Visitatore ex morbo conualescens, medio Augusto, Romam petit, vt docebimus, non sine detrimento.

De Cardinale Protectore renũciando controuersia.

In Vrbe tunc temporis agebant tres summæ auctoritatis Cardinales, duo Senenses, Hieronymus Ghinutius, & Ioannes Piccolomineus, tertius verò Florentinus, Antonius Puccius. Abbas alterum è ciuibus, Bononienses Florentinum postulabant. Pontifex cognita sententiarum varietate, maximo Antistite perbenignè audito, respondit, se nihil deliberaturum, nisi Visitatorum Collegio præsente, eorumque maiore parte suffragante. Ideò mittit omnibus, vt Romam quamprimùm adueniant. Adueniunt, & omnes à Generale dissentiunt, præcipuè cum & in Vrbe adsit F. Antonius Bentiuolius Vir in Congregatione eximius, totque meritis affluens, vt consodalibus pluris esset, quàm ipse Abbas Generalis. Is aliqua cum Cardinale Florentino generis affinitate iunctus, eumque alijs tempestatibus satis studiosum, & fidum Patronum agnoscens, Protectorem exoptabat, socijs non abnuentibus. Nihil tamen ab Antistite conceditur, & omnia molitur, vt voto satisfaciat. Vtrinque obfirmatis in sententia animis, Pontifex, cum nihil contra Abbatem constituere vellet, ne vti victus Roma discederet, eiusque auctoritas in Congregatione despiceretur, reliquis obtinentibus, sustulit Controuersiam, Protectore, præter illos tres supra nominatos, declarato Io. Maria Cardinale à Monte. Itaque irritis votis Visitatores ad suum quisque Monasterium reuertuntur, Abbas verò Generalis ad Montem Oliuetum. Hinc, vt opinantur, Io. Baptistæ sententia mutata. Successorem destinauerat Bentiuolium, attamen posita, non pro voluntate, Bentiuolio efficiente, controuersia, destinat F. Innocentium Manerbium Brixiensem virum inter Oliuetanos varijs laudibus illustrem.

Tollitur, Pontifice Io Mariã Cardinalẽ de Monte Protectorẽ eligẽte.

Id tamen Bononienses adepti, & non æquo animo patientes fidem ipsis datam minimè præstari, & Bentiuolium vehementer offendi in re Oliuetana egregium, gratiæ reconciliationem frustra quidem aggressi, aliò sese conferunt, vt Bentiuolio Generalatum deferant. Ea in re vnica Serralij Visitatoris industria. Etenim obequitans literis, nuncijsque partes Bononiensium ita auxit, vt, cum, & perpetuò decumberet, & magno fautorum numero careret, contrariæ factionis consilia soluere non potuerit maximus Antistes. Anno igitur 1538. IV. Id. Maij, nemine refragante Bentiuolus accipit summum in familia Oli-

1538

F. Antonius Bentiuolius Bononiensis Ab. Gen. LXIX.

uetana Magistratum. Sed Io. Baptista, deposita prouincia apud nouũ Pręsidem accusatur, quod contra institutum Romam, nullo comite, processerit. Pœna statuitur, quod antea factum nemini, ne quem omnes Generalatu functi tenere consueuerint, Visitatoratum obtineat.

Sũmus Põtifex Paulus III. hospitio excipitur ĩ Mõte Oliueto.

Hoc anno (ne cętera fugiunt, quæ non scripta sunt) Pontifex iter habuit per Montem Oliuetum, & per noctem diuersatus est, quieuitq. in cubiculo Abbatis. Repeto Bentiuolium. In amplissima ciuitate Bononia amplissimo (ecquis nesciat?) loco natus est. Generis amplitudinem à pueritia, cum in S. Michaelis de Busco Bononiæ Oliuetanam vitę rationem suscepit, virtutum nobilitate cumulauit. Ad Sacerdotium euectus adolescentulis nostris erudiendis præponitur. Præficitur etiam Cœnobiorum familijs titulo Prioris. Vtrumque munus diligentissimè tractauit, & Prioratum in primis. Alieno semper animo fuit in criminosos, fides adeo difficilis apud Bentiuolium, vt suis ipse oculis vix crediderit. Pietate, & misericordia claruit erga Monachos, erga pauperes, quibus

Pius ĩ egẽtes F. Ant. Bentiuolius.

tam multa elargitur, vt maximum cum Oeconomis negocium sæpe fuerit, conquerentibus, nimia largitione Monasteriorum prouentus superari. In itinere stipem petentibus nunquam recusare, siquando nihil habeat, à comitibus instanter petere mutuum. Cum in Monasterio Veronensi Abbatiatum obiret, omnium, quibus vita sustinetur, tanta caritas, vt multi fame interirent. Omnia Cœnobia Veronensium clausa pauperibus. Nulla spes alia, quàm in nostro, quò frequentes confluebant. Socij, Abbate ita munifico, sibi ipsi in tanta difficultate metuentes, Præsidem carpere, qui cum domi tantum farinæ suppetat, quantum semel atque iterum familiæ sufficiat, & messis triticea longè distet, subditis neglectis, tanta sese in alios largitate effundat. Abbas, cui persuasum nunquam esse poterat, vt pietatem vel omitteret, vel imminueret aduersus egenos, socios in exedram conuocat, &, cum multa de dignitate, & vtilitate Eleemosynæ disputasset, quid quisquę sentiat, inquirit, sese plerisque assensurum. Monachi hac oratione piè affecti, statuunt vno consilio opus adeo laudabile, eoque tempore ita necessarium nequaquam intermittendum. Cum ita fieret, quamuis innumeris egentibus ad S. Mariæ in Organis conuenientibus, panis, vinum, & obsonium singulis distribueretur; tamen (miraculo simile) nihil vsque ad messem è quotidiano victu desideratum est. Antonius præterea mirè exornat studiosos, & eruditos, quorum re vera Mecœnas appellandus. Nobile Gymnasium ad S. Michaelis in Busco excitat iuuentutem ad studia prouehens. Hæ, & aliæ virtutes, quibus charus omnibus, & iucũdus fuit, ad summum inter Oliuetanos Imperium viam strauerunt, &, quod diximus obtinuit, dum Bononiæ Abbatem agebat, vniuersis ferè sodalibus exultantibus. Dispositis vnicuique Cœnobio familijs Bononiam proficiscitur, mansurus ad tempora Visitationis, quibus aduenientibus, prouinciæ Visitatoribus diuiduntur. Ex his duo comites Abbati Insubriæ, Imperijque (nos Dominium) Veneti Monasteria obeunt: Quòcunque

accedit,

accedit, ſuauiſſimum Charitatis, & prudentiæ odorem [illegible] nullos animaduertitur, in plectendo Abbate Superiore modeſtiæ cancellos egreſſum. Alij, rebus ſapienter examinatis, pęnam non Bentiuolio, ſed legibus Oliuetanis aſſignant. Et quidem ea videtur conditio mortalium, vt irrogatas non poſſint non ſentire iniurias. Neminem, licet optimum habeamus, ab humana conditione liberum facimus, & immunem. Vnuſquiſque labitur, & hominem ſeſe oſtendit aliquando.

Agitur de ſuffragijs diſcretorũ abrogãdis

Anno ſecundo omnia perturbantur. Erat, quæ & hodie eſt, vetus illa conſuetudo Oliuetanis, vt, Comitijs appetentibus, ſingula Cęnobia ſingulos Monachos deligerent, qui pro Cœnobijs ſuffragia ferrent. Igitur Antonio conſtitutum fuit, & conſilio Viſitatorum ſtuduit hanc abolere conſuetudinem. Hinc multa incommoda proficiſci, rem non exiguã, & negocium, & ſumptum habere, Congregationem ære alieno ea ratione leuaturos.

Intercedi-tur à Monachis.

Monachi decreta non approbant. Vident ea lege ſibi veterem libertatem adeptam. Magnopere commouentur, ſibi ipſi inuicem animos faciunt, acerrimè obſiſtẽdum, neque perferendũ, vt Oblatis æquentur, & ſuffragio præter æquum, bonumq. ſublato, inter Clericos, & Oblatos nihil interſit, & tandẽ certiſſimè, vt verè loquũtur, tyrãnidi. Hęc & alia peiora euomere. Ita pręcipuè agitantur, cum audiunt, Antonium dare literas ad Monaſteria, quib. nũciet, Monachos, annuentibus Viſitatoribus, Protectore, & Pontifice permittentibus ſuffragatione priuatos, & in poſterum Præſides tantùm Abbatem Generalem renunciaturos. Ira diutius teneri non potuit, ſed ore effundentes alij alios, & maximè Protectorem literis appellabant, & controuerſiæ ducem quærebant, qui illos apud Protectorem, &, ſi opus facto fuiſſet, apud Pontificẽ tueretur. Duo inter nos facile Principes rem ſuſcipiunt, F. Hippolytus olim Abbas Generalis, & F. Eliſeus Tertiagus vterq. Mediolanenſis. Hi literis Monachorum, aliorumque Principum virorum collectis, Romam, quò paulò ante Bentiuolius, contendunt, & F. Placidum Neapolitanum offendunt, quem eiſdem ferè de cauſis Natio Neapolitana delegauerat. Protector in diſſenſione periculum ratus ſcitè componit, veteri firmatã conſuetudine.

Protecto rẽ pro Monachis cõſtituit.

Neque id ægrè perſuaſum Abbati, qui de ijs, quæ ab ipſo propoſita ſunt, ſe ita purgauit, vt diceret, ſpectaſſe tantummodo vtilitatem Congregationis; ſi minus arrideant, nihil ſe laborare, cùm vitã ipſa longè chariorem habeat Monachorum beneuolentiam, pro quibus, ſi tempus, locuſque exigeret, tanquam pro amantiſſimo grege animam prodigeret. Igitur ad Monaſteria mittuntur nouæ literæ Protectoris, & Abbatis ſigno firmæ ſatis, ſuffragia Monachorum ſtabiliri.

Neapolitani Abbatẽ Generalẽ è ſuis contendunt.

Quies Romæ conciliata iterum non leui altera contentione diſſoluitur. Neapolitani, qui vndecim fermè Cęnobia adminiſtrant, expoſita ſodalium ſeditione freti, cum nemo ex ipſis (quod iniuriæ, & contumeliæ ducebant) iamdiu ſummum Oliuetanæ Reipublicæ imperium ſubierit, ea in re cęteris nationibus non dubiè poſthabendi, Turbas facere, Abbatem Generalem poſtulare. Hac poſtulatione commotus

K 2 motus

motus Bentiuolius, vt pacata Comitia ſint, cupit adeſſe Protectorem. Itaque tamdiu Romæ immoratur, dum omnes, ne quid inibi nouis rebus ſtudentes tentare poſſint, iter Montem vſque Oliuetum ſuſceperint, quos proximè conſequitur. Cardinalis Protector grauioribus à Pontifice negocijs impeditus ſuo loco ad Comitia Oliuetana, ipſo approbante Pontifice dimittit, virum eruditione, & eloquentia præcellentem..... Archintum Mediolanenſem, quo Biturgini Epiſcopo vtebantur. Vereri omnes, ne ex ſuffragijs, vt mos obtinet, ſed ex Pontificio diplomate Abbatiatus demandetur. Attamen, ſingula Cęnobia ad Abbatem declarandum Monachum, quem nos Diſcretum, mittunt. Bentiuolius eſt in Monte Oliueto quatriduo ante Epiſcopum, cuius aduentus omnibus in duas licet partes diuiſis æquè gratiſſimus accidit; Mediolanenſibus, quòd à ciue beneficia expectent; Bononienſibus verò, quòd omnia ſe impetraturos ſperent ab eo, quem Protector ſubrogauerit, cui ipſi maxime commendati ſint. Abbas, & plerique è ſodalibus ad Comitia congregati ad Palatium vſque Epiſcopo obuij. In primo aditu Palatij hæc ſcripta ſunt. *Ingrediantur, qui diligunt pacem, & æquitatem.* Alij, quorum pars minor, in ædis veſtibulo expectare. Biduo diſcrepatur. Epiſcopus tempus non amplius fruſtra conterendum arbitratus, Monachos conuocat in ſuperius Comitium, & primo loco ſedens multa grauiter, & diſertè oſtendit, de pernicie, quam, potiſſimum familię Religioſæ, inferant diſſenſiones, & controuerſiæ. Vt animos coniungant, magnopere adhortatur, monetque, gratiæ quantum habere debeant Pontifici, qui Congregationem Oliuetanam (Dilectam appellabat) in oculis ferebat. Deinde literas Protectoris, & Diploma Pontificis, quo illis Comitijs præpoſitus erat, protulit. Vtraque publicè legenda tradidit Cancellario Generalis. Lectis cum diplomate literis, & iuſſo Cancellario vtrumque vel priuatim legere cupientibus impertiri, ſubdidit, à Pontifice ſe nihil aliud in mandatis habere, quàm vt omnia auerteret, quæ obicem Spiritui ſancto ſtatuerent, ne ampliſſimo Oliuetanæ dignitatis loco maximè opportunum aperiret. Poſtea more Pontificio ſanctè precatus, omnibus quouis Anathemate exemptis, & iureiurando adactis, ſe nihil inimico animo agitaturos, ſexta feria, & ſabbato ieiuniũ indicit, anteaquam die Dominico ad Comitia conueniatur. Interea Monachi, vnà omnes facto agmine, Epiſcopum accedere, ſententiam exponere. Ille nonnullis, qui de reijciendis aliquibus Diſcretis agebant, rationibus demonſtrauit, ſi mala illa conſuetudo inuehatur, & periculo, & malo exemplo futurum, propterea acquieſcerent. Neapolitanis ad voluntatem aliorũ accommodatis, creditur Antonio ſubſtituendus vir prudentia clarus, & multis præcipuè iuuenibus acceptus F. Philippus Serralius, eò magis, quòd Bentiuolius, cui & à pleriſque faucbatur, eodem propendeat. Sed Baccius, quo Pontifex, vt ſupra docuimus, familiariſſimè vtebatur, interceſſit, mentem eſſe Pontificis, vt nullo pacto Generalatum aſcendat, Congregationem illo Abbate, ocio non gauiſuram.

Mittitur, qui in Comitijs, pro Cardinale interſit Epiſcopus.

ram. Non diffidet Episcopus, vt qui Baccium pluris faciat, & hominem existimet æquitatis, & Congregationis studiosum. Serralius his auditis, dubius est animi, quid agat. Tandem Abbate, & F. Cypriano à Verona consulentibus satiùs duxit ad cęterorum sese conferre arbitrium. Itaque amicis ad Generalatum promouentibus (nullo id auctore factum, tradunt alij) euocatis, actisque gratijs de voluntate, consilium patefacit suum. Inde ab eisdem deductus animo constans, fronte hilaris, voce clarus, cedit quam libentissimè imperio, quod ipsi tradere sodales potuissent. Archintus qui nihil vehementius, quàm sacræ familiæ tranquillitatem sitiebat, tanta ingenuitate Serralij mirificè delectatus est, eumque arctissimè complexus sępius exosculatur, & in Comitium cum Monachis ascendens, omnibus audientibus Serralium extulit, digniorem laude existimans, quod cesserit, quam si obtinuerit, omnes cohortatus, vt cum Deo precibus, ieiunijs, alijsq; pijs operibus agant, vt præficiat optimum gregi Oliuetano Pastorem. Mox pro explorato est, à factionibus propositos & nominatos F. Vitum Pratensem, & F. Miniatem Pittum Florentinum. Hunc euehunt Baccius, Insubres ferè omnes, pleriq; Neapolitani. Illum vero Bentiuolius cum Bononiensibus, F. Cyprianus cum Veronensibus, Serralius cum Etruscis. Mane Die Dominico, coactis in Odęo Comitijs, Bentiuolius, ad dexteram sedente Episcopo, eorum, quę in administratione peccauerit, non impolita oratione purgationem afferens, Generalatum deponit, sueto more, iacens humi: Continuò iuuenis Bononiensis nomine Modestus præter Elogium, quo Episcopum cōmendauit, latino sermone concionem habuit. Respondet multa cum facilitate, & latinè Episcopus, & multa extollit, præcipuè Serralium, cuius merita, cum primùm Romæ fuerit, Pontifici se narraturum pollicetur, voluntariam hominis cessionem non in perpetuum, sed in id temporis duntaxat accipere. Deinde altiori voce edicitur, vt, quibus suffragatio habenda non est, pedem efferant, ianuisque clausis Abbas compositè eligatur. Episcopus, multique è nostris, ne Legatos quidem Senenses, (habeo ex monumentis) qui ad Comitia venerant, ne quid tumultus oriretur, vt aiebant, interesse patiuntur, consuetudine prohibente. Ex eo crediderim causam excipi, quam sępius quæsitam audiui, cur Respublica Senensis nostra quoque memoria ad singula Comitia Oliuetana Oratorem siue Legatum, nomine publico ad Montem Oliuetum dimittat. Ea, opinor, est, quòd illa tempestate ciuitas suspiciosissima in tanto, tamque variarum gentium Oliuetanorum conuentu motum extimesceret, eò magis, quòd acceperint, inter eos parum conuenire. Legatis Comitium egressis primùm literæ afferuntur illorum, quos ad Comitia destinatos morbus, vel aliud graue quidpiam detinuerit. Episcopus, aliásne acceptæ eiusmodi literæ sint, rogitat. Annuentibus omnibus; Ne miremini, inquit, id me rogitare, cum nihil animo magis fixum, firmumque sit, quàm vt noua, vel in minimis euitem, & nihil à vestris, eisq. priscis sanctis legibus discedam. Lectis literis, fiunt octo Syndici quatuor è

Cur ad Comitia Generalia Legatus Senensis accedat?

Citra-

Citramontanis, quatuor ex Vltramontanis. Ita noua legum restitutione scitum erat. Princeps est F. Michael Volaterranus, qui Ruffeni Abbatiali honore gaudet, sed maior octogenario, & expers adeo luminis, vt ne proximus quidem oculis vsurpet, instāt, vt de munere syndicario amoueatur, complures. Tunc iterum Episcopus, Nihil, inquit, in negociorum nauigatione magis exhorresco, quàm nouitatis scopulum, ideo multis defertur Syndicatus, vt omnes vna consulant infirmitati alicuius, si tamen placeat, Michaelis locum subibo, vt vobis planè satisfiat. Publicè cum plausu assentitur. Igitur per octo Cognitores perceptis, & diligenter examinatis, quæ præterito biennio Abbas Generalis cum Visitatoribus gesserit, & auditis, quibus aliquid cum ipsis cōtrouersiæ sit, &, quod per angustias temporis licuit, iure administrato ad Generalis electionē deuenitur. Cautum ab Episcopo, intentata contumacibus pœna Anathematis iure Pontificio, ne quis plures præter vnam, schedas vrnæ inferat, & quo liberiùs, quid Spiritus sanctus modò ostenderit, exæquatur permissum est, vt, qui, mutata, Deo impellente, sententia, schedam alteram scribere velit, scribat, eò secedens, vbi hac de causa cum calamis atramentaria. Id tamen opus non esse affirmant vniuersi. Quamobrem Scrutatoribus ad Aram præcipuam accedentibus, sedet Episcopus, & schedulas, vel suffragia ex ordine ad vnum accipit, in vrna custodiens. Collatis omnibus & cognito, quem omnium puncta dignissimum maximo imperio censuerint, Archintus Monachis quauis Ecclesiastica censura, qua & in re sese obstrinxerint, vel illicitū aliquid perpetrantes, vel ratione aliqua deficientes, exemptis, altiori voce pronunciat; Abbatem habetis; Reddita ab omnibus voce, Deo gratias, ianuis reclusis magnoque cum gaudio, qui foris præstolantur, ingressis, F. Placidus Neapolitanus æuo maximus inter Scrutatores in medium progrediens exclamat, Vultis vt pronuncietur? & cum vndique vox illa circumsonuerit, Volumus, Volumus, Abbatem Generalem proclamat, Vitum Pratensem. Hic illico procumbens, & pro more velatus, actis Deo gratijs, voce, numero, concentu, cum primùm surrexit, magna vi, & sueta facilitate de onere imposito verba facit. Dein ab honoribus, & muneribus publica decessio legitimè habita. Lętissimus Episcopus tanto, tamque festiuo in Vitum Monachorum concursu, sibique nihil amplius de rebus Oliuetanis cogitandum, sed omnia ad integritatem, quam & ipse percipiebat, & omnes vulgò prædicabant, Antistitis conferenda arbitratus reditum meditabatur Pontifici, quæ in Monte Olіueto facta sint, quam primùm significaturus. Rebus ad profectionem comparatis apud omnes, quot quot aderant, Oliuetanos dixit, Negocia, Deo iuuante, ex voto cecidisse, exercitia corporalia paulò ante sublata eorum disciplinæ plurimùm obfuisse; studia sapienter instituta, non tamen, quod fieri didicerat, à Monastico vitæ genere maximè distantia pertractanda; ipsis Diploma Pontificium, quod publice in Comitijs recitabatur, sedulò expendendum. Datum enim contra illos, qui voce, vel nutibus alijs ne dum rationibus electio-

1540 *F. Vitus Pratensis Abbas Generalis. LXX.*

electionem, vel curarent, vel haberent. Proinde agendum, vt vel omnino deleretur, abolitum, cum fieri non posset, vt quæpiam susciperetur electio ante conuenta, ante colloquia cum electoribus agitata, vel studiosissimè seruaretur, quod perquàm difficile factu, animarumque saluti maximè perniciosum existimabat. Mox Patrum corona stipatus equum ascendit, & ad Vrbem contendit instituto familiæ nostræ variè delectatus, nobis pariter illo gaudentibus. Ad Vitum redeo. Prima eius opera est, vt, qui consilio, & virtute floreant, Visitatores declarentur. Cum his secedens, multa iubet. Illud præcipuè, vt officia coquinaria, quò commodius adolescentes vasa non abluentes, non abstergentes in Gymnasijs animos à rerum ignoratione depurgent, intermissa reuocentur, non solum quòd illa in Benedictinis præceptionibus numeretur, ita vt hac lege sanctus Auctor soluat è sodalibus neminem, sed etiam, quod re ipsa constiterit, tempus coquinæ præstitutum non in literis, sed in desidia, nulloque emolumento conteri. Obsistitur, attamen ita sese præstitit, eaque verborum lenitate vsus est, vt denique omnes in sententiam suam perduxerit, initisque suffragijs multa cum laude, & monasticæ institutionis accessione obtinuerit. Præterea vetitum ab eo est, ne quis argentum supra triduum adseruaret, carnem cum, vel coram laicis, neque extra, neque intra Monasterium, ne in diuersorio quidem comederet; ne quæ in Monasterijs Comœdiæ agerentur, siue à laicis, siue à Monachis; vt vaginulis cultellarijs, attamen opertis, cultris autem honestis, lęuibus, non auratis, non grandioribus sodales vterentur Oliuetani; Quorum sententibus nonnullis, falsò tamen aiebat ille, habitum Monasticum esse dumtaxat cincticulum, hoc est, scapulare, vt cum nostris loquar, vel hastam, præcepit, vt nemo quiesceret, nisi cum capitio adsuto præcinctus, &, more Benedictino, vestitus. Familias in Monasteria distribuens rationem habuit, vt & amicis, & illis, quos in Comitijs nouerat aduersarios, morem gereret. Paternis, eisque longioribus Epistolis (quàm ipse consuetudinem perpetuò adhibuit) ad rei diuinæ frequentiam, mutuamque concordiam Monachos inflammat. Romam delegat Serralium cum F. Io. Matthæo Ariminensi, qui de tributis agitent à Pontifice impositis. Per eos ad sex millia aureorum vltra quadringentos ascenditur. Ex Monasterijs multa cum celeritate exiguntur, cuique debent, enumerantur. Post hæc Vitus iter ingreditur Neapolim visitaturus. Roma transeuntem Pontifex, Cardinales, & Principes mira benignitate excipiunt. Saluus Montoliuetum regressus habuit priuata Comitia sine tumultu, absque negotio. Imperat veteres iam neglectas, & propemodum obsoletas Constitutiones in vnum cogi variè dispersas sine vlla cuiuspiam cognitione, typisque committit, vt earum exemplo nullus careat. Dehinc Bononiam petit, vbi, indicto Visitatorum conuentu, distributio pecuniarum habenda fuit, quibus ex mandato Pontifex iuuandus. Interim nuncius affertur. Pontificem Roma, Lucam discessurum, vt Carolum V. Imperatorem conueniat. Simul Vitus consilium

Episcopus à M. Oliueto Romam reuertitur. F. Vitus Pratensis multa constituit.

capit

capit in Monte Olivueto accipiendi, & Romam Serralio mittit, vt inuitet. Hærente Pontifice terrestrem ne det sese in viam, an maritimam, nihil ea de re certi rescribitur. Tandem, via constituta terrestri, Serralius, qui, vtpote familiaris, volente Pontifice, itineris comes est, Abbatem de abitione Pontificis admonet; nihil tamen de accessu Oliuetano firmum, & constans. Abbas, vt nauiget in portu, maturat ad Montem Oliuetum proficisci, & celeriter quæ ad tantum hospitem, spectata loci inopia, excipiendum necessaria sint, comparare. Interim, cognito Pientiã Pontificis aduentu, Vitus dies noctesque non quiescere, præsens omnia imperare vel minimè, vt quam honorificentissimè hospitetur; cum fama tradit, Pontificem, cum adire Montoliuetum statuisset, statim mutasse consilium, Imperatore crebris Epistolis appellante, vt quam primùm eò perueniret. Fert Vitus permolestè sublatam occasionem obseruantiæ, qua Pontificem cum vniuersa Congregatione prosequitur, declarandæ. Pro Pontifice excipit Iacobum Cardinalem Sabellium cum alijs Antistitibus, qui omnia bene instructa admirati, id se narraturos affirmant maximo Pastori, qui cum, eo scilicet die, futurus esset Cunæ, qui locus ad Xenodochium Senense pertinet, nonnulla à Vito missa munuscula esculenta, & poculenta, bellaria potissimum gratissima prædicat, eumque ad pedes osculandos, & familiam commendandam profectum perbenignè alloquitur, Rem Oliuetanam satis curæ esse, subsidiariam pecuniæ collationem nolentem imposuisse, calamitatem, plagamque, quam Turcæ Christianis prope Curtam intulerant, ad firmandam subsidio Pannoniam impulisse. Deinde Abbas facta reuersione Bononiam vbi Visitatores opperiebantur, cum æquitate, Prouincijs non reclamantibus, rationem constituit, qua Pontifici pecunia conferatur, & Visitatoribus visitationes diuidit, sibimet eligens Insubrem, Venetam, Picentem. Iussit hæc in Visitatione seruari, vt Monachi exteris aduenientibus pedes abluerent. Ille sic instituebat. Mane causam aduentus in exedra exponebat, deque eorum officio sermonem habebat; Deinde Visitatoribus, alijsque socijs insequentibus, Eucharistiam, & sacra omnia ire veneratum; Si quid inibi negligenter adseruatum videat, in noxios seuerius animaduertere; si quid in cubiculis appareat indecorum, & paupertati, vitæque Monasticæ dissentaneum, reos seuerius accusare. Visitatores Monachos seorsim audire, si quid tamen incidat, quod magno momento sit, vt ex tempore consulat, scire velle. In singulis Cœnobijs accepti, expensiq; rationes diligentissimè cognoscere. Visitationis fine facto concionem miro quodam spiritu habere, & in ea vehementer inuehi, quæ obeundo comperta damnauerit; ita tamen lenitate correctionem temperare, vt discedenti plus honoris attulerint, & obsequij, quos de re aliqua obiurgauerit, quàm quos meritò commendauerit. Remeat ad Montem Oliuetum Seruatoris Natalem diem celebraturus. Paucis diebus interiectis, dum se viæ Neapolitanæ accingit, vt illa Cœnobia circumuisat, no-

Pötifex ad M. Oliuetum expectatur.

Qualis in Visitatione F. Vitus à Prato Abb. Generalis.

ctæ,

ẽte, quæ vltimum anni diem pregreditur, Monachis quietem capientibus olitor laqueos vulpibus intendens magnum eximprouiso fulgorem è Cœnobio conspicit, horribilem quoque fragrorem audit. Perdiligenter seruat, & vtrumque perspicit ex igne fieri Sacrarium exurente, Monachos clamoribus excitat, quos anteaquam somnus relinquat, strepitusque causa intelligatur, ignis, perflante vento validissimo, ita eualuit, vt minetur ædibus vniuersis exitium. Omnes spectaculo perhorrescunt, attamen ope agrestium, qui accurrerant ictu campanario exciti, flammis furore debacchantibus, quàm plurima sacra vasa, & indumenta subtrahunt. Vitus tanto periculo commotus pro ara maxima genib. flexis supplici voce rogat, vt igne latè conceptum extinguat. Auditur. Ex templo ignis impetum remittit, flamma oblanguescit, timor omnis abscedit. Causam exustionis dies aperit. Sacrario enim præpositum, luce adueniente, cognoscitur, nescio quo lumine in sacra cella relicto, cubitum iniſſe, eiusque rei suspicacem, & dubium, iterum atque iterum voluisse è strato surgere, tandem extinctum profectò existimantem placidè quieuisse; hinc, quod enarrauimus accidisse. Abbas, ne afflictum magis magisque affligat loco pœnæ constituit, vt semel socijs accumbentibus, sedeat humi, cibumque capiat nihil vltra panem sumens, nihil præter aquam hauriens, destinatque Arretium eo ipso cum honore Aeditui. Vitum grauius angebant proxima Comitia Generalia, cũ incendij damna in pristinum restituta voluisset. Igitur infortunio vniuersæ Oliuetanę Reip. significato, & aureis ducentis, vndique opis gratia congestis, nulla mora reparat omnia, & pro Christo, qualis in sacrario depictus antea cernebatur, in crucem sublato, à mortuis excitatum reponit Carmine adscripto. *Hæc tibi vita hominum vitæ dat pignora Vitus.* E regione super ostium rei monumentum legitur. *Ardet in M. Oliueto Sacrariũ.* *Ignis extinguitur; Vito orante.*

Incensum hoc ad Prid. Cal. Ian. Sacrarium primùm crepitantibus flammis Templi, & Domus ruinam minantibus, Sacris iam vestibus absumptis, celeri Monachorum aduentu, quin potius diuina ope, ad primam licet noctis vigiliam, repressis; R. P. F. Vitus Pratensis rei nostrę tũc temporis summus Præsul quorumdam rei casum miserẽtium ope adiutus, grata hac pictura, nouis vestibus, incisis lignis, vt vides ad meliorem statum restituit. Ad Mensem Mar. prox. M. D. XXXII.

Ad hæc, quod multo ante in mentem venerat, facere constituit, hoc est Abbati, eiusque Collegis certa domicilia. Proabbas enim, & Visitatores priuata comitia celebrare, & grauia quæque ad Congregationem pertinentia decernere in cubiculo Abbatis propter angustias valde incommodo. Ideo aululam ædificat, quam nos hodie, nescio qua causa, Banchettum; Picturis exornat, & præcipuè faciem, & prospectum Historia adulteræ Euangelicæ, quæ monimento sit eò conuenturis ad iudicia, vt, anteaquam in alios sententiam ferant, sua secum vitia considerent, siue communem in ea ipsa prolabendi, de quibus in alijs iudicent imbecillitatem, itaque perpetuò seueritatem à comitatu non segregent. Hoc biennium, rerum, quas terra gignit, magna penuria & cari-

tas accedit, ita vt primus annus nihil pręcipuè ediderit, quàm gramen, & arundinum cacumina, eòque inopię ventum sit, vt vel Mons Oliuetus omnino deserendus videatur, vel multi è Monachis emittendi, vt res diuina, cum regulari disciplina penitus missa fiat. Vitus autem, quò propius adsunt Comitia publica, eò fortiùs difficillima quæque superare. Prius tamen quàm ad Comitia deueniamus, alia subijciemus, quibus per omnem vitæ cursum Vitus claruit, & à posteris admirationem, & imitationem meritus est. Excelluit primùm timore Dei, cuius honorem quanti ipse fecerit, sit testimonio Præfectura, quam toties obijt adolescentium, qui, rebus humanis nuncio remisso, ad Oliuetanũ institutum gradum fecerint. Hinc omnium iudicio, pro merito Prior factus est, quo in munere, nihil sibi antiquius ostendit, quàm vt leges nostræ seruarentur, quantulumcunque esset, cui quidem imperaret, Monasterium. Ea enim sententia inerat, quam sæpe sodalibus prædicabat his verbis; Quid refert ad benè, & religiosè viuendum, quot Monachos habeat Monasterium, tres ne, an duos, an vnum? Non licet ideo Psalmos canere, aliaque pietatis studia excolere, quibus multitudine, & sodalitio opus non est? Sæpius carpere illos, qui ita censeant, in Cœnobijs non satis frequentibus posse liberius vitæ genus agitari, existimans vbique locorum eodem spiritu, eodem ardore Deo inseruiẽdum. Prior, & Abbas quouis die Dominico socijs sacras literas explanare, piam cõcionem habere, quo studio tantum proficit, vt magna cum facilitate, & elegantia per omnem occasionem sermonem habuisset. Hanc consuetudinem semper colere in Monasterijs, etiam Abbas Generalis singulis diebus Dominicis, & in Monte Oliueto, & vbicunque fuerit. Absens supplere literis paternis, & calidis. Opera S. Hieronymi præter alia potissimùm euoluere. Tam cupidè studere, vt vel obequitanti sit perpetuò liber in manib. Iuuenis ad Gręca eruditur. Astronomiæ tyrocinia ponit, literis humaniorib. semper oblectatur, & in aliquo numero est. Eluxit in eo parsimonia, & ab esu carnium ita abhorruit, non quòd nauseam afferat, sed quòd S. P. Benedictus interdixerit, vt vix degustet, idq. præcipuè in summo Abbatiatu seruauerit, quò maius in maxima illa dignitate proponat exemplar. Immo tenuissimo cibo contentus esse omnibus admirationi, vt vitam sustineat in tam multis maximè laboribus, sępè horas triginta non comedere, &, quamuis iter habeat, ieiunia nunquam omittere. In comedendo celer, & delicatus, nihil tamen habere luti, nihil superflui. Ad mensam publicè, seu priuatè sanctæ alicuius saltem introeuntibus, & exeuntibus Lectionis condimentum nolle vnquam intermitti. Si quid aliquando sacrum, piumque in sermonem venerit, gaudere, contra męrere, si quid minus vtile, & religiosum. Plurimus fuit, immo perpetuus in literis conscribendis, quibus & ad humilem quemque respondit. Vnde opinantur maximam in Congregatione pacem, & quietem extitisse. Vti somno breuissimo nocte ferè media etiam in diuersorijs exurgens, & ob id cum lumine accenso quiescere.

Eximia virtutes F. Viti.

Primùm,

Primùm, si in Monasterio, cũ sodalibus, si in itinere, solus distinctè horas matutinas expedire, deinde diu precari, legere, vel studere paululũ Biblijs, quæ secũ asportabat, de officio suæ administrationis meditari obseruans, adnotans, & demandans necessaria omnia Collegijs per literas. Cum nulla res grauissima, & nulla necessitas prohibuit, quotidie sacris fungi. Bene audit, & quòd collata beneficia largè cõpensauerit, & quòd allatas iniurias benignè condonauerit; id quod aiunt fecisse in primis, cũ opera maleuolorum ab Alexandro primo Duce Florentiæ pulsus est in exiliũ. Per Alexandrũ verò Vitellium restitutus in gratiã, illis humaniter dimittit, qui malũ instruxerãt, ad genua prouolutos peramanter amplexans. Contra tamen pertinaces, & obstinatos sese duriorẽ, & inexorabilẽ præstitit. Omnibus faciles aures adhibere, &, quę honesta videantur nullo negocio permittere, potissimum ad Sacerdotem confessionis gratia accessurus. In rebus aliqua ratione dubijs seniores audire, cõsilia accipere. Dona spiritualia Vitum incredibiliter delectarunt, ita vt aliquando Pontifice instante, vt aliquid exposceret, nihil petiuerit, quàm Monachis suis Iubilæũ, quod munus charius fuisse dicere solebat, quàm si quid de imposito, quod supra diximus, subsidio deduxisset. Vito pariter iucundissimum fuit, quòd ab eodẽ Pontifice sine vllo onere, ad Episcopatum Puteolanum assumptus esset F. Io. Matthæus Castaldus Nobilis Neapolitanus, filius Vito spiritualis, & amicus. Comitijs imminẽtibus Abbas Generalis Visitatores propè ante Mensem accersiuit, quo commodius cum illis deliberet, quid facere debeat. Interim ecce ex Vrbe Serralius cum Neapolitanorum caterua propter officia comitãtium. Ambitur publicè, & priuatim, &, dum omnes omnia confecta arbitrantur, magis dubitat, quorsum res euasura sit. Vitus agit, instat, non indicat, omnes tamen fermè præsentiunt, cupere successorem Cyprianum à Verona. Qui post Abbatem rem ipsam habent in potestate, sunt Bentiuolius, & Serralius. Pendent animo Mediolanenses, clanculum liberiùs agitent. Plerique Neapolitani Visitatorẽ sequuntur F. Matthęũ Auersanum, qui Vito studet, eiusque partibus fauet. Triste biduum, quo nullum planè argumentum ostendens exitum causæ futurum, cum ecce, & orta quadam serenitate animorum, omnes in sententiam Abbatis concedere videntur Cyprianum apertè exoptantis. Rẽ suscipiunt inter alios Bentiuolius, & Serralius. Hi F. Hippolytum à Mediolano conueniunt non inconsultò, si enim aliter fiat, videantur necesse est cæteros exigere competitores, remq. facere factiosam, & violentam. Igitur hi tres vnà coeuntes fidei sese tradunt, & sapientiæ Præsidis Generalis. Re ad priuata subsellia, siue ad Banchettum (absente Cypriano Visitatore) relata, Vitus consilium suum pluribus aperit Cypriani extollendi. Omnes, homine laudato, familiæ vniuersæ gratissimum id fore affirmant. Abbas gaudio exiliens vetat ea de re sermonem haberi ante Vesperas diei consequentis, qui dies tertiam à Paschate lucem Dominicam præcurrit, ne Cyprianum inanibus implicet obsequijs. Quare is domo ple-

F. Io. Matthæus Castaldus Episc. Puteol.

rumq. solus inambulare, qui vel esset, vel se esse ostenderet animo, & cogitatione alienum ab illo gradu, ad quem prouehere cogitabant. Postera luce Vesperis decantatis, & Monachis in templo cōgregatis, Serralius nunciat à Pontifice salutem, faustamq; precationem, refertq. eum perrupere, vt aura Spiritus Sancti actis omnibus illorum secunda, & propi-
1542 tia afflet, orentq. Deum pro felicitate Ecclesiæ, pro salute ipsius, & præterea significare, vt de imperata pecunia excusent, in posterum ad hæc onera imponenda difficiliorem. Die Dominico, hoc est, prid. cal. Maias, prima luce, habita per F. Io. Baptistam Pratensem oratione, Abbas Vitus prouinciam lachrymabundus deponit, eorum, quę in administratione commiserit, veniam petit. Accepta eodem cum affectu depositione, Comitia, nemine non suffragante. Abbatem Generalem secundò faciũt F. Cyprianum, quem memorauimus à Verona, cui in promulgatione accidit res valde honorifica. F. Michael Hispanus Abbas S. Petri de Galatina senior è scrutatoribus eum Generalem euulgaturus, linguæ peccato pronunciauit R. P. Cyprianum Bononiēsem, Visitatoribus, immo Comitijs vniuersis interpellantibus voce sublata, dixit semel atq. iterum, Veronensem, Veronensem; ita rursus, & suffragijs eligitur, & ore omniũ proclamatur Abbas Generalis Sacris deinde, qui mos Oliuetanis est, magnificè peractis, suauissimo sodales sermone alloquitur. Sententia est, se cum reipsa expertus sit aliàs, quàm graue sit onus impositum, quamq. molestum sacræ familiæ imperium, facilè intelligere, vtilius detrectaturum hoc tempore, vt grauiætate sibi vitam agat, cum tamen ex altera parte tantam, tamq. amabilem voluntatum coitionem in se perspiciat, nefas existimare, si nō accipiat, & subeat, pro certo pollicitum, se omnes filiorum fratrumq. loco habiturum. Hæc Comitia de Monachis nihil statuunt, aliquid tamen de sumptibus. Siquidem in illa difficultate temporum propter maximas, & prope intolerabiles impensas Congregationis facultates non parum imminutæ. Ne intra biennium quispiam adolescens in familiam assumatur; Ne, inscio, & non permittente Abbate Generali, fiat ædificium, quod plusquam viginti aureos absumat. Præterea à Cypriano sancitũ est, quia in excipiendis Abbate Generale, & Visitatoribus sumptuosiores, & Monachis minus conuenientes apparatus inoleuerant, vt debita in victu frugalitas appareat, etsi plura fercula apponantur parsimoniam præseferant; in cubiculo nihil aliud sit, quam stratum, piè tamen nō superbè constratum, vt Hospitibus itinere defessis vires reficiendo sufficiat, & mensa ad scribendum. Consuetudinem antiquauit, qua tempore Comitiorum in Monte Olіueto vespere comedebantur, siue potius proseminando consumebantur Bellaria quamplurima. Iubet nescio quid de barbis, quas aliqui malo exemplo, & offensione sęcularium promittere. Cum sodalibus maxima contentione agit de Monasterio rerum ferè omnium, & præcipuè tritici caritate leuando; è solo enim summa obuenerat frugum ariditas, & ieiunitas. Omnes assentiuntur, vt aureis ducentis quinquaginta, annuis tamen centum

F. Cyprianus Veron. Abbas Generalis. LXXI.

Sanctiones F. Cypr. à Verona Abb. Generalis.

centum quinque & viginti subueniatur. Superiores Abbates, non explorata voluntate cęterorum, cùm tempus erat, hæc onera subsidiaria Reipublicæ imponere; Sed Cyprianus, qua fuit pietate, & modestia, nihil non ex aliorum sententia facere; immo anno priori, & non vltra, idq. inuitus centum quinque, & viginti aureos exigere. Rebus Comitialibus expeditus Cyprianus in honestissimo ocio versatus est sacras literas maxima cum delectatione lectitans, quotidianis ferè sacris operatus est, silentio, solitudini, pijsque meditationibus duas certè horas per diem incumbens. Cum tempus Visitationis aduenisset, in Insubriam, Venetam ditionem, Etrutiamq. commigrauit sententias Monachorum, qua erat in negocijs taciturnitate, de successore inuestigans. Testatum fecit omnibus quanto familiæ suæ proferendæ, augendæque studio teneretur; internuncio enim Hippolyto Mediolanensi, qui eo tempore Romæ versabatur, egit cum Nicolao Rodulpho, vt nobis liberam fineret Abbatiam S.Victoris de Mediolano, ex qua, vt suo loco demonstrabimus, annua mille & trecentorum aureorum pensio numerabatur. Recuperationem agitauit Monasterij S. Mariæ de Cappellis extra Neapolim, quod anno 1523. Fabritius Ianuarij annuis sibi, præter trecentos aureos, seruatis prouentibus Oliuetanis attribuit propter litigia inter Monachos, eiusq. Procuratorem exorta post annos quindecim relictum, sed res pro voto non cecidit. Frustra quoque insudauit, vt Monasterium S.Laurentij de Cremona, quod tandem anno 1556. vt perscribetur, obtentum est, obtineret. In Comitijs habitis anno 1543. Præsides nonnulli boni illi quidem, sed ad imperia minus idonei, Antistitio abierunt, quorum honores consequuntur alij, quibus eà memoria videbatur Congregatio indigere. Factio Viti elanguit. Plerique ad Hippolytum Mediolanensem accedere, qui licet Visitatoris personam nõ sustineret, ad hæc tamen Comitia uocatus est. Paucis diebus interiectis (ex via ne, an ex composito, ignoratur) fuit ad Montem Oliuetum Cardinalis de Monte Protector, & triduum immoratus est Abbate Generali per quam familiariter vsus. Hæc Cypriano occasio commodissima mentem illius excipiendi de proximis Comitijs. Posthac à Protectore magno in pretio habitus. Literæ declarant, quæ in Monte Oliueto post eius discessionem lectæ sunt, quibus testatus est, sibi pluris esse Cyprianum, quam cęteros omnes Antistites nostros. Mense Septembri Abbas Veronam sese contulit, vbi cum Hippolyto congreditur. Id multos impulit, vt motum aliquem Romæ concipiant: Toto enim ordine fama peruagata, hos duos, die nescio quo, Spiritus Sancti per sacrificia numine inuocato, horam in templo vnam tradnxisse, remque (id commune iudicium) dè futuro Generalatu constituisse, omnes excitantur, & operam intendunt. Scribit Hippolytus ad proxima Cęnobia, se in illo congressu è Cypriano, vtpotè homine maxime taciturno nihil certi excipere potuisse. Nulla tamen fides habetur Hippolyto. Abbas igitur, vt omnia conquiescant, Romam contendit, vnde postea Neapolim. Sed à Pontifice tàm benignè excipitur, vt iter

1543

Cardinalis de Mõte ad Montẽ Oliuet.

Nea-

Neapolitanum nullo pacto habendum existimet. Laudibus extollit, quòd sapienter imperauerit, quòd partibus prudenter satisfecerit, quòd tanta cum solertia pacem rei Oliuetanæ reddiderit. Attamen Monte Oliueto repetito, Romæ iterum motus, adueniente potissimùm F. Tiberio Castrocarano, qui paulò post, Procuratore Generale, & F. Ambrosio Carcano Visitatore, qui tunc Romæ agebat, vrgentibus, & Protectore imperante discedere coactus est. Plures opinantur, Cyprianum sibi plurimùm defuisse, cum itinere Neapolitano abstinuerit. Nam, qui interea aduersarij in Vrbe perstrepuissent, omnemque conatum adhibuissent, rediens quàm commodissimè refellisset, redarguissetque, suaq. voluntate rem ipsam constituisset, aut direxisset. Propterea Romam ablegat F. Io. Matthæum Ariminensem Proabbatem virum ea tempestate laudatissimum. Is, qua erat in negocijs dexteritate, nititur primò consequi, num quæ mens Protectori, num quæ Pontifici rei alicuius innouandæ, siue celebranda propediem Comitia moderandi. Tandem animum Pontificis refert esse illum, vt Monachi ex veteri consuetudine libertate fruantur, antiquis, sanctisque eorum legibus nihil vnquam immutatis. Addit, esse rumorem de criminatione nescio qua Serralio inferenda, id maximè cauendum, hominem enim probè cognitum Pontifici, cui superioribus annis operam præstiterat, nullumq. negocium contra æquum, bonumq. tanto viro exhibendum. Io. Matthæus, & Philippus ad Montem Oliuetum regredientes, Monachos, & Antistites omnes, quibus ad Comitia veniendum fuit, congregatos inueniunt, alios Philippo Serralio, alios F. Placido Neapolitano studia nauantes. Dum alius, atque alius fauor Oliuetanis, intercipiuntur literæ Principum ex Vrbe ad Serralium allatæ, quibus ediscitur, Pontificem nolle illum in maxima Oliuetana sede collocari, quòd, eodem insciente Serralio, Romæ agitatum est, Protectore in primis aduersante, cui in animo erat hunc, id præter ipsum curante nemine, ad Generalatum euehere. Idem quoque ex alijs literis cognoscitur, quas Protector mittit ad Abbatem, & Hippolytum Mediolanensem negligentiùs à famulo delatas. Sententia est, vt Serralio Generalatus obueniat. Ancipiti animo constans Cyprianus, &, quid faciat, secum ipse diu multùmque deliberans, singulos Primates interrogat, num literis auscultare debeat. Negant, paucis exceptis, omnes. Ex eo ingens animorum perturbatio toto triduo fuit. Prehensatur satis, nihil tamen quisquam certi assequitur; adeo secretus in omnibus Cyprianus, quousque suffragia ad votum suum necessaria retineat. Dies interea noctesque est concursus ad illum, vt vix respirare liceat, & quidem adeo constans, adeo firmus, vt ne verbum quidem habeas, vnde eius consilia saltem percipias. Demum Sabbato, hora Nona, ad eius cubiculum conueniunt Principes Nationum, seorsum quidem, & suis quisque cum asseclis, se omnia in eum reijcere, qua est sapientia, quod maximè probatur, decernat. Cyprianus imbecillitatem suam, quæ tantum onus non patiatur, causatus, actisque gratijs de honore, quem habent, vocant Comitia. De

Abbate

Abbate creando sententiam suam profitetur, quemadmodum, vt corpus integrum, sanumque sit, omnia membra, omnes partes pariter curandæ, ita, vt res Oliuetana percommodè valeat, omnium Nationum rationem habendam, & cum Florentinæ, Genuensi, Bononiensi, Picenti, & Mediolanensi satis de maximo Antistitio factum sit, æquum videri, vt & Neapolitanæ aliquando morem gerant, cuius non minora eo sæculo promerita, quàm cæterarum; esse viros ex illa spectabiles, & egregios, præcipuè F. Mattheum Anuersanum. Accedere, quod intra sæculũ, & insuper nullum Abbatem Generalem habuerit. Vix prolato nomine, omnes, & hilari quadam admurmuratione, & læto plausu gratissimum fore Matthæum declarant. Bonitatis, & moderationis exemplo fuerũt Placidus Neapolitanus, & Philippus Serralius, qui cum cæteris, etiam Matthæo publicè gratulantur, eiusdem prouincię, quod antea significatum est, competitores, gaudentque virum tam eximium Abbatis Generalis persona decoratum. Tantùm omnes tranquillitatem, & coniunctionem acceptam referunt Sapientiæ Cypriani. Et quidem vir fuit quolibet virtutum genere spectatissimus ex Oliuetanis, pręclarum, cum illa memoria vitam agentibus, tum hæc nostra monumenta legentibus, vel audientibus, honestæ vitę exemplar. Quare non duco superuacaneũ ijs, quæ hoc loco, & supra, cum de primo eius Generalatu dictum est, allata sunt, quod scriptor è nostris de eius statura, lineamentis, alijsque corporeis virtutibus, vt mihi videtur, non impolitè edidit, adscribere. *Gracilis erat membrorum vndique, statura procera magis, quàm depressa, humeris aliquantulum curuatis, ore ob gracilitatem oblongo, venusto, & correcto, fronte lata sed rugosa, oculis grandioribus, sed subductis, naso exili, sed curuosè porrecto, obliquis genis, & macie aliquantò pressioribus, mento composito, lanugine non admodum densa, sed canitie conspersa; Filum si quæris, persimile quidpiam numisma. C. Iulij Cæsaris repræsentabit, mitis intuitus, grauis semper incessus, gestamento totius corporis, manuũ præsertim aptitudine, semper per omnes horas, locorum vbique constantissimè compositum; Mirum profectò in tam absoluta, tam continua obseruatione numquam dari, vel minimam, ne puncto quidem, relaxationem, vt liceat quasi in lucido speculo veram Religionis imaginem, & verum candoris Monastici simulacrum contemplari*. Sed de Matthęo loquamur, cui summa Reip. Oliuetanæ delata est anno 1544. V. Non. Maij. Est natale solum Anuersa, quę vrbs octauum à Neapolitana lapidem dissita est, egentibus quidem, sed tamen honestis parẽtibus, Oliuerio Christiano, & Beatrice Barbarellia. Etiam adolescentulus nostram uitæ rationem inijt præclara quadam indole pręditus, quam in studijs perpetuò collocauit. Latinis, Græcis, Hebraicisq. literis præcipuè sese tradidit, itaq. profecit in omnibus, vt & nostræ ætatis fama prędicet, & ipse in Monte Olineto multa viderim ab eo conscripta, & Auctographa. Græca didicit in Hidrunte, vbi olim magna Gręcia, ita vt Gręcè nitidiùs, quàm latinè scripserit nullo negocio. In Hebraicis Romæ versatus est. Græca multa Latio donauit, suoq. marte multa cõposuit, q̃ nostra hac ętate nõ extãt.

1544

Ortus, & progressus F. Matthęi de Anuersa Ab. Gen. LXXII.

Tristitiam

Tristitiam quandam semper vultu prætulit, quæ tamen huiusmodi, vt non sollicitudinem, sed tranquillitatem animi indicaret. Ingenium ad liberales disciplinas contulit, virtute, ac industria fortunæ modicam in actionibus suis felicitatem pollicentis iniquitatem superaturus. Rariùs loqui, inter loquendum sępè numero, quasi cura aliqua interpellatus, vocem suspendere, verba intercidere. Cùm viro peramante, & sapiente fusiùs & vehemētiùs disputare, vt modum planè ignoraret. Iocos amare, & lepida colloquia, vt suam mitiget melācholiam. Et in itinere equo insidens nihil eloqui, sine curis obrutus, siue sodalitium fastidio habēs. Quamobrem mirandum non est, quòd omnem ferè vitam in solitudine traduxerit. Magno quidem, & acri ingenio valuit, imbecilla tamen, tenuique memoria. Multum in scribendo temporis insumere varia stilo quidem copioso, & affluente componens, quæ libentissimè memoriter referebat. Quæ texuit, limare nunquam, vt & alia, quæ in mentem veniant, condere possit. Gessit animum à Poetice alienum, & à Musice, vt quę mentes emolliat, effęminet; suauiter tamen canentibus aures libenter adhibuit. Græcè, vel Latinè disputantes sine molestia dies, noctesq. audiuisset. Dare sæpius literas ad amicos, & quod oportuit, literis celeriùs committere, vt propterea grauissima quæque confecerit, eaque in re superioribus, Abbatibus nihil concesserit. Primus Abbatum, qui eius ætate imperarunt, Historiam scribere cœpit satis splendido sermone, ordine retento, quòdque videas, nullo studio, nulla cupiditate. Vtinam in vtroque essent, qui eundem laborem assumpserint, imitati. Scripsit de Albengano, de Hippolyto, de Cypriano, de Vito, quo iubente veteres nostras vbique locorum dissipatas leges congessit, & optimè dispositas euulgauit. Ad orationes conscribendas vtebatur ingenio facili adeo, vt, cum occasio fuerit, breuissimo temporis interuallo conderet. Multas lux ipsa vidit, præcipuè quas in electione Cypriani, Hippolytiq. habuit. Ex eo studiorum genere delectationis plurimum hauriebat. Iuuentutis vix cancellos excesserat, cum eius opera locari cepta est in muneribus, & administrationibus. In Monasterio Liciense primùm gessit Oeconomiam. Ibi suo magis artificio, quàm opulentia Cœnobij prænobile ædificium à fundamentis excitauit, quod post multos annos fulmine dirutum, paulò post, eodem Matthæo rogitante, instauratum est. Tyrones in Monte Oliueto maiori eius curæ, ac disciplinæ committuntur. Cum F. Cyprianus diplomate Pontificio Generalatum adeptus est, Matthęus non adfuit foris occupatus, qua re maximè doluit. Ex Monte Oliueto annos natus octo, & viginti Abbas Butuntum ablegatur, inde Galatinam, tum Buscum in Siciliam, præsertim vt cum ciuitate Panormitana agitet de Monasterio nostro, vulgò de Spasmo, quod illa muniminis gratia vallum fabricatura solo æquare decreuerat. Ea in re multum desudat. Feliciter omnia proueniunt, cum nihil omittat, quod pro Republica Oliuetana facere possit, immo hominem sibi valde familiarem in Hispaniam ad Imperatorem amandet, difficilia nonnulla resscissurus.

Matthæus

Matthæus cum in Siciliam æstate transmisisset, hyeme consequenti renauigare uoluit. Fuit periculo proximus, ne naufragio interiret properans in Italiam, socijs ualde tumultuantibus rumore dissipato, Monachos priuatos nulla in posterum suffragia laturos pro Abbate eligendo. Quæuis morula longior Matthæo uidebatur studium, laboremq. suum pro tempore posituro. Nihil tamen ipsi elaborandum fuit, cum illo adueniēte omnia quieuerint. Anno 1540. Abbas Perusiæ Montemorcinio præfuit, inde Visitator, quam quidem prouinciam per annum obtinuit, Vito dominante, & itidem per annum Cypriano præsidente. Iam Generalatus prænunciatur, cum in primis Monasterium Neapolitanum sapienter moderatus sit. Etiam Astronomi (si tamen ulla fides) & Romę, & Neapoli eumdem honoris locum prædicunt, quem Cypriano procurante, omnibus, vt diximus, pręter duos, suffragantibus, adeptus est. Cum sedem ascendisset, grauiter apud socios dixit, benignitate, & modestia vsurum, beneficia, quæ poterit collaturum, pleraque senioribus communicaturum; dum ipse præsit, non placere, ea, quæ in priuatis subsellijs, siue Banchetto statuantur, quod antehac non sine religione seruatum est, occuli, immo iubere, quorum referant, omnia enarrari, dummodo nihil graue sit, quod silentium necessariò postulet, vt si quid huius, vel illius consodalis gratia abrogandum sit, abrogetur, vel saltem, qui voto suo potitus non sit, leni aliqua consolatione mulceatur. Postero die longiorem profectò sermonem habuit, nihil innouandum, maiores nostros, quæ disciplinæ Oliuetanę sint satis, sanctissimè pertulisse, illa duntaxat obseruanda; cum, quod Aeschines docuit, si negocia Reip. vnus tantummodo pro libidine constituat, eam ruere necesse sit, contra tamen accidere, si plures optimates publica, & priuata temperent, se nihil suo arbitrio præscripturum, sed consilio, & sententia Collegarum. Et quia Clemens VII. quo regnante, vt exposuimus, inter nos tumultuatū est, id aliquādo Præsidi nostro maximo asseruit, nihil præter ambitum in hac nostra Congregatione emendandum, & euellendum, Matthæus affirmat, tanto malo excogitatum à se remedium, nempè, vt Abbatis Generalis, prouincia deposita, acta, gestaque omnia cognoscantur, & censeantur per viros octo Oliuetanos ad id electos, quorum iudicio nulla ratione obsistat: ita maximum Antistitium neque posthac superbè affectandum, neque si deferatur, libenter accipiendum, velle se primum legis Auctorem hac lege obstringi. Huic iudicio propriam aliquam sedem positurum. Posuit autem, vt hodie conspicitur in altissima parte Montis Oliueti, quam picturis, varijsque sententijs consilio suo accommodatis exornauit. Breuis epigraphe legitur super ostium. *Rationum trutinæ.* Præsidis voluntatem omnes approbant. Post hæc ad Vrbem legantur F. Franciscus Bononiensis, & F. Io. Matthæus Ariminensis, qui de faustissimo Comitiorum exitu Protectorem certiorem faciant, purgentque socios, quòd iustis de causis Serralium, quem ipse expetebat, ad Generalatus apicem non extulerint. Cardina-

Locus erigitur rōnibus à Generalib. reposcendis.

lis non multò post ad montem S. Sabini, quod illi natale cœlum, aduenit. Eo simul iter habet Abbas Generalis, qui, sua pluribus explicata sententia, deque rebus Oliuetanis habito colloquio, Principe adeo gratus accedit, vt, quod Cypriano, & Hippolyto literis significauit, vehementer pœnituerit alios præter Matthæum cohonestare voluisse. Argumento pariter habeas, quòd tam liberam, & absolutam in omnibus auctoritatem tribuit, vt apertè dixerit, si quando dissentiat, literas ab illo redditas nihil æstimet. Mense Septembri, indicto conuentu, quem communi vocabulo dictam appellant, (nunc primùm in nostris codicibus hæc vox, vox, teste Guicciardino lib. 10. qua Germanici Principes concilia vocare solent, in quibus de bello, de pace, de fœdere, alijsque rebus huius generis decernitur) plures è nostris aduenerunt, quàm euocati. Suspicio quædam exciuit, noua statuenda, & imponenda nonnulla. Nihil tamen non æquum, iustumque sancitum est. Cognito autem Pontificis Perusiam versus itinere, vt ciuitatem edomet, quæ ab eo desciuerit salarium vectigal non accipiens, Matthæus iam Visitationem ingressus, iter eò conuertit. Admittitur sacros pedes exosculaturus cum F. Hippolyto Mediolanensi, F. Miniate Florentino, F. Elisæo Tertiago, & Cardinalibus aliquot, virisque Principibus assidentibus, sui ipsius, & Congregationis ratione reddita, pro illa obedientiam profitetur, & quàm diligentissimè commendat. Modestia, & prudentia Oliuetanorum à Pontifice laudibus effertur, quod Neapolitanos aliquando maximæ Præfecturæ participes effecerint, Ordines enim sacrasque familias esse hominum cœtus pio Charitatis uinculo cohærentium, propterea huic animorum seruandæ coniunctioni excubet, turbarum superiorum non immemor. Matthæo deinde significante, se nonnulla petere velle, quæ, ne longior sit, ad Protectorem retulisset, Pontifex ait, quæcunque uoluerit, non ægre concessurum, vtpotè qui persuasum habeat, nihil petendum, quod obtentu dignum non sit. Inter ea, quæ petuntur, præcipuum est, vt in posterum Monachi non Fratrum, sed Domnorum titulo appellentur, quo etiam antea clarissimi viri nostros, vel inuitos vel demissionis ergò non accipientes ornare solebant. Hac de re Cardinalis protector Decretum emittit, quod, cum neque, vt existimo, reperiatur, neque vnquam visum, lectumque sit, affero, & exscribo.

Prima Dietæ sive conventus autumnalis.

Abb. Generalis Perusiam sese confert, Paulum III. Pont. max. aditurus.

Decretū, ne posthac Fratres, sed Domni appellentur.

IOannes Maria miseratione diuina Episcopus Prænestinus S. R. E. Cardinalis de Monte nuncupatus Congregationis M. Oliueti Protector. Dilecto nobis in Christo nunc, & pro tempore Abbati Generali, Visitatoribus, Prælatis, & Professis quibuscunque dictæ Congregationis salutem in Domino sempiternam. Noueritis quòd cùm hac die 29. Mensis Nouembris Sanctissimo in Christo Pater, & Dominus Paulus diuina prouidentia Papa Tertius nobis exponentibus accepisset inter cætera capitula, siue instituta regularia Sancti Benedicti Capitulum infrascripti tenoris vindicet. Iuniores Priores suos diligant, in ipsa autem appellatione nominum nullum liceat alium puro nomine appellare, sed Priores iuniores suos Fratres

tres nominent, Iuniores autem Priores suos domnos (aliàs, Nonnos.) vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Sanctitas sua Capitulum huiusmodi in Congregatione vestra prædicta Montis Oliueti (cùm vos sub regula eiusdem Sancti Benedicti Deo famulatu n exhibeatis) obseruari noluit, decreuit, atque mandauit. Ita quòd de cætero inter vos Iuniores Monachi professi, vel non professi qui presbyteri non fuerint alios Monachos presbyteros (etiam eos, qui rationabili causante impedimento, aliàs tamen eo gradu se ab eo subduxerint) Domnos, ipsi verò Priores Monachi iuniores præfatos Fratres suos appellent, & appellare debeant. Propereaque viuæ vocis oraculo nobis commisit, atque iniunxit, vt de huiusmodi sua Sanctitatis voluntate, decreto, atque mandato fidem faceremus vobis, prout per præsentes nostras literas patentes à nobis propria manu subscribendas, & per vos, & quemodolibet vestrum inuiolabiliter obseruandas, facimus. Dat. Romæ in Palatio nostro. Dicta die 29. mensis Nouembris 1544. Pontificatus prælibati Sanctissimi Domini nostri PP. anno vndecimo. Io. Maria Cardinalis de Monte, Protector.

ABbas denique cum comitibus, fausta à Pontifice precatione accepta, Neapolim contendit, vbi, & præcipuè in Anuerfa Patria excipitur magno plausu. Inde regrediens habet annua Comitia. His absolutis, quamuis non satis commodè ualeat, alias prouincias inuisit; & Verona cum D. Cypriano, & D. Hippolyto Tridentum proficiscitur, ubi, eo tamen tempore tardiùs Oecumenica Synodus celebrabatur præsidente Cardinale Protectore. Illo suadente Matthæus reliqua Cœnobia obeunda putauit; si in Vrbe Tridentina ipsum esse oporteat, Cardinalem euocaturum. Vrbibus igitur, & prouincijs peragratis, cum in MonteOliueto quiesceret, literæ à Protectore afferuntur, Synodum proculdubio repetendum. Id Visitatoribus enunciat, quibus per suffragia assentientibus, destinat, qui pro re Olinetana in ea assideant, &, de quibus interrogentur, sedulò edoceant, D. Cyprianum à Verona, & D. Gratianum à Genua. Ex his Gratianus tantùm accedit, qui, consilio Primatum, & maximè Protectoris, paulùlum immoratur, cum, quod & in diplomate Pontificio lectum est, & Pontifex ipse Matthæo in Vrbe testatus est, nostrorum accessio necessaria minus existimetur. Idem & Cassinensibus accidit. His peractis Romam iterum petit, inde Neapolim. Ad Vrbem postea reuertitur, vbi, copia Pontificis data, agit clanculum de multis, & potissimùm de non edendo diplomate, quo Magister F. Angelus de Cruce Generalatum ineat, famam tradere, à Præsidibus nonnullis uiro fauentibus procuratum, esse familiæ Oliuetanæ hominem audacem, noua cupientem, omnia aggredientem, Pontifex talia monentem collaudat, & benignè respondit. Rebus constitutis, Abbas Generalis cum multis unà Cardinalibus, ad Montem Oliuetum ex Vrbe proficiscitur. Tam multis exhaustis uiarum, curarumque laboribus, totum sese contulit ad ea comparanda, quæ Comitijs insequentibus necessaria forent. De his antequam uerba fiant, alia subijciuntur, quæ

Statuuntur qui pro Oliuetanis in Concilio Trid. adsistant.

Abb. Generalis Romæ Pontifice alloquitur.

Matthæus ipſe in maxima ſua prouincia fecerit, ſtatueritq. Primus annus caritate annonaria ita premitur, vt ne quid graue Cœnobijs exhibeat ædificatione, cuius miro deſiderio tenetur, abſtineat. Altero autē, cū ibi maxima Aquę penuria laboretur, ciſternam extruxit extra Monaſterium, quà ſpectat Solis ortum. Aedes ſuperiores, & præcipuè ſyndicatus, vt loquuntur, aulā, picturis illuſtrat, ac ſuggeſtus, vt, ſi quiſpiam è ſindicis, vel Iudicibus dicere velit, id non indecorè faciat. Ad hęc, vt dicebam, nihil publicè erogari voluit, quod ex occaſione ſępius imperare licuiſſet, non modò propter illa, quæ ad vtilitatem, ornatumque Monaſterij commolitus ſit, ſed etiam propter aſſiduas militum in Etruriam excurſiones, primo pręſertim anno occupatis Turcico impetu Portherculeo, & Telamone propter vniuerſam annonæ difficultatem, trāſitum, hoſpitiumque copiarum Germanicarum, ſi minus in Monte Oliueto, certè in agro Senenſe adhibendum, vbi milites vel domo excipiendi, vel argento prohibendi. In tanta temporum acerbitate, vt Monachorum modeſtiæ, integritatique proſpiciatur, Monaſticis pręterea facultatibus, & ædificijs, Abbas Generalis Dynāſtas, & Principes magnifica liberalitate proſecutus eſt; Hic ne cogites, Matthæum vllam duxiſſe propriæ vtilitatis, commoditatisq. rationem, qui aliàs ſumptibus valde pepercerit. Monaſterium Neapolitanum in primis curę fuit. Cęnaculum egregiè, & inſigniter decorauit ſedibus, & picturis per Georgium Vaſarium Arretinum gloriæ monumento tot regum Aragonenſium, & præcipuè Alphonſi ſecundi, Caroli regis Gallorum, & Reginę coniugis, & Caroli Quinti Imperatoris, quibus, & ibi ſępius Monaſticis edulijs veſci, ac multos dies in Monaſterio placuit exigere. Multa Anuerſanus conſtituit. Hæc de Re diuina. Ad aram maximam duo cerei, qui in conſecratione panis accenduntur, ardeant, dum Sacerdos ſacro Euchariſtiæ ferculo reficiatur, antea enim; Hoſtia ſublata, extinguebantur. Preces complures in libellum Horarium Deiparæ Virginis contulit; Narrationem adiecit de noſtræ Congregationis primordio, & opus S. Io. Chryſoſtomi, in quo docemur, diſciplinam Monaſticam principatibus, regnisque anteferendam, quod Matthæus ipſe Latinè reddiderat, cum in S. Petro de Galatinia ætatem egit Gręcis literis operam impendens, & Venetijs per typographos ediderat. Alia de alijs, quæ ſequuntur.

Sāctiones & decreta D. Matthęi de Anuerſ. Abb. Gen.

Annis præteritis decretum fuerat vt Abbas Generalis, cum alteri lampadem tradidiſſet, cæteros omnes Antiſtites præcederet, vel ætate, vel profeſſione grauiores. Et qui Viſitatoratum depoſuerant, viam ſibi paulatim aperire, vt hoc eodem priuilegio gauderent. Matthęus prauæ huius conſuetudinis initia opprimit, & oſtendit ſingularem illum honorem ad Abbates Generales, non ad alios pertinere.

De loco eorum, qui Abb. Gen. fuerint.

De Apoſtatis.

Transfugæ, & deſertores, vulgò Apoſtatæ, in Ordinem facilè recipi, cum Abbas per ſe ipſe, & ſępius, deprecante aliquo Principe, ſi mmo huius noſtrę Reip. incommodo, ea poteſtate vteretur, ita vt multi, quia facilè in priſtinum reſtituuntur, leuiori de cauſa transfugerent. Matthæus vt tantæ ad

Apoſta-

Apostasiam improborum procliuitati obuiam eat, iubet Apostatam, nisi suffragijs Collegarum, à Præside maximo reddi nostræ familiæ neminem. Alijs Abbatibus venerat in mentem, vt altero quoque mense in singulis Monasterijs, accepti, expensique ratio subduceretur; nihil tamen vnquam perfectum, licet, non quidem studiosè seruaretur; Certam ea de re legem Matthæus præscribit. De imponendis tributis, trahendisque è Congregatione subsidijs Abbatis, & Collegarum auctoritatem imminuit, hoc est, vetitum voluit, ne liberiùs, vt ante hac, suo arbitrio, sed Comitijs Generalibus approbantibus, & non alia ratione graue quidquam imponant. Et quia hæc tributa, seu subsidia distribuendi nulla vnquam æqua ratio, quod plerisque fieri non posse videbatur, pro censibus, opibusque Cœnobiorum inita fuerat, vnde perpetuæ Præsidum vndique quærimoniæ, Matthæus, qua erat sapientia præditus per socios aliquot è singulis prouincijs delectos, qui cuiuslibet Cœnobij optimè nossent diuitias; & inopiã, modum euulgauit, quo pro portione, & æquitate tributa imponenda diuidantur, id quod ad tranquillitatem Congregationis plurimum contulit. Cum satis illa tempestate auctus esset Oliuetanorum numerus, lata lex est, ne intra biennium quis in familiam assumeretur, non permittente Abbate Generali. Interdicta etiam sub idem tempus quæuis ædificatio, quæ supra quindecim aureos absumeret, summo Antistite non edocto. Nititur abolere consuetudinem, qua pro rebus ad cultum necessarijs pecuniæ diuiduntur. Attamen non euincit. Vetat apparatus, & inanes honoris species, præcipue festiuum è turribus Campanarum pulsum, ipso, vel Collegijs aduenientibus. Id quidem placuit inuiolatè obseruari, dum rei Oliuetanæ moderatus est, Aiebat, incidere ea tempora, quibus longè præstabat popularibus exhibere simplicitatem, & modestiam religiosam, quàm speciem, & cuiussuis generis pompam. In visitatione templum ingressus, si quo ornamento splendesceret sedes genibus flectendis apparata, renuere, genuque figere humiliùs humi. Permolestè ferre, si quando Monasterijs graues impensas efficiat, ideo rogare Visitatores, vt quicquid in itinere desiderent, suis rationibus adscribant. Cum eisdem decreuit, vt Monasteria Camprenense, & Scaricalasinense pecuniaria omni immunitate fruerentur, & Romanum nihil exolueret Procuratori Generali, & Monachis Camprena discedentibus, Monasteria quò mitterentur, commeatum darent. Curauit, vt tandem, post tot tantosque labores ea de re susceptos, Monasterium S. Laurentij de Cremona nobis adiungeretur, & S. Thomæ Sacrum relinqueretur, quod non satis idoneum esset, & cęlo clemente. Idem planè transegit de Abbatia S. Gabrielis de Airola, quam Monasterio Oliuetano Neapolitano apposuit, aureos annuos reddente quadringentos, quod eo tempore maximum fuit, cum Romæ obtineri non posse videbantur Abbatiæ. Summum quoque studium posuit, vt Monasterium de Cappellis prope Neapolim reciperet, cum in Vrbe Tridento morabatur, cum Cardinali Prospero.

De calculis.

De tributis.

Adiungitur Monasteriũ, & Abbatia S. Laurentij Cremonæ, & S. Thomæ relinquitur.

Notę, quas vulgo Matthæus Ab. Generalis suscepit.

spero. Sanctacrucio: Nihil tamen exorauit. Matthæus in tanta sapientia, bonitate, rerumque sacrarum, & familiæ suæ studio notis non caruit; pluresenim inustæ, quod facilè exardesceret, & ad conuicia in de erumperet: ira vero breuior, &, qui patienter eo spatio sustinuit, charissimum habebat: quod omnia despicatui satis duceret; quòd sæpius ad mensam cogitabundus in cibo, potuque gereret sese intemperantiùs, ciborum nec copia, nec conditione perspecta, vnde eius stomacho infirmo graue incommodum. Noctu in lecto multus erat, cum diceret, in tenebris se cum animo suo meditari, quid agat, quid eueniat. Adductus cupidine gloriæ præceps aliquando in negocijs. Obsequia non leuiter oderat, sed fortasse aulica, & nimium exquisita. Sanguinem ita abhorruit, vt guttulam vel conspicatus, vel meditatus totum sese perturbauerit. Ferrea siue perfricatione, siue collisione vel minima expalluit, elanguit. Iura sanctissimè coluit amicitiæ. Promissa præstitit, quamuis & indignum aliquid exoriri, & ipse periculum adire posset. Tempus iam Comitiorum aderat, cum triduo ante tertiam à Paschate diem Dominicam Matthæus, ne Comitia turbulenta, ac dissidentia sint, veritus animos aperiendos existimauit. Vespere igitur Cyprianum à Verona conuenit, & cum Cypriano Bentiuolium, quem vterque etiam atque etiam orat, vt maue die crastina, qui eum sequuntur, suam quisque sententiam, afferant. Re omnibus significata pax aurea noctem habuit. Sexta feria elucescente, sacrisque celebratis Monachi duce D. Elisæo Tertiago Proabbate Generali, Cypriano, Bentiuolio cum affectatoribus ad Generalem accedunt, & successoris electionem in ipsum reijciunt. Ille præmissa purgatione, actisque gratijs, Collegas ad se conuocat, &, ex his vno dimisso D. Hippolyto Mediolanensi, apud ceteros verba facit; Cum ex nationibus transalpinis iuxta leges olim promulgatas Abbas Generalis renunciandus sit, & paulò ante suum Bononienses, & Veronenses acceperint, vt æqualitas, & quies in Congregatione persistat, videri illo honore nunc Mediolanenses exornandos, in quibus neminem Hippolyto aptiorem nouerat. Mentem Abbatis Visitatores, & approbant; & efferunt. Cum euulgatur, omnes gaudio afficiuntur, Abbas præcipuè in tanta consensione supra modum triumphat, & reipsa ostendit. Etenim à prandio ianuam, quàm tum pingi curabat, exeunti, ne exteriorem amittat lætitiæ commostrandæ occasionem, placuit pictæ corouidi inscribi hæc duo verba, *Quieti, & Tranquillitati*. Sed ò quam nulla rerum humanarum constantia, & firmitudo! Ecce, cum aduesperascit, D. Philippus Ghettinus Pratensis Abbas Sexti, qui cum Serralio ad Comitia discesserat, accedit. Hi duo tantum in hac publica conspiratione abfuerant. Ghettinus Serralium excusat, quòd, cum satis commoda vtatur valetudine, adesse in Monte Oliueto nequiuerit; ita tamen, vt prudentiores aliquid subesse non leuiter suspicentur. Igitur toto Monasterio mussitari, nihil constitutum de Comitijs. Nox illa nunquam son. no data, bonis quiete pristina interturbata

Tumultuosa Comitia.

bata metentibus. Quid faciat summus Abbas? Socios præcipuos in priuata subsellia conuocat, & satis concitata oratione literas à Cardinale Gambara Viceprotectore per D. M. Antonium Brixiensem Procuratorem Generalem delatas, quibus Matthæum admonet, vt omnia in Comitijs liberè agitentur, &, si quid, quod non suspicatur, euenerit, ipsius fidem, opemque implorent, se nullum prorsus officium, ac patrocinium omissurum; non aliter sentire Pontificem. Recitat præterea literas à Mercurio Archiepiscopo Sipontino, qui à secretis est Cardinali Protectori, redditas, quibus, quasi Electionem præsagiuerit, Monachorum voluntates confirmat, studium, operamque suam penitus defert. Matthæo pariter, & Visitatoribus redit animus, & cum reliquis consodalibus eò ventum est, vt, si à Pontifice detur in Diplomate noua ratio Antistitis eligendi, viri perquàm egregij Romam ablegentur, qui ea de re illum alloquantur; interea ad commune Electionis genus ab eodem Pontifice stabilitum deueniatur. Re constituta, pransis omnibus, Comitiorum præfectis euulgatis, Abbas maximus cum paucis secedit, neque ab aliquo, præterquam amico, & Collega conspicitur ad horam vsque depositionis, mane die Dominico habendæ. Interim rumor, nescio quis, affertur, Angelum de Cruce, quem antea diximus, à Pontifice Abbatem Generalem declarandum, quod incredibilem facit admirationem. Tres idcirco Abbates Matthæum commonent, vt vim prohibeat omnem, si quis Palatium introire voluerit, aliquem fortasse ex Vrbe venturum, quem si propellant grauissimæ reprehensionis periculum facturos. Ille non discrepans mittit Visitatorem, qui id præcipiat. Hora vigesima Roma Tabellarius, Senis Angelus aduenientes laicorum Senensium minacibus verbis, armisque territi, itinere intercluso, abscedunt. Quod vbi in Monte Oliueto cognoscitur, timent omnes, ne vis adhibita Monachis omnibus sit ignominiæ pariter, & detrimento. Timor augetur, quod iuuenis quidam è nostris Senensis è Monasterio Camprenensi ad Senense iter habens ad Palatium perueneral, cum illi repelluntur, & ingressu prohibuerat Angelum aspere & contumeliosè Senas vsque prosecutus. Statim à Monte Oliueto ad Rempublicam Senensem delegatur D. Gaspar Mediolanensis, qui per Franciscum Grassium affinem, & virum tunc temporis apud Senenses pro Imperatore Principem accipiat, ipsane excubias, quod aliàs itidem fecisset, ad Palatium collocauerit; Senenses se collocasse respondent, & in acta publica retulisse. Alio tamen auctore, à quo hæc scripta sunt, & senioribus attestantibus, & fama ad hodiernam vsque memoriam consistente, mane die Dominico Tabellarij, Angelique aduentus fuit cum literis Apostolicis, quæ Angelo maximam rei Oliuetanæ moderationem demandabant, tunc nimirum cum Monachi suffragia inierant, & omnes ad vnum sciuerant, aditum neutri concedendum. Vtcunque sit sabbato, & nocte consequenti sentiuntur in Monasterio dissipata, & perturbata omnia. Prima autem luce Deo magnifice litatur, cæteris sacra priuatim orantibus,

Tabellarius Romanus, & M. Angelus de Cruce arcentur ab aditu M. Oliueti.

tibus,

tibus, vt superum opem exposcant. His rite perfectis Comitia instituuntur, D.Hippolytus Patauinus adolescens, vt pro more Monachos adhortetur, qui hominem prouinciæ subeundæ opportunum ad summum prouehant Abbatiatum, de superiore loco, ad congregatos Oratorio dicendi genere agere vix cœperat, cum, quod celeritate maxima opus esse animaduertit, Abbas silere iubet, nec vltra progredi. Inde, omnib.in templo coactis, extra Serraliū, qui licet ad Montem Oliuetum sese attulisset, tamen à Matthæo per binos Visitatores euocatus adesse noluit, & Ghettinum, qui pridie, nemine refragante, turbarum, quæ narratæ sunt, consultor & auctor, Antistitio semotus erat, abdicat se prouincia, quæ omnibus, duobus exceptis, suffragia ferentibus traditur Hippolyto Mediolanensi. Accipit lacrymabundus, Congregatione certissimo in periculo constituta 10. Calend. Iun. 1546. Interea D.Titus Florentinus Serralio coniunctissimus Nuncium ad Vrbem submittit, vt, quo exitu Comitia fuerint, perferat; sed Tertiagus, vtpote callidus, & sagax iter idem ingreditur, & gratia Cardinalis Gambaræ primus cum Pontifice sermonem confert. Paulò post D.Franciscus Bononiensis, & D. Iulius Volaterranus Abbates, vt opinor, studentes contrariæ factioni Romam pariter adueniunt, & apud eundem Cardinalem multa queruntur. Matthæus item ad Vrbem profectus semel iterum, ac tertiò agit, vt Pontificem adeat, causam dicat, veniam socijs impetret; Non obtinet, siue, quod Pontifex ipsi, suisque factionibus propterea, quæ contigerint, maximè succenseat, siue, ne forte ea ipsa in memoriam reuocet, quæ de Angelo, superiora Quadragesima, Roma iter faciens retulit, & præcipuè quàm malè audiat apud Oliuetanos. Mandatur tamen à Pontifice, vt tres Cardinales primarij, Gambara, Ardinghellius, & Sfondratus rem non indiligenter cognoscant, sedentque controuersias. Causa voce, scripto alijsque rationibus, pro sententia Principum exagitatur, ac discutitur. Matthæo in primis diræ deuotionis pœna denunciatur, si absque permissione Pontificis abeat ex Vrbe. Diplomate dicitur dies Angelo, Serralio, Hippolyto, quem Congregatio Abbatem Generalem fecerat, & Cypriano, ex quibus nemo summi Præsidis nomine appellatur. Angelus vel sua sponte, vel alieno imperio ad Seruiticum Cœnobium S.Marcello sacrum sese recepit, ibique demoratur. Hippolytus adest ad iudicium cum maximo sociorum, præsertim, qui plurimùm gratia, & auctoritate valeant, comitatu, quo cum liberè ad Monasterium Comitem quoque habuit initio Serralium, sed in itinere sensim ab alijs recedens Angelo sese adiunxit. Hippolytus autem, Cyprianus, & Matthæus in ædibus Protectoris habitant, quod & ipsis honori, & causæ subsidio fuit, consilio, opera, & industria Archiepiscopi, quo de mentio fuit, Sipontini, cum quo maximus vsus Matthæo intercedebat. Dat etiam Tridento literas ad Pontificem per D. Gregorium Mantuanum, quem Matthæus turbis enascentibus, eò dimiserat, vt aliquo modo tranquillitatem importaret, multùmque proficit. Men-

1546 D.Hippolytus Med. Abb.Generalis. LXXIII.

sis

ses aliquot, hisce negocijs,curisque extracti; tandem Pontifex diploma' quod pro Angelo edidit, antiquauit, & Hippolytum Generalem, quippe qui publica sodalium consensione lectus esset, ratum firmumque, cum ijs, quæ in his Comitijs decreuisset esse voluit; Cardinales, vt prospiceretur vtriusque factionis concordiæ, & dignitati, Pontificem orare cogitabant, vt Angelo traderet Episcopatum Alephitanum, omni iure deposito, quod sibi in Generalatu vindicasset; is tamen renuit, & anceps, incertusque Principes irritauit ita, vt dixerint, scripto se abdicare coacturos. Angelo mens erat, operamque adhibuit, vt, præter Episcopatum, auream ducentorum aureorum pensionem Ordo Oliuetanus enumeraret; vt Visitatores aliquot amouerentur, alijsque cum ipso coniunctis subrogatis; vt Serralius Romæ sederet pro Abbate Generali. Pōtifex omnia reiecit,& Serralium fecit Episcopum Madrusij. Angelus cum exoptata impetrare non potuisset,fortunæ concedens migrauit Boloniam,vbi post annum eadem die, & hora, qua in Palatio Montis Olioueti Abbas Generalis futurus adfuit, & diuturno morbo conflictatus piè mortuus est in perexigua fratris domo, vnde nostri magnificè effeperunt ad S. Michaelis in Busco. Redeamus ad Hippolytum Reip. Oliuetanæ summo cum imperio præpositum. Ab ineunte adolescentia ætatem sapientia superauit. In consuetudine tanta lenitate,& suauitate,&,si res efflagitasset,in sermone, & in negocio tanta fuit facilitate, vt, quò maluisset,animos aliorum,Procerum etiam,& Antistitum, permouerit,inflexerit, compuleritq. Hinc nobilissimi viri, quanquam de facie notus non sit,nomine duntaxat pluris faciunt. Non tantum forma corporis, & reuerentia vultus,sed etiam acumine ingenij, dexteritate in rebus,celeritate in consilijs, constantia in periculis, & magnitudine animi in vtraq; fortuna,& apud omnes beneuolentiam, & admirationem apud sapientiores conciliauit. Præcipuæ,eximiæq. virtutes,quibus elucebat,docere videbantur,Hippolytum ad tot tantasq; Congregationis perturbationes auferendas editum. Abstulit quidem, cum ferè post biennium, quam turbulentam, varijs procellis iactatam acceperat pacatam, sedatamq; restituisset. Habes factum ab illo peregregium. Conuenit cū Nicolao Cardinale Rodulpho Commendatario S. Victoris de Mediolano de certa pensione quotannis exoluenda. Ita Abbatiam antea satis tenuem bonis stabilibus auxit, quæ ad aureorum triginta millia pretio ascendebant,translatis per Diploma Pontificium in Abbatiæ potestatem omnibus bonis. Sed non diuturna pensionis annua collatio, obeunte Cardinale anno 1550. & Hippolytus penitus Abbatia potitus est. Sexcentas Oleas in prædio Quercecchiano consenit, aliaque minora beneficia contulit, quæ missa facimus. Imperio feliciter absoluto, pridie ante tertiam à Paschate diem Dominicam XI. Cal. Maias 1548. venit cum Visitatoribus, alijsque Monachis in Odæum Vesperas decantatum, & veterem, ac piam nobis consuetudinem diu satis intermissam, atque oblitteratam reuocauit, quā illo die Abbas Generalis Præsidem, quem suc-

D. Philippus Serralius Episcopus Madrusian.*

D. Hippolyti Mediolanensis Ab. Generalis virtutes, & ornamenta.

Per Hippolytum Abbatiam S. Victoris liberam obtinemus.

1548

Consuetudo, qua Generalis Ab. successorē indicabat et eligebat.

cessorem expeteret, iubebat. Antiphonam, *Modicum* Cantico Virgineo præcinere, vnde eius mentem intelligere, percipere. Igitur Hippolytus innuit D. Benedicto Porrio de Finario Abbati Portuuenerio, vt Antiphonam præcineret. Præcinit; inde cum Proabbate Generali D. Modesto Bononiensi iubetur ad cubiculum recedere, &c, ne quis adeat, ostium

Factiosa Comitia. pessulo, claueq. Proabbas obstruat. Maiores ita consueuere. Extemplo submurmuratur, Collegio diffidente, non D. Benedictum, sed D. Miniatem Pittum, qui alias in expectatione fuerit huiusmodi, in summa Oliuetana sede collocandum. Hac fama peruadente, postera nocte factio deprehenditur. Hippolytus cum Octouiris fortiter obluctatur, omnes ad sententiam suam perducit, & mane, a D. Gaspare Mediolanense habita, more nostro, concione, nemine non suffragante D. Benedictum

D. Benedictus Porrius Finariensis Ab. Gen. LXXIV. maximo Abbatiatu cohonestat. Is de se ipso sentire submissiùs, quamobrem Sabbato vesperi ad eum, nescio quo pacto, amicus ingressus lacrymantem offendit. Cur fleat, interrogatus, vires, inquit, desidero, quibus tam graue onus sustineam; proinde precetur Hippolytum, vt subroget aptiorem. Attamen confirmatus ab amico testante, non dubiè credendum, à Deo prouectum, quiq. elegerant, consilium, opemque allaturos, animum recipit, & Deo, hominibusq. morem gerere constituit. In retinenda, & augenda legum Monasticarum obseruantia multum laboris, & operæ suscepit. Accusant, quòd superiores factiones grauiùs æquo vltus sit, quòd nonnullis honore deiectis, alios minus dignos, idoneosque substituerit, quòd multa contra fidem præstiterit, vt gratum faceret aliquibus, quorum auctoritatem verebatur, quòdq. passus sit aliena libidine gubernari. Hinc sæpius gemitus, & querulas voces emittere. Hei mihi, euincor, nihil supra facere possum. Palam his verbis profiteri, se inuitum multa conficere, si in sua potestate sit, & suffragio Collegarum non addictus, facturum nequaquam. Excelluit eius memoria sa-

D. Constantius Amalphitanus in Oliuetana celeberrimus. pientissimus vir D. Constantius Amalphitanus, Quemnam dignitatis gradum obierit, hucusque non intelligo, est enim titulo Reuerendissimi in libro familiario Montis Oliueti ad annum 1549. Habeo quidem summum fuisse Theologum, & linguæ græcæ ac latinæ peritissimum, vt ex illa in hanc diligentissimè transtulerit multa opera SS. Gregorij Na-

1550 zianzeni, & Io. Chrysostomi. Expleto biennio Sabbato præcurrente tertiam Diem Dominicam V. Cal. Maias anno 1550. in Odæo, qua ratione supra diximus, vt staret restitutæ consuetudini, successorem se velle Bentiuolium significat, quem non modo grauior ætas, sed etiam præclara merita, cum primùm Generalatu functus est egregiè commonstrata esse dignissimum dabant. Assurgit Bentiuolius, non ferre vltimã ætatem, non dolores podagricos, nõ alias inualetudines, vt laboriosæ adeo prouinciæ se subijciat, mentem potiùs adijciant. D. Modesto Bononien-

D. Modestus Bonon. Abb. Generalis. LXXV. si Proabbati Generali bonitate, & doctrina non immerenti. Fit satis voto Bentiuolij, & Modestus omnium suffragijs, punctisque declaratur Abbas Generalis. Dum imperat Iulius 3. Pont. Max. quo nos olim Pro-

tectore

tectore vsi sumus, Augustissimo Cardinalium Collegio adscribit D. Georgium Martinusium Pannoninm ex familia Oliuetana, quod tamen negatur à pluribus. Ex ijs, qui illa memoria scripserunt, Iouius, Mambrinus, Dolionus narrant fuisse Cœnobitam, nullam tamen, in quam ascitus fuerit, familiam adscribunt. Panuinus verò, & Ciacconius vixisse ex præscripto S. Pauli primi Eremitæ. Nos autem ab Alphonso Vlloa in vita Caroli V. à Natale Comite, Petro Busiano, & Arnoldo in suis historijs Monasticis nihil discrepantes asserimus, Georgium Oliuetanum, & Oliuetanis adnumeratum in Monasterio S. Pauli de Curta in Pannonia, quo, vt supra dictum est, nos munificentissimè donauit Sigismundus Imperator. Georgius igitur, vt aliquid è multis, quæ à memoratis scriptoribus ad posteritatem transmissa sunt, in medium afferamus, honesto, sed non opulento genere ortus in Illyride, a Ioanne Pannoniæ rege, cuius admirabile studium fuit in eos, qui virtute cæteris præcederent, inter familiares assumitur. Ibi regiè educatus in Cœnobio S. Pauli, quod paulò ante significauimus, Christo nomen dedit. Post annum pro more iurauit, publicè professus, in leges à D. Benedicto institutas. Non multò post, mutato, vel asperitate vitæ, vel alia de causa, consilio, nunquam tamen veste Benedictina deposita ad Regem reuersus est. Per id temporis Rex regno exturbatus vnum in exilio Comitem habet Georgium, quo & consultore, & auctore vsus est. Hoc obsequio tantum apud omnes, & ipsum præcipuè Regem gratiæ locum adeptus est, vt recuperato regno, & ad secretiora consilia admiserit, & ad Varadinensem Episcopatum euexerit. Ita cum in Pace Belloq. plurimum posset, Ioãnes Rex affirmare solitus est, se, adiutore Georgio, regia dignitate potitum, & Ferdinandus Rex Romanorum, qui alieno in Ioannem animo erat, se huic vnum inuidere Georgium, quem regno tuẽdo aptiorem intelligebat, quam decem millia armatorum. Ioanne mortuo, Filius puer vndenarius regiæ amplitudinis hæres est. Huius tutor Georgius Pannoniam Daciamque maxima cum strenuitate moderatus est. Demum cum Io. Bapt. Castaldus, qui Prorex Ferdinando inseruiebat Isabellæ pueri regis parenti, vt Daciam, quam à Turcis defendere non poterat, traderet Ferdinando suasisset, aliqua tamen ex parte, non omnino quibusdã acceptis conditionibus, assentiente Georgio, Ferdinandus ea, quàm diutissimè concupiuerat possessione, contentus, tam multa de illo ad Pontificem honorifica scripsit purpuram petens Episcopo, vt Pontifex (maximo quidem, vt scimus, & præcipuo beneficio) solum Cardinaliũ Collegio aggregauerit. Eadem tempestate Archiepiscopatum Strigoniensẽ, cuius annua vectigalia perhibent esse quinquaginta millia aureorum, facilè consecutus est. Cedens autem Dacia Ferdinando Isabella Castaldũ admonuit, vt à Georgio caueret, de Dacia tradenda æquo animo coinisse, Solimanum Turcarum Imperatorem, qui cum Georgio clandestina familiaritas, & necessitudo, maximè irritandum. Castaldus, vt coniunctiorem illum haberet, humaniter, suauiterque accipere, amica fronte,

D. Georgius Martinusius Cardinalis Oliuetanus.

vultuque sereno aspicere, munera publica rata, facere, Quæstorium cum annuo censu quater mille aureorum, & Satrapale, siue, voce Pannonica, Vaiuodale cum quindecim millibus in annum excipiendis. Turcis paulò post in Daciam confertissimo exercitu irrumpentibus, & Georgio optimi ducis munia exhibente, Castaldus ex ea, quã de illo conceperat opinione, nihil fidere, eoque vel in minimis obseruato, suspicionem animo augere. Interim ad Castaldum à Ferdinando literæ, se à Constantinopolitanis, à rege Poloniæ, alijsque Principibus edoctum, Georgium, cum Turcarum Imperatore conuenisse de prodenda ad cædem acie catholica, proditionem Daciæ regno compensandam, necem Cardinalis omnino moliatur. Varijs interea coniecturis rem Castaldo confirmantibus, eò firmiùs insedit cædis imperatæ consilium. Ita Sfortia Pallauicino, alijsque Dynastis conspirantibus Georgius, domi suæ aliquãndo, datis per simulationem, quibus more literis subscriberet, pugionibus, gladijs, aeneisque fistulis miserabiliter occidit. Primo impetu Cardinalis Virginis Deiparæ fidem implorat, tandem, Filij, Matrisque inuocato nomine piè, ac religiosè discedit. Meam hic de Georgio sententiam non infero, cum neque possim., neque velim. Fateor equidem scriptores, maximè Iouium, & Comitem, multa Georgio dare laudi, vitio tamen, quod optimos decet Historiographos, suspiciones, quæ de societate quadam cum Turcis inita vagabantur; in primis attestari, eius virtutes omnibus patuisse, legantur Historiæ Iouij, quæ omnibus præsto sunt, sed epistola, quam ipse Florentia misit ad Castaldum datam XVI. Cal. Oct. mẽsem anteaquã Georgio purpura delata sit, præcipuè cõsulatur. Prudentiã, Religionẽ, Munificentiã, Liberalitatem magna cum laude extollit, Narrat Arnoldus interfectũ XVI. Cal. Ian. Pontifex grauiter succensus, facinore in Cardinalium collegio, pluribus exaggerato, Ferdinandum regem, sociosque diris deuouet. Sed de periculo, in quo viuente Cardinale, Resp. Christiana versabatur, admonitus paulatim lenior factus, Regem primùm, deinde, licet ægerrimè, reliquos populares eximit. Modestus Generalatu feliciter emenso, apparet bipartita Congregatio de Abbate Generali renunciando. Hinc ordinem ducit Hippolytus Mediolanensis, qui quàm maximè fauet D. Vito Pratensi, inde Modestus cum Bentiuolio, Bononiensibus illa ętate plurimùm valentibus, plerisque ex qualibet prouincia, & meliori parte Mediolanensium. Ambrosius enim Carcanus vir virtute præpollens, qui in Cœnobio Romano Abbas præerat, cum Bentiuolio faciebat. Qui adherẽt Hippolyto, cũ videant se viribus longè inferiores, cæteris cõiunguntur. Omnes igitur vno animo insigniunt honore Generalatus D. Io. Baptistam Senensem Abbatem S. Benedicti, qui hanc eamdem Prouinciam sexdecim ante annos obiuit, virum & scientia, & exemplo non indignum, sed equè pertinacem, & obfirmatum in consilijs, quod in postremo hoc biennio præcipuè constitit. Statim post Comitia dimissa in nostro Cœnobio Veronensi naturæ debitũ reddit Marcellus Cardinalis Crescẽtius Protector.

D. Io. Baptistam Senenses secũdò Abb. Generalis. LXXVI. Marcellus Crescent. Card. Oliuet. Prot.

ctor. Accepto nuncio Carcanus idem Visitator, idem Romæ Abbas cũ D. Baptista Ferrariense à Pontifice petunt summoperè Protectorem Hieronymum Cardinalem Dandinum Cęsenatem Episcopum Imolensem. Datur, qua est mira benignitate, nullo negocio. Io. Baptista tanta perfunditur lætitia, vt æstate exacta, Romam iter habuerit, & Pontifici gratias egerit. Graue id tamen accidit Matthæo Auersano in Vrbe versante, vt purget se de ijs, quæ apud Inquisitorẽ obiecta sunt. Dies noctesque traducit in domo Cardinalis Messanensis, suique perturbationibus animi ita exagitatur, vt in eosdem consodales inuehatur, & tribus Monachis persuadeat, vt aduersus Congregationem multa literis turpia, fędaque committant. Sed conuictus, & damnatus primùm abdicationis honoris, assentiente Pontifice, cum id fuerit valde insolitũ in eo, qui gesserit Abbatiatũ Generalẽ deinde publicè mulctatus, palam fecit Ordinis turbatores, qui perpetuæ custodię traditi sunt. Cardinalis interea Protector impetrat Congregationi Monasterium S. Christophori vt nos memorabimus, de Laudo, & Florentiæ S. Michaelis pro S. Miniate, vbi Dux ille nonnullos ante menses arcem extruxerat, quamuis etiam S. Michael dimissus sit, & pro eo S. Apollinaris acceptus. Curat præterea Cardinalis, vt quatuor millia aureorum, quæ ex quarta parte fructuum, vt iam conuenerat, Congregatio Aerario Apostolico debeat, ad tria millia redigatur. Id Pōtifex nostri valde studiosus in triennium exoratur. Abbas Generalis menses permultos, & magnam partem destinati imperio biennij Romæ consumit, vt Congregationem à calumnijs, vt supra demonstrauimus, intentis defendat, libertatem tueatur, Monachos in officio contineat (ita lego, nullius tamen præcipuè mentio est) ita vt Romana negocia, & diutina valetudo, & maturior ætas pauciora visere Monasteria vix permiserint. Bellum ea tēpestate inciderat Reip. Senensi, & Carolo V. Imperatori. Senenses enim præsidium Hispanum eiecerant, arcemque diruerant, Henricus Galliæ Rex Cæsaris impetum, & ferocitatem compressurus, inuictique Imperatoris quod poterat, famæ detracturus cum Octauio Farnesio, & alijs Italię Principibus Galliæ fauentibus Senas fortiter defendere. Carolo Pontifex auxilia submittere. Res Senenses quotidie magis inclinari. Milites vtriusque exercitus agrum perpetuò excurrere, rapinis incendijsque omnia complere. Ideo nostri ad Montem Oliuetum non accedere, & Abbas Generalis non reuerti. In Conuentu Autumnali, vulgo, Dięta, Bononiæ coacto anno 1553. agitatur de loco, & de ratione, qua Comitia iam appetentia conuocentur. Rector maximus promittere visus est, ad S. Michaelis in busco, vtpotè idoneum Cœnobium se celebraturum. Alijs autem persuadentibus, fieri Lucæ voluit, non examinato periculo, quod facilè adiretur inter tot, tantasque copias omnia ferro, & igne deuastantes. Iam Lucæ præsto erat, & Bentiuolius cum alijs adducere literis hominem nitebantur à consilio, quod tamen nunquam immutauit. Protector & quidem frustra, dehortatur per hominem certum.

Hieronymus Cardinalis Dandinus Protector Oliuetanorũ.

D. Matthæus Auersanus socios infestans pro merito damnatur.

Cardinalis Protector duobus Monasterijs comparat Laudi, & Florentiæ.

Bellum Senense.

Dissidetur de loco, vbi Comitia celebrentur.

Tres Visitatores erant cum Abbate Generali, tres verò Bononiæ. Hi negare, se in Etruriam transgressuros, illi in sententia permanere, Locum esse commodiorem, tutioremque in vrbe libera, nihil extimescendum, gratissimum esse Reip. ibi Comitia peragi. Vtrinque literis certabatur alijs alios à proposito reuocare conantibus. Cum tempus frustra conteratur, Antistitis pertinacia Protector incensus, quo nos amore complectitur, qua res nostras sollicitudine prosequitur, diploma à Pontifice impetratum VII. Id. Apr. 1554. mittit, vt omnes ad Sancti Michaelis in Busco coeant, &, si tempus non sufficiat, ad quartam post Pascha diem Dominicam prorogentur. Ita factum X. Cal. Maias summo regimine delato D. Io. Ambrosio Carcano Visitatori. Facie honestus, moribus spectabilis, in rebus agendis, quod sæpius Romæ patuit, accuratissimus. Eo curatore, præter Hippolytum Nicolaus Cardinalis Rodulphus honestis conditionibus adhibitis permittit, vt Abbatiam S. Victoris Congregatio liberè possideat. Honorem Abbatialem Romæ sustinens, socijs Laudensibus deprecantibus, impetrat à Ruberto Malatestio Monasterium Sancti Christophori, licet Humiliati per Ioannem Cardinalem Moronium maximè contendant, vt sibi restituatur. Habet insuper à Sfondratis Monasterium Cliuatense. In eos grauissimè animaduertit, quos comperit, opes Monasticas segniter administrasse, vt eorum culpa ære alieno obstricta sint ipsa Monasteria, quæ pro viribus subleuabat. Ita Camertinum possessiones nescio qua de causa alienatas nullo Congregationis incommodo exigit aureis octingentis. Ita Ticinense liberat ingenti pecunia debita sine dispendio. Ita & Montoliuetense iuuat, quod ex perpetuo finitimo bello summè laborat, alit agricolas, milites commeatibus detinet, ne Monachis negocium exhibeât. Nostra tamen Senis circumiecta loca magnis calamitatibus afficiuntur. Senenses, ne sit hostibus munimento, Monasterium S. Benedicti penè totum euertunt. Abbatia Cicillis exciditur, Galli Monasterium S. Annæ diripiunt, malèque accipiunt. Quibus de rebus Io. Ambrosius certior factus, timens Monasterio M. Oliueti, eò aduolauit, amicis contra suadentibus, ne periclitetur. Iter non frustra susceptum. Literas obtinet à ducibus vtriusque exercitus, ne quis in Monasterio, siue in eius locis, prædijsque hostiliter deprædari, & rusticos vexare audeat. Ita, commendante Carcano, nullum fermè detrimentum illatum est. Petijt inde Perusiam, vbi cum accepisset Monachos Montis Olìueti certam singulis quibusque mensibus pecuniam cogi numerare militibus, redire constituit. Dat sese viæ per Thrasymenum, & montes Cortonenses, vbi vix è turma equitum declinat, quibus Clusium iter est, præda onustis. Consistit Arretij, dum certus nuncius aduenit, sumptum, onusque illud minimè tolerandum Montoliueto sublatum. Quare lętus Aedem Lauretanam inuisit. Inde, Comitijs appropinquantibus, Romam proficiscitur, vt mitiget Pontificem nobis vehementer iratum nonnullis laxiorem vitæ rationem agitantibus. Mitigat adeo, vt in posterum nostram pariter

Ex diplomate Pontificio Bononia congregantur.

1554

D. Io. Ambr. Carcanus Abbas Generalis LXXVII.

Augentur Oliuetani Monasterijs Laudensi & Chiuatensi.

Pietas Ambrosii Carcani Abb. Generalis in leuãdis ære alieno monasterijs.

Multa patimur in bello Senensi.

pariter cum cæteris alijs familiam adamauerit. Anno insequente 1556. 1556
III. Cal. Maias Bononiæ Resp. Oliuetana datur D. Placido Neapoli- *D. Placi-*
tano, quo de omnia conticescunt. Proximus Placido succedit itidem *dus Nea-*
Bononiæ propter bellum Senense D. Iulius Cæsar Grassius Bononiensis *pol. Abb.*
anno 1558. Cal, Maijs. Collegium re vera in Bentiuolium propende- *Generalis* *LXXVIII*
bat, qui animo temperans, plenus ætatis, non bene valens, detrectata 1558
Prouincia, omnes Bononienses accersiuit, de sua voluntate admonuit, *D. Iulius*
ad quam accommodant sese vniuersi, vt Iulius Cæsar efferatur ætate in- *Cæsar Gras-*
tegra, aiebat Bentiuolius, laboribus itinerum opportunus, reique publi- *sius Bon.*
cæ amantissimus, quod Romæ, dum negocia Oliuetana administrauit, *Abb. Gen.*
compertissimum accidit, & honestissimo, eodemque felicissimo tunc *LXXIX.*
temporis loco natus, cum duos fratres haberet, alterum Episcopum, al- *Eius Dotes*
terum vero Cardinalem. His itaque dotibus, & ornamentis illustrem, *& ornamē-*
non modo Bononienses, sed etiam cæteri omnes cuiuscunque Prouin- *ta.*
ciæ Antistites, Monachique fausta acclamatione Principem Abbatem
pronunciant. Nihilominus intercessores non desideras, ætatem incu-
santes, sextum & trigesimum annum agentis, Placidus & Bentiuolius
intercessiones tollunt, & sapienter ostendunt, Grassium ætate quidem,
non ingenio, non maturiore consilio carere. Etiamnum fama tradit,
publicæ dignitatis, libertatisque accerrimum fuisse propugnaculum.
Anno primo certissimè affertur Paulum IV. Pontif. max. nouas emissu-
ram, & asperas, & non facilè tolerabiles Constitutiones, siue Reforma-
tiones à Matthæo Auersano, & sectatoribus instructas, & Pontifici, Pa- *Struuntur*
tribusque purpuratis callidè propositas magno cum dedecore Congre- *insidia Cō-*
gationis, quæ per illas ita subijciebatur, ac prosternebatur, ac si tota ad *gregatio-*
statum Commendationis prolapsa esset. Grassius in obeunda Etruria *nis.*
à Protectore Dandino admonitus Romam celeriter contendit. Hic to-
to animo ad propugnationem sese contulit miseræ, iam obtritæ, & op-
pressę Cōgregationis. Cardinalis longiùs cum Pontifice differit, & qua
opus est contentione demonstrat, nouis illis nos sanctionibus non ege-
re, vt falsò obtrectatores exposuerant, & maleuoli, proinde ne cum non
oporteat tam graue iugum Oliuetanis imponat, Antistitem nostrum
cum sapientissimis viris Constitutiones editurum, quibus, quæ tunc co- *Opera Car-*
lebatur à nemine, aliquam meliorem, vitæ formam inueheret. Et profe- *dinalis Pro-*
ctò ita egit, vt de pristina libertate familia nostra nihil amiserit. Nouas *tectoris nul-*
illas Constitutiones se prolaturum pollicetur, quod & anno consequē- *la sunt.*
te præstitit, Protector nullas per suffragia, idque Cardinalibus per quā
studiosis auctoribus, enuncians, vt ab hæretica labe polluto composi-
tas, Anuersanas. Ita Deo propitio, Virgine Deipara Ordinis huius
institutricis, & Præside, quod firmissimè creditur, deprecante in suo pri-
stino decore, statuque persistit. Anno secundo cum Cardinale Pontifex
decedit. Abbas Generalis cum collegio Visitatorum Bononiæ sedebat.
Perlata morte Pontificis accipit à Collegis III. Cal. Septembris anno
1559. Literas, vt loquimur, procuratorias, quibus pro arbitrio Cardina-
lem

Guidus Ascani' Cardin. Sfortia Protector Oliuetanorum.

lem Protectorem eligeret, peteretque à renunciato Pontifice. Publicat autem, qui Romæ familiam protegat Guidum Ascanium Cardinalem Sfortiam Sanctaflorium Monachis lætitia exultantibus. Quatuor menses abeunt, cum Pius IV. in sede Pontificia collocatur, qui, insciente siue non appellato Grassio Protectionem Oliuetanam tradit Alphonso Cardinali Caraffæ. Iulius Cęsar ratus eà in re suam, & Congregationis dignitatem maximè periclitari, protinus ad Vrbem vadit fretus auspicio, & præsidio multorum Cardinalium, & præcipuè Fratris Episcopi Vulsiniensis, & Romæ Gubernatoris. Pontificem obnixè rogat, ne quid deroget antiquo Priuilegio suę Congregationis toties, aiebat, vsurpato, quo Cardinalis Protectoris libera potestas eligendi, quem deinde ipse approbet, firmetque. Animum in Pontifice deprehendit non satis procliuē, sed potius in constituto perstantem. Attamen tantùm effecit, vt voto suo defunctus sit, habueritque Sfortiam protectorem hoc dato diplomate, quod cum posteris iucunditatem aliquam allaturum esse videatur, habes integrum.

Pij IIII. Diploma de Card. Protectore ab Oliuetanis sibi liberè deligendo.

Dilectis filijs Iulio Cæsari de Grassis Bononiensi Abbati Generali, & modernis Visitatoribus Congregationis Montis Olíueti Ordinis S. Benedicti. Pius Papa Quartus. Dilecti filij salutem, & Apostolicam bened. Exponi nobis nuper fecistis, quod cum prædecessores vestri, & vos ab immemorabili tempore citra, pro pacifico statu ac salubri, & felici regimine vestræ Congregationis, nec non iurium vestrorum conseruatione, & defensione Protectorem vobis in Romana Curia vestra propria, & libera voluntate eligere consueueritis adeo quòd cum F. recordationis Iulij PP. q. prædecessoris nostri in concursu nonnullorum S. R. E. Cardinalium absque scientia, & consensu ipsius Congregationis huiusmodi protectio ab ipso Iulio prædecessore...... Idem Iulius prædecessor cupiens, pro vt iustum erat, omnibus indifferenter iustitiam ministrare, exclusis omnibus alijs concurrentibus illum dictæ Congregationis Protectorem confirmauit quem ipsa Congregatio ex antiquo more vestræ Religionis elegerat, & tandem vos in possessione eligendi Protectorem huiusmodi pacifica, & quieta, vt præfertur existentes, postquàm alias b.m. Marcellus Cardinalis de Crescentijs nuncupatus vester tunc Protector ab humanis discesserat, & in vestrum Protectorem etiam bo. mem. Hieronymum Cardinalem Dandinum tunc in humanis agentem elegeratis, seu ipsi vestri prædecessores elegerant. Tandem cum postmodum ipse Hieronymus Cardinalis ab hac luce migrasset, vos totam ipsam Congregationem repræsentantes vnanimiter dilectum filium nostrum Guidonem Ascanium S. Mariæ in via lata Diaconum Cardinalem de Sancta Flora nuncupatum eiusdem S. R. E. Camerarium in vestrum Protectorem in dicta Curia elegistis, constituistis, & deputastis, prout in publico instrumento pleniùs dicitur contineri. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt electioni, constitutioni & deputationi huiusmodi pro earum subsistentia firmiori; nostræ, & Sedis Apostolicæ firmitatis robur adijcere, alijsq. vobis in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati electionem, constitutionem, & deputa-

deputationem prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illisque perpetuæ firmitatis robur adijcimus supplentes omnes, & singulos tam iuris, quàm facti, ac quarumcumque tam substantialium, quàm accidentalium, & aliarum solemnitatum defectus, si qui forsitan interuenerint in eisdem. Ac decernentes præsentes literas, & in eis contenta quæcumq. plenum effectum sortiri, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari debere. Non obstantibus Apostolicis, ac Prouincialibus, & Synodalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis. Quodque forsan super dicto Protectoriatus officio apud nos aliqua instantia per aliquem, seu aliquos etiam forsan S.R.E. Cardinales facta fuerit, & à nobis forsan aliquas literas obtinuerit, quorum omnium, & quarumcunque scripturarum occasione præmissarum quomodolibet confectarum tenores pro sufficienter expressis & insertis haberi, & exprimi, & de verbo ad verbum inseri posse decernimus quibusque specialiter, & expresse hac vice derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 23. Febr. 1560. Pont. nostri. Anno Primo.

Hier. Gadicen.

A. Calorius.

Constitutiones in lucē eduntur.

GRassius postea cum Collegis nouas constitutiones, vt Cardinali 1560
Dandino fidem dederat, composuit. Cum tempus adest, Comitia *D Io. Frā-*
in Monte Oliueto habentur, armis in illa regione depositis, & 3. Non. *cisc⁹ Flor.*
Maias anni 1560. præficitur Oliuetanis D. Io. Franciscus Florentinus, *cognomēto*
cognomento Croceus. Prædictæ Constitutiones proponuntur, & *Croce⁹ Ab.*
multis obiectis, Grassius tandem impetrat, vt accipiantur, comproben- *Generalis. LXXX.*
tur, & Bononiæ, quod videre est, imprimantur. Statutum in primis, vt 1562
7. Id. Octobres anniuersarium sanctissimæ Triadi magnificè sacrum ce- *D. Aug. Li-*
lebretur in Cœnobijs, vt debito gratiarum officio perfungamur de liber- *gnanius*
tate Oliuetana, Deo, superisque bene iuuantibus, seruata, ac retenta. *Med. Abb. Generalis.*
Deinde carmine gratulatorio, quòd vulgò, Te Deum laudamus, templa *LXXXI.*
personent, esse beneficium nulla vnquam obliuione delendum. Io. Fran- 1564
cisco sufficitur anno 1562. D. Augustinus Lignanius Mediolanensis. *D. Barna-*
Fama adhuc superstes, hominem fuisse præclaro ingenio, moribusque *bas Perus.*
suauissimis. Ferunt, imperante Lignanio Protectoris auctoritatem ex- *Abb. Gen.*
creuisse, ampliorem factam. Lignanio substituitur anno 1564. D. Bar- *LXXXII*
nabas Perusinus vir grauitate vultus, integritate morum, & cognitione *Nouæ Con-*
rerum præcipuus. Eo summo gerente Abbatiatum nouæ Constitutio- *stitutionis.* 1566
nes typis excuduntur, quæ hodie in manibus omniū. Tertio Non. Maias. *D. Hyppo-*
anno 1566. Rempublicam Montoliuetensem capessit D. Hippolytus *lytus Cal-*
Calzius Patauinus humanis, diuinisque literis eruditissimus. Summa *zius Pat.*
prudentia, & dexteritate sanctissimum Pontificem Pium V. delenijt se- *Abb. Gen. LXXXIII*
mel atque iterum nobis grauiter succensum propter duo indignè admis- *Io. Bapt. Ci-*
sa, vnum Gaiffæ, Aquilæ alterum. Maximopere opitulatur Io. Baptista *cadius Car-*
O Cardi- *din. Prot.*

Cardinalis Cicadius Protector. Datur magnæ laudi Lignanium non immeritò depressisse, vt Congregatio exoptata pace frueretur. Vixit Hippolytus nemini secundus in moderãdis affectionibus, in accipiendis perbenignè consodalibus. Fuit illi satis diuturna cum Stephano Rege Poloniæ, alijsque Italiæ proceribus amicitia. Nostri non modo, sed etiam exteri, velut speculum probitatis admirantur, & reuerentur. Multa cum venustate restituit, cum disciplinæ Mathematicæ peritissimus sit, patrium Monasterium S. Benedicti de Patauio, pecunijs, quæ ex munere superfuerint, eò collatis. Post Hippolytum amplissimam inter Oliuetanos prouinciam adipiscitur 7. Id. Maias 1568. D. Cyprianus Rosius Neapolitanus. In secundo regiminis anno versabatur, cum, Cardinale Cicadio Protectore è viuis ablato, Pontifex dat eius loco, nescio, vtrum à nobis delectum, propositum, ac petitum pro iure antiquo, quo de supra diximus, Antonium Cardinalem Caraffam. Hic primus cœpit non solum protegere sed etiam regere Congregationem; fuit in miro desiderio, vt pristina redderetur disciplinæ obseruatio; instituit, vel certè amplificauit studia literarum. A Cypriano Generalatum ascendit anno 1570. 16. Cal. Maij D. Prothasius Canthurius Mediolanensis, quo imperante statuitur, vt Abbas Generalis crecturin quadriennium. Id primùm obseruatur in D. Io. Francisco Perusino, qui rei Oliuetanæ præpositus est anno 1572. V. Cal. Maij. In his Comitijs aliæ Constitutiones promulgantur, quibus malæ cõsuetudines eluuntur, iubẽte Protectore, qui, vt iam dictum est, primus supra cęteros, quos superiores ætates dedere Protectores nostra agitare cœpit, & Abbati maximo non minimum subducere potestatis. Sex in posterum, non octo Visitatores declarantur. Literis eiusdem Cardinalis prohibetur, vt iam multæ impensæ, quod aiunt, euitentur, ne quis præter Abbates, aliò commigret, idque seruatum est. Anno tertio, cum prudentissimi viri varietate temporum alia angustijs oppressa; alia verò opibus aucta Monasteria non rarò perspicerent, & ideo Romanas, aliasque externas pecuniæ erogationes annuas nullo consilio distributas, monitos voluerunt Io. Franciscum, & Collegas, vt per Arithmeticos eximios fideliter ac diligenter excipiat calculos accepti, expensique in quolibet Monasterio. Leguntur, illatis vrnæ suffragijs, exceptores tres Abbates, D. Laurentius Perusinus, D. Laurentius Bononiensis, & D. Io. Maria Neapolitanus. Hi, vniuersa obita Congregatione, taxationem, & regulam quandam protulerunt, qua vtendum esset, quoties pecuniæ publica aliqua collatio imponeretur. Elapso quadriennio, plerique ad Comitia in Monte Olìueto conuenerant, cum Magnus Dux Etruriæ metu pestilentiæ grauiter, precipuè Venetijs, Patauij, & alibi in Italia grassantis obstitit, ne in sua ditione fierent. Ideo Protectoris, sociorumque primariorum hortatu Perusiam transtulit, & quia tempus instabat, à Pontifice impetratum est, vt protraherentur ad quartam post Pascha diem Dominicam. Rebus igitur necessarijs celeriter apparatis, socijsque vix congregatis: Decemuiri, qui princeps est in Republi-

1568 D. Cyprianus Rosius Neap. Ab. Generalis LXXXIV. Ant. Card. Caraffa Protector.

1570 D. Prothasius Canthur. Med. Abb. Gen. LXXXV. Generalatus in quadriennium demandatur.

D. Io. Frãc. Perus. Ab. Generalis. LXXXVI 1572 Sex tantũ Visitatores posthac eliguntur. Abbates ad calculos Monasteriorum subducendos declarantur.

Comitia Generalia habita Perusiæ.

publica Perusina Magistratus, quamuis cętum in Montemorcinio Comitialem comiter admiserint, attamen eiusdem pestilentiæ suspicione perculsi mittunt, qui Abbatem Generalem, cęterosque socios moneant, vt Comitia quàmprimùm dimittant. Biduum vix obtinetur. Die Dominica 13 Cal. Maias anno 1576. bene mane summa rerum Oliuetanarum D. Augustino Boroniensi annos nato nouem & quinquaginta, paucis ante mensibus Abbati Romæ creato concreditur in quadriennium, vt postremo scitum est, quemadmodum Proabbatiatus Generalis, Visitatoratus, aliique Magistratus. Postera die cum omnia, instante ciuitate, maturarentur, omnes dimissi præter eos, qui in priuatis subsellijs, siue in Banchetto assidere soleant, aliosque perpaucos, qui reliqua conficiant. Breuitas temporis, siue quiduis aliud Antistite Collegas, & alios assessores adducit, vt in his Comitijs decernant, singulos Abbates posse in posterum absque summo imperio, quod eousque factum fuerat, Æditũum, Ianitorem, Coquum, aliosque minimos præfectos infra Magistrum, cuius gradus tum inter maiores vltimus, eratque minor, quam Oeconomi, siue Cellerarij, eligere. Voluit Augustinus, ex omnibus Tabularijs, maxime Montemorciniensi, Priuilegia congeri nobis à Pontificibus attributa. Quæ ab Eugenio IV. Cassinensibus data sunt, simul excepit. Omnia optimè digesta, ac probata vsus opera D. Placidi Fabij ciuis, Bononiæ typis mandauit. Item studio D. Petronij Bononiensis Breuiaria, vt loquimur, Oliuetana in meliorem formam redacta, magno tamen ære protulit. Multum operæ locauit in promouendis studijs literarum. Qua fuit mansuetudine, prudentia, & integritate, conciliauit omnium toto quadriennio beneuolentiam. Comitijs itidem Perusiæ in Monte Morcinio celebratis anno 1580. VIII. Cal. Maij magno Duce, Italis adhuc lue pestifera conflictatis, in Monte Oliueto prohibente, rerum inter Oliuetanos potitur D. Pius Nutus Senensis in triẽnium, licet postea statutum sit, in quadriennium. Quam grata acciderint, quamque honorifica hæc secũda Perusiæ habita Comitia Decemuiris, quas ad Antonium Cardinalem Caraffam Protectorem, vt supra, Oliuetanum literas dederunt, non dubiè testatum faciunt. Vt & ciuibus, & sodalibus morem geram, hæ sunt, in Autographo quidem Italicè, hic tamẽ Latinè, quò decentiùs, & ornatiùs appareant, conscriptæ.

Illustrissime, & Reuerendissime Domine. Beneficium, quod à Gregorio XIII. Pont. Opt. Max. Princeps Illustrissime, Reuer. Monachis Montoliuetensibus impetrasti, fuit Reipublicæ nostræ gratissimum. Lætamur, & voluptate, quam te hinc haurire didicimus, & dignitate Montis Morcinij, & commoditate Monachorum, quibus cum ad beneficentiam erga illos exercendam satis ex naturâ propendeamus, dabimus eò libentius operam, quod de obsequio Dei, de custodia sacrarum legum, quæ Oliuetanis tuendæ sunt, deque eo, quod ex miti, pioque tuo patrocinio proficiscitur. Spes autem certissima est, & ope tua, & studio nostro futurum, vt absque publicæ valetudinis periculo Comitia feliciter peragantur. Deus faxit, vt ita sit, tuque omni felicitate cumu-

[Margin notes:]
1576
D. Aug. Boroniensis Abb. Generalis. LXXXVII.
Priuilegia Monachorum in lucem eduntur.
1580
D. Pius Nutus Senensis Abb. Gen. LXXXVIII.
Litteræ decemuirorũ Perusin. ad Cardinalem Caraff. Protect.

leris. Manus veneranter exosculamur. Perusiæ V. Calendas Aprilis 1583. *Illustrissimæ, & Reuerendissimæ Dominationis tuæ; Obsequentissimi, & studiosissimi Decemuiri Perusini.* Pius anno primo, vrgentibus alijs, Constitutiones emendat; nunquam tamen euulgantur, neque ego vidi. Cardinalis sæpius ostenderat, se peroptare summa in aliquo Monasterio disciplinæ seueritatem, & aliquem è nostris bono spiritu primum in id secedere Monasterium, quod ipse constituisset. Fecerat huius consilij participem, & conscium D. Michaelem Angelum Perusinum Procuratorem Generalem bonitate, ac virtute florentissimum, vt dicemus alibi. Is ad Comitia Autumnalia Montoliuetum profectus de animo Protectoris secretò disseruit cum Proabbate Generali D. Angelo Cremonense, & primum sese obtulit Monasticæ disciplinæ retinendæ auctorem. Ideo per speciem sacra illa loca venerandi, & inuisendi Romam sese confert, eaque de re cum Protectore sermonem habet. Statuūt huic asperiori vitæ colendæ Monasterium Trebiense aptissimum esse, & Angelum decem certè socios primò paraturum. Durius accipit Michael Angelus Monasterium Perusinum cedēdum Reformatoribus. Attamen ferendum, cum ad id negocij, & ipse studium, operamque sollicitus sit. Proabbas Generalis cum literis ex Vrbe discedit, quibus ea ipsi tribuitur facultas vt enocet, & vndecunq. remoueat denos Monachos, & cum ipsis Trebium sese moueat. Hæc omnia latebant Abb. Generalem in circumuisenda Congregatione occupatum. Nec poterat (ita tradunt) si uoluisset, repetere Montem Oliuetū, tot, tantisque niuibus montes Scaricalasinenses erant oppleti. Saltem puto admonitum: nam Angelus Monte Oliueto digressurus, relicto, qui Monasterium administret Tyronum magistro, epistolam dedit ad Piū Generalem obsignatam, in qua de suo discessu, consilioque certiorem faciebat, Roma datis ad illos, quos ipse sciebat in eadem esse sententia, literis, rem iam transactam, seque illos expectare, Trebium petit. D. Laurentius Perusinus Abbas Cœnobio Trebiense, quod moderabatur, ęgerrimè cessit, cum instituta iam speciosæ Turris Campanariæ ędificatio nondum perfecta esset. E socijs pauciores adueniunt. Nouerant fortè fortuna reliqui, huius piæ, ac religiosæ secessionis Abbatem Generalem non esse participem, qui fortasse literis dissuadet, siue apertè prohibet, ne quò sese moueant. Liberant complures promissa, quod Trebium, cū viæ Romanæ immineat, ac domicilijs laicorum propius absit, sacra fidelibus procuret, non censeatur idoneum, opportunius instituto Saxonium. Consilium Angelo probatur, & sodalibus. De illo Cardinalis edocetur. Romæ autem rescriptum est, vt modo acquiescant, vtrumq. cum tempore habituros. Re cognita, Michael Angelus maximè succensēt, Perusina duo Monasteria interturbāda, posse quidem Proabbatem in Insubria sua idonea Cœnobia reperire, & præcipuè Desertanum, saluo iure aliorum. Pius verò queritur multo grauius cum Protectore, quòd se insciente, tanta res constituta sit, & cum Michaele Angelo, qui

Agitur de Reformatione.

præ-

præclaro artificio, firmata cum Cardinale amicitia, Pio coniungitur. Proabbas, non apparentibus, quos venturos crediderat, & expectabat; accipit à Cardinale potestatem, vt, si quis adeat è Laicis colendæ Religionis auidus, Monasticis vestibus induat. Ab eodem Cardinale mittitur Oeconomus D. Ludouicus Bononiensis, ita quidem, vt cũ illis nihil habeat commercij, sed tantùm tractet annua vectigalia, & pro legibus necessaria cõparet, ne exedram ad suffragium ferendum ingrediatur, ne qua in re sese interponat. Inde Angelus Proabbatiatum deposuit, datus est D. Hieronymo Cremonensi, vulgò, Campaneolæ. Tenet interea locum professionis, D. Iulio Cæsare Florentino primum habente. Non multo post in Exedra conueniunt, vt sibi aliquem præficiant. Angelum Abbatem renunciant, eique obedientiam profitentur. Fertur id à Pio permolestè, & cogitat de mittendo Trebium Visitatore, & Abbate seueriùs castigando. Abstinet tamen causa Cardinalis, qui ne quid offensionis habeat omnes Visitatores rem Trebiensem declinant. Allegat demũ Abbatem, siue Visitatorem, qui omni potestate vtatur pro meritoq; & officio non exceptus honorificè. Socij Trebienses aduenietem, quo mos est in alijs Monasterijs Antistites honore, & obsequio prosequuntur, eoque maiori, quo grauior auctoritas. Testantur, nunquam fuisse in animo à Congregatione diuelli, sed cum cæteris Oliuetanis sub eodẽ Præside maximo esse velle. Pius hac testatione paulo mitior factus, quo potuit ęquo animo rem sustinet, dum post Comitia Vere habita, in quib. quod spectat ad Trebiense Cœnobium Angelus in Abbatiatu cõfirmatur: Romam concedit, cum causa Trebiensi, tum ut rem claudat de coniunctione, quæ illa memoria agitabatur Monachorum Corpochristianorum S. Mariæ in Campis de Fulgineo nobiscum habenda. Cum Protectore congressus grauiter conqueritur, factam in Congregatione discessionem, se nesciente. Abbas Generalis velit nolit cogitur acquiescere, vel rationibus allatis, vel potius summa in Ordinem nostrum potestate à Cardinale adhibita, quòd familia Trebiensis nuper instituta sit, à Cardinale potissimum curetur, adeo, vt quamuis ad Congregationem pertineat, demigratio Monachorum nulla fiat, ipso ignorante. Pius diplomate à Pontifice impetrato Roma proficiscitur, vt S. Mariæ in Campis iura vsurpet. Trebij hilarè excipitur, vt solent vbique principes Antistites. Angelus Abbas se culpa liberare nititur, sed à Pio non facilè auditur. Monachis in Exedra conuocatis magna cum acerbitate loquitur. Tandem eum sibi maximo cum imperio præsidere confessos admonet, vt summo, quo tenentur omnes iure Monastico viuant, nihil tamen ab eius ditione moueantur, & nusquam demigrent. His omnib. scripto cõfirmatis ad S. Mariæ in Campis progreditur. Trebienses valdè commouentur, intelligentes non ea, qua debent ratione gubernari. Itaque alij alia domicilia, & Monasteria postulare. Respondetur omnibus Cardinalem exorandum. Annuitur alijs, alijs abnuitur. Ita Reformati (ita communiori uoce loquar) sensim deficiunt, redit ad Perusinos

Congregatio Corporis Christi nostræ adiungitur.

liberum,

liberum, vt antea Monasterium, & Congregatio ad vnam tantummodo disciplinam reuertitur, quam post annum à primordio, & origine trecentesimum, nulla vnquam, nisi, eaque breuiore intercisione perturbatam, Deo propitio retinet, seruatq; gloriabunda. Sub hæc tépora, actum est de Montevirgineis, & Montoliuetésib. sub uno eodéq. signo côiungédis. Mouebat Monteuirgineos, & nominis, quod à Monte desumitur & habitus, qui in vtrisq. cãdicat, & disciplinę, quæ maximè côuenit, aliqua similitudo. Assentiebãtur Montoliuetéses, vt sua Cógregatio ad pietatis, & religionis incrementũ cõplura Cœnobia assequeretur. Cardinalis Protector non refragabatur, cũ sibi duceret honori, dignitatiq; auctam sub eius auspicio, ac præsidio rem Oliuetanam Cœnobijs Montevirgineis. Vt res non infeliciter proueniret, multa petierunt Montevirginei, quæ ab eorum maximo Cœnobiarcha cum D. Alexandro Architota, de quo alio loco narrabitur, nondum Abbate Oliuetano vniuersam Congregationem referente communicata sunt, præmissa conditione, si Protectoribus, Rectoribusque vtriusque Congregationis ita visum fuerit. Hęc auté petita à Montevirgineis; Primùm, vt in eodem Orbe duo hæc signa effingantur, Montoliuetense, & Montevirgineum pro appellatione cuiuslibet Monasterij, cum inscriptione, Vnio Montis Olіueti, & Montis Virginis. Deinde, vt in signo Congregationis ita coniunctæ circa Montem Oliuetum scribatur, Congregatio Montis Olіueti, & Virginis; Tertiò, Vt in præcipuo Monasterio Montis Virginis, quod à S. Gulielmo Congregationis Montevirgineę caput institutum est, viri minimùm octoginta alãtur, quorum alij Sacerdotes, alij Clerici, alij Oblati, cum ferè centum, & plures alere consueuerit. Quartò, vt in eodem Monasterio carnes nunquam, nunquam lactaria permittantur ex inueterata consuetudine, ne quid finitimis, locoque Religionis depereat. Quintò, vt sodales appellentur. Congregationis Montis Olіueti, & Montis Virginis, & summus Antistes, qui pro tempore præsit, ita subscribat. Ego N. Generalis Congregationis Montis Olіueti, & Virginis; Sextò, vt in Breuiarijs, quod de hac Coniunctione dabitur à Pontifice Diploma perpetuo monimento imprimatur, & in fastis, siue Calendario Sancti eiusdem Congregationis cum vita, & officio. Septimò, vt Breuiario titulus ille præfigatur, Breuiarium Montis Olіueti, & Montis Virginis. Octauò, vt Monasteria Monteuirginea, quæ septem, & quinquaginta numerantur, ad Cœnobia reuocentur regulariter, vt aiunt, obseruantia, & in quibus singulorum duodecim sodales immorentur Odæo operam nauantes, si prouentus minimè sufficiant, plura Monasteria vnum faciant; Ex obseruantibus censeatur potissimum Monasterium Montis Virginis de Neapoli. Nonò, vt omnes eiusdem Congregationis Monachi, in eo, quem obtinent loco, gradu q. professionis permaneant, & ad honores, dignitatesque aditum habeant. His auditis Mõtoliuetenses pedem referunt, Coniunctionem auersantur, cum nimis absurda, & nobis indecora postulauerint. Nostra repetamus. Anno 1584. X. Cal. Maias traditur administri-

Congregatio Oliuetana ab exordio semper vna. Congregatio Montevirginea vult cum Oliuetana coniungi.

1584

mini-

ministratio familiæ Oliuetanæ D. Marco Capitargerano apud Venetos Abbati. Concitatam expectationem non sustinuit. Cum enim rationem imperandi leuiter teneret, multa pro libidine præstitit, quæ hominem minus gratum, & sub inuisum effecerunt, non modò Protectori, sed etiam omnibus ferè sodalibus. Quare Cardinalis, vrgente (aiunt) Perusino (ita posthac Michaelem Angelum nominabimus, vt illa, & hac etiam, præcipuè a senioribus, memoria vocatur) a Sixto V. diploma impetrauit, quo Generalatus ex quadriennio ad triennium reuocaretur, & in Marco primū vsurparetur, cuius imperio annus detractus est, & anno 1587. XIII. cal. Maias Comitia Generalia substituerūt D. Io. Baptistam Anuersanum septuagenarium. Vergente triennio Mediolani VII. Cal. Iulias quo die, quaue hora in lucem prodijt, exijt, imperiumque suscepit, D. Clemens Cattaneus Proabbas Generalis. Iam in M. Oliueto coitum erat anno 1590. à Monachis ad Præsidem primarium eligendum, & pro Constitutionibus ex Insubria assumendum. Ferebat Cardinalis voluntas, quod sæpe è nostris monuerat, vt D. Gaspar Laudēsis, literis, moribusq. spectatissimus principem inter Oliuetanos dignitatis locum obtineret, salua tamen voluntate Monachorum. Perusinus, qui cum Romæ decem niū fuisset Abbas, & Procurator Aloysio Cardinali Estensi, cui erat a Confessionibus, maximè charus, & acceptus, & multos ante annos in Cōgregatione plurimùm auctoritate valuisset, asseclas complures habebat, D. Angelum Cremonensem præoptabat, Præsides, vt gratiam à Cardinale inirent, animum adijcere Gaspari. Obstare præsertim Perusino Mediolanēses, qui cum viribus præcellerent, omnem conatum, operamq. adhibere, vt Abbas Generalis ex ipsis eligeretur. Qui Gasparem prouehebant, Perusinum nimiùm posse, neque quicquam ad Gasparem spectare animaduertentes, adhærere Mediolanensibus, egeruntque, vt omnibus præponeretur Clemens Restins vir bonus, grauis, & sapiens, sed submorosus, & subacerbus. Tertia igitur die Dominica III. id. Maias anno 1590. oratione, more nostro, a D. Placido Carosio Perusino habita, suetisq; ritibus peractis, compertum est, è centum quinque & quadraginta suffragijs, duo & septuaginta ad Angelum, totidem ad Clementem, vnum ad Gasparem pertinere. Scrutatores ea in re hæsitantes testantur omnibus cōgregatis, in aliqua de suffragijs difficultate versari, propterea, si placeat, Visitatores accedant. Publicè, magna quidem admurmuratione, assentitur de accessu Visitatorum. Verum his, atque illis, quid consilij ignorantibus. Conseruator accersitur Scipio Bandinus. Putat, & iure communi, & consuetudine ipsa edocente, alterum ineundum esse scrutinium. Visitator autem intercedit, ne nimiùm festinetur, Constitutiones, & Priuilegia nostra cognoscenda. Proferuntur; alij aliter interpretantur. Conseruator ipse ne cōsiderato quidem diplomate, quod nos aureum dicimus, & in Constitutionibus adducitur (edidit autem Paulus III.) quo ratio præscribitur, qua Abbas Generalis declaretur, & suffragia æqualia componantur, ac si nullus dubitationis locus sit, suadet pronunciationē Antistitis.

D. Marc. Capitarg. Ab. Gen. LXXXIX

Abb. Generalis postbac è trienno imperanto.

1587

D. Io. B. Anuersanus Abb. Generalis. LXXXX.

1590

Turonienta Comitia.

Diploma aureū de primo Abbate eligendo.

ſtitis. D.Pius Senenſis, qui primo inter Scrutatores loco vtebatur, Angelum Cremonenſem Reſtio in profeſſione ſuperiorem Rectorem maximũ promulgat. Statim ab omnibus ritè ſalutatur, quamuis interea Reſtius cum Mediolanenſibus ſæpius denunciet nullam Electionem, Angelum nullo pacto verum, ac legitimum Abbatem Generalem, cum, quòd aureum diploma ſeruatum non ſit, tum quòd aliæ nationes id manifeſtò comprobent. Iam factio Peruſini duos è ſocijs dimiſerat, qui Protectorem, immo Pontificem certiorem faciant. Idem Reſtius, idem D. Barnabas Riccobonus Rhodiginus Procurator Generalis faciunt. Omnes commutatis ad celeritatem equis vtuntur. Sed, qui iter prius inſtituerunt, in via, vel cauſa quietis, vel alio quopiam negocio immoratos alij anteuertunt, eorumq. rationes ſatis infirmant. Cardinalis his cognitis, Pontificem adijt, qui, cum ille eo ſcilicet tempore ad Aquas Lucenſes profectionem compararet, iuſſit quamprimùm ad ſedandos tumultus petere Montem Oliuetum, ampliſſimo dato diplomate, quod cognitu non neceſſarium non adſcribo. Illo accepto mittit continuò nuncium ad primũ Viſitatorem (is princeps in M. Oliueto, ſummo vacante Abbatiatu) vt, qui in illis motibus exierint, omnes eò reuocet Cardinalis ex Vrbe decedit poſtridie idus Maias. Ex itinere Angelum Abb. Generalem Romam euntem cum comitibus pedem referre iubet. XIV. Cal. Iunias Protectoris aduentus in Monte Oliueto auditur. Quàm magnificentiſſimè excipitur. Die ſubſequente, datum a Pontifice diploma recitatur. Deinde mandatur, vt coram Clemente Cattaneo, & alio Abbate ſcriba Pongregationis, Scrutatores, duos Viſitatores Etruſcum, & Neapolitanum (cauſam infra ſubijciemus) Cõſeruatorem, & quos aporteat interrogẽt, eorumque cauſæ accipiantur. Quod euenerit omnes liberè atteſtantur, credere ſe cum nihil à legibus receſſerint benefacta omnia, ſuadente in primis Conſeruatore. Attamen iureconſultis ea ſententia eſt, Angelum verum Antiſtitem Generalem non habendum. Primum, quod ad aureum diploma non confugerint, hæſerint autem Conſtitutionibus, quibus illo derogatur, neque enim eſſe Monachorum Conſtitutiones pro arbitrio interpretari. Deinde, quod ſuffragia Angelo delata id, quod Diplomate comprehenditur, mediam partem non expreſſerint. Præterea, quòd Angelus pro ſeipſo ſuffragium tulerit, idque certiſſimum ſit, cum, & non veroſimile videatur, pro Reſtio aduerſario ſuffragatum, & ſcrutatores fidem fecerint ſchedulã pro Gaſpare latam Reſtij manu ſcriptam, Angelum ipſum priuatim indicaſſe Cardinali, à quo cenſente Conſeruatore Anathematis pœna obſtrictum, Eccleſiæ reſtituitur indicto ea de re ſilentio. Illa quoq; ratio pugnat contra Angelum, quia duo, quos prędiximus Viſitatores Monaſterijs non præſidẽtes ſuffragati ſunt, vt Viſitatores, non vt Abbates, quod plerique ſuſtinuerunt, fieri neque poſſe, neque debere, neceſſariò Viſitatoratum in ſuffragio ferendo cum Abbatiatu requiri, licet multi meminiſſe dixerint, aliàs id non inſpectũ. Denique nulla Cremonenſis electio confirmatur ex eo, quod duo è toto

Antonius Card. Caraffa Protector ad M. Oliuetum.

Collegio,

Collegio, vel suffragij potestate priuati, sint tamen cum cæteris suffragati. Igitur Cardinales enunciat Angelum non iure euectum, alterum pro illo euehendum. Atque ita collatis centum & triginta suffragijs Gaspar Generalatus honore decoratur. Admiranda prorsus post tanta dissidia publica in Gasparem animorum coitio. Id totum assignamus, & tribuimus Deiparæ Oliuetanæ Congregationis Præsidi, & Patronæ. Hæc comitia Perusinum è tanta qua inter nos diutissime floruit auctoritate deijciunt, viuit autem ad vltimam vsq; rerum lineam splendidus, & illustris. Pro Michaele Ang. inter Perusinos non tanta quidem cum potestate, sed constantiore, & nunquam intercisa felicitate assurgit D. Laurentius, qui maxime fauerat Mediolanensibus, fitq; Proabbas Generalis. Annum agebat Gaspar septimum, & trigesimum morum integritate, & rerum cognitione nemini posthabendus. In contemplatione plurimum profecerat. In operibus Henrici Harphij, & B. Catarinæ Genuensis rebus gestis peruolutandis multus fuit; Hinc de cęlestibus sermones conferebat, nihil vnquam defatigatus magna sibi, & audientibus illata religione, & suauitate. Eorum omnium, qui in literis non modo, sed etiam in pietate cæteris antestabant incredibili propemodũ studio tenebatur, adeo vt si quæ etiam in Generalatu copia esset ad nudi pedes Franciscanos sæpius diuerteret totos dies in eorum consuetudine aliquando insumens. Sacris quotidie operabatur, quàm religiosissimè. De rerum sacrarum cultu, & animarum salute maximè sollicitus fuit. Insueta ieiunia non patientibus tenuissima corporis constitutione, & frequentissima lithiasi, consuetis tamen diebus exceptis nullo sæpius obsonio vtebatur, arido pane contentus. Sacras literas, Theologiam moralem, aliaque huius generis apud socios Villanouanos interpretatus est, & grauiter admodum plaudente sæpius auditorio dixit. De ritibus Monasticis, quos summa cum seueritate retinuit nihil est, quod proferamus. Tuniculæ, & interulæ laneæ, laneũ pariter stratum, carnium supra necessitatem vsus nullus, corporis cultus simplex, nullus cellæ ornatus, nullum omnino priuatum obsequium. Anteactæ verò vitæ genus non omisit ad Montoliuetense regimẽ euocatus. Adolescentium concionibus, concertationibus, & cæteris honestis occupationibus summopere delectatus est, vnde tantus tamque acutus ad studia stimulus accessit Oliuetanæ iuuentuti, vt mirus aliquando progressus apparuerit. Cœnobia circumuisens incredibile profectò quam charitatem, quem zelum prætulerit. Magnificè tamen, & supra modum excipi voluit, vt vitio, si quid vitij fuerit, darent aliqui. Eum quidem sese præstitit, quem temporis conditio postulabat, vt omnem iracundiæ flammam Oliuetanorum animis superiorum Comitiorum dissensione accensam restingueret. Abbatialem personam sex ac triginta Monachis toto triennio imposuit. Roncofreddi primo anno Abbatem, sociosque designauit. Prid. Id. Ian. Antonius Caraffa Cardinalis protector expirauit, & qui tunc temporis Pontificatum gerebat Gregorius XIV. Clemente Restio, qui propterea Romam contendit, Congregationis nomine

D. Gaspar Capiferreus Laudensis Ab. Gen. ralis. XCI.

Gasparis vita, mores, litera.

Instituitur Cœnobium Roncofreddi.

Paulus Camill. Sfondrat. Car. Protector.

petente octiduo post Paulum Camillum Sfondratum Nepotê in demortui locum subrogauit. De illo, vt septem, & viginti annorum spatio pro commendati Ordinis dignitate, & vtilitate se gesserit, de Generalibus, deque permultis, quæ eo tempore ceciderint, ex quibus pleraq. & hisce ipse oculis vidi, & proinde commodiùs, & clariùs perscriberem, multis iam spirantibus, de quibus verba necessariò facienda Historiam suspendere, & in aptiorem locum, si Deus ætatem dederit transferre constitui, nè, quod in eadem sententia. Hieronymus ait, in alterutram partem, aut adulatio in me reprehendatur, aut veritas. Nunc verò pro Cardinale Sfrondato mortalitate exuto anno scilicet 1618. mense Februario à Paulo V. Protectorem accipimus Scipionem Cardinalem Burghesium Nepotem, sub cuius auspicio æuum non secus atque in aureo illo sæculo tutissimum, ac fœlicissimum expectamus.

Scipio Cardinalis Burghes. protector.

Historiæ Oliuetanæ Libri Primi Finis.

HISTO-



HISTORIAE OLIVETANÆ.

D. SECVNDI LANCELLOTTI *Perusini Abbatis Oliuetani.*

LIBER SECVNDVS.

De Monasterio Senensi. I.



NOstræ Historiæ primo libro tradidimus, Monasterium S.Benedicti de Senis extra Regionem Tufiam à fundamentis per Bonauenturam Valcherinum virum è prima Senensium nobilitate, clarissimi, quod & Senis est, Xenodochij de Scala Rectorem excitatum, primum & B.Bernardo oblatum, & ab ipso sodalibus acceptum. *Cõditur à viro Nobile Senensi.* Hæc addo in præsens Eugenius IV. Senis agens anno Christi 1443. Senense Monasterium Abbatia Sanctæ Mariæ de Cicille, siue (quod vetustissima quædam habent monumenta) Sicille anxit in Senensi. *Abbatia Cicillis adiungitur.* Priscis autem temporibus hanc opulentiorem fuisse, eiusque iura latiùs, quàm in præsentia patuisse Consistoriale ab Alexandro III. Tybure datum Diploma Anno 1180. præclarè demonstrat, quo prꝫter alia rata habentur infrascripta. Ædes S.Petri in Petroio, S.Andreæ, S.Agathæ in Cicelano cum spectantibus, & quicquid Cicilli, Cicelani, aut Ciclani, Efeleti, Agelli, Petroij, Camprenæ, Vaiani, Tiliani possideret, certa auctoritate stabilitur. *Comitia Generalia celebrantur.* In hoc Monasterio Comitia Generalia semel habita anno reparatæ salutis 1384. cum in Monte Oliueto quorumdam Patrum interitus Pestis suspicionem non leuem excitasset. Ante sexagesimum, annum ardentibus Bello Senis, ferè solo prorsus æquatum, si templum excipias; *Diruitur bello Senensi, paulò post restituitur.*

itàque perstitit, dum D. Pius Nutius Senensis 1580. Abbas Generalis, inde Valetudinario de Scala Præfectus reparationem, & restitutionem aggressus in pristinam quasi speciem, ac splendorem reuocauit. Tabulam S. Catharinæ Senensis in Templo pluris æstimant in pictura doctissimi. Mecarinus pinxit. Suspiciunt ibi, & admirantur omnes tanquam insigne quid & illustre Odeum varietate operis prorsus admirabile per virum clarissimum F. Ioannem à Verona nostri Ordinis fabricatum. Sanctissimè Senenses supra cęteros gloriari possunt, cùm ex ipsis per B. Bernardum, sociosque, quod primo libro expositum est, nostra originem duxerit Congregatio. Breuiter hic docebimus, B. Bernardo excepto Senenses octo summum in Oliuetana Republica imperium sustinuisse, F. Patritium anno 1319. F. Ambrosium anno 1320. F. Simonem anno 1321. F. Raynerium anno 1350. & 1359. F. Io. Baptistam anno 1536. & 1552. D. Pium anno 1580. D. Hippolytum Burghesium anno 1617. D. Victorium Testium anno 1618. Tres verò Vicariatum Generalem obijsse, F. Iacobum anno 1382. & 1391. F. Bartholomęum anno 1390. & ipsum, de quo paulò ante meminimus, Victorium anno 1614. F. Benedictum Abb. S. Gregorij anno 1495. Saxio in Vrbe Xenodochio Prçceptorem, id quod alibi significatum est, Pium prædictum etiam Scalensi, eique celeberrimo Valetudinario præfuisse. Huius mentio legitur ad S. Benedicti in solo Sacelli cuiusdam marmoreo, his verbis. *Deo Trino & vno. Don Pio Nuto animi virtutibus, ac rerum experientia conspicuo, qui ad Generalatum euectus, Cœnobium hoc bellorum iniuria deuastatum restituit, Senensique Xenodochio Præfectus mortalitatem exuens, haud paruum sui reliquit desiderium. Aet. anno LXX. Sal. MDXCVII.* Hippolytum, qu m diximus, persona decoratum Episcopali. Hic enim Visitator, ac Senis Abbas per triennium, Præses per annum Generalis à Paulo V. ad Episcopatum prouehitur Ilcinensem, Victorio literis Pontificijs in Generalatu successore, quod quidem pluribus aliquando exequemur. Floret hodie D. Ventura Venturius Senensis Patricius Abbas titulo duntaxat, quo ego Magistro (vt de Gregorio Nazianzeno scripsit Hieronymus) glorior, & exulto. Suauissimis moribus est, & facilitate ad beneuolentiam neminem non adducente. Raro, eoque non vulgari, ad omnia nullo negocio capienda, consequenda, examinanda aptissimo, in inuentione acutissimo, in explicatione, siue Oratoria, siue Palestrica, siue de scripto, siue memoriter iucundissimo valet ingenio. Multos ante annos de Carne per Deum assumpta Heroico metro carmen instituit. Perdiu verò missum facit. Superioribus annis repetit. Capita quinque (cantus, po tarum vulgus appellat) condita, & ad periculum in lucem edita. Senensis Academia libr m poeticè, varièque compositum euulgauit. Alter etiam ab ipso typis commissus est, De Maiestate Pontificia Pars prima, suadentibus amicis compositus, Venetis, & Pontifice dissidentibus, Abbate Senensi. Sed inter vtrosque pace facta, ferè nihil euoluitur. Pulchrum sanè, & prolixum opus exorsus est, quod inscribitur Theo-

Magnificũ Odeum.

Abbates & Praelates Generales Senenses.

Epitaph. Pij Nuti.

D. Hippolytus Burghesius Episcopus.

D. Ventura Venturius Abbas inter Senenses egregius.

Theologia Exoterica. Alterum proximè absoluit, Contra innouantes Hæreticos, & quamprimùm, quod credo, emittet. Cum certis, quibusque annis in Senarum prætorio ciues coeunt vniuersi Reipublicæ præfectos educturi, nuncij ad Monasterium veniunt à Magistratu, & binos inuitant Comitijs, quibus dies aliquot exiguntur, assessuros. Anno 1606. quo mihi Senense domicilium fuit, consuetudinem vidi, sæpius interfui. Quo autem fundamento innitatur, fastidiosa licet inquisitione percipere non potui. Verba proferam duntaxat, quæ in administrationis vrbanæ, & Senensis imperij, quæ anno 1560. à Magno Duce Cosmo habita est, restitutione in lucem prolata leguntur. hoc est. *Cum Ordinum electio, eductis situla sortibus habenda est, & in sexennium, statutis temporibus, vrna Ordinum, Camerariorum, Vectigalium, Bichernæ, Montis, & Scriptoris Montis in octennium implenda præsentes adsint pro consuetudine ciuitatis duo Oliuetani, Capitaneus Populi, Prior alter ex Confaloneriis ad Montium distributionem & Notarius Consistorialis, accepto de omnibus taciturnitatis Sacramento.*

Magistratib. Senensibus eaucet ais interfuntur.

De Monasterio Arretino. I I.



CVm Guido Petramalius Episcopus, & Princeps Ciuitatis Arretinæ per Ioannem Abbatię de Saxo Monachum eius vicem publicè gerentem (quod longiùs priori huius Historiæ volumine persecuti sumus) B. Bernardum Ptolomæum, eiusq. socios candido habitu exornasset, ad hoc Monachorum institutum in Arretio inferendum, populos, siue Episcopos, ac Præsides finitimos incitaturus, Bernardo, socijsque Arretij Cœnobium extruendum curauit. Inter muta, vt ita dicam, & tacita antiquitatis, & nobilitatis Arretinæ vestigia, & argumenta haud immeritò numerandæ mihi videntur cuiusdam ruinæ Amphiteatri, quæ temporis iniquitati, edacitatique superfuerunt. Hæc ille delegit munimenta Monasterio, quod S. Bernardo sacrum esset, construendo, idque Bernardo nostro, nostræque familiæ tradidit in perpetuum. Cumque in tabulis de Aedis consecratione à Gentilio Episcopo Arretino peracta conscriptis anno à Virginis partu. 1481. 5. Id. Nou. eius loci, in quo Cœnobium situm est, antiquitas moretur, ad maiorem legentium delectationem earum prorsus verba in medium afferre visum est.

A Guidone Petramalio Episcopo ædificatur.

GEntilis Dei, & Apostolicę sedis gratia Episcopus Arret. &c. Sanè cum Christianissimus Princeps Carolus Romanorū semper Augustus, vt suo constat indulto, dum Romam iter faceret, Arretiūq. peruenisset comperiens Gymnasium, quod tunc erat intra domum B. Donati, & flumen Castri effectum esse prostribulum in tam dignissimi loci dedecus, & detrimentum, vt tantum errorem è dicto loco tolleret, & amoueret, illud Ecclesiæ B. Donati, & successoribus suis, &

Tabula consecrationis

Impe-

Imperiali largitate gratiosè & liberè condonauit. Posteaque sexcentis, & vltra annis tunc decursis bo.mem. Guido prædecessor noster, qui & Venerab. Fratribus Ordinis M. Oliueti habitum Religionis eorumdem, & ipsius M. Oliueti locum concesserat, vt Gymnasium ipsum de bono in melius commutaret, ob sinceramque deuotionem & fidem, quas erga eosdem fratres gerebat. Cupiens illos in ciuitate hac Arretina etiam Domino perpetuò famulari, illud etiam dictis fratribus sponte & liberè tradidit, atque concessit, adeo quòd præuia Dei gratia Fratres ipsi Ecclesiam cum Monasterio ad Dei laudem, atque sub titulo, & nomine B. Bernardi Abbatis tunc ibidem erexere. Nos verò eiusdem prædecessoris nostri vestigia imitari cupientes &c. Ego Bernardus q. Christophori de Bezzolis, &c.

DEo Beatæ Virgini, Sanctisque Patribus Benedicto, Bernardo, & Donato dedicauit. Pertinet ad hoc Monasterium Ecclesia in Castilione Arretino, cuius quidem est animarum procuratio, nomine Sancti Bartholomæi de Noceta, membrum quondam Abbatiæ Sancti Bartholomæi de Camporeggiano in Eugubino, quæ (quod postea docebitur) Monasterio Sancti Benedicti, quod illa tempestate nostra Congregatio possidebat, adiuncta est, deinde anno salutis humanę 1497. à F. Mattheo Antonio Sãtægidiensi Priore Monasterio S. Bernardi florenis 225. Nocetanæ ædis fundi, ac possessiones omnes diuenditæ. Locum S. Ioannis de Deserto in Sinformenano positum duo millia passuum Arretio recedentem, vbi Aedicula cum ædificio, agrisque circumdatis Oliuetis, Vinetis, Castanetis, alijsq. vario arborum genere consitis, Siluis aliquot adiectis cum annus decurreret 1560. Marcus Petri Dociensis Ciuis Arretinus cũ coniuge Cecilia dono dedit Monasterio, quod tritici tamen staria quadraginta, vini cados viginti, olei vnum, lignorum maiorum vlnas triginta, minorum verò, & minutorum onera decem per singulos annos viuentibus subministraret. Et quidem non omnia, quibus eo loco fruimur, tradidere. Nam maxima agrorum pars, alijs, quod aiunt, hoc est in planitie, venditis, à nostris coempta, adiuncta, & potissimùm à D. Syluio Arretino Abbate. Ibi sedisse aliquando referunt Franciscanos ex ordine Cappucinio. Constat nostrorum testimonio, quos vidisse cognoui in hoc loco ex illis nonnullos tumulo commendatos. Qui inde recesserint, mihi pariter, & alijs sanè subobscurum est. Anno 1374. Colomatius Apparisius Arretinus, ędificato in Æde nostra sacello, cui, ne, quo vnquam die sacris abstineretur, tritici staria centum dotis nomine constituit. In vno, vel pluribus, vt vocant, Capellanis eligendis Sacello in Æde summa Arretina ipsius ære excitato operam daturis ex nouem suorum posterorum suffragijs quatuor omnino Monasterium ferre voluit, tum autem, vel eos maximum nostræ familiæ Antistitem confirmare. Cæterùm Sacelli ne sedes quidem indicatur. Anno 1420. Antonius Seraphini Calceolarius Arretinus Monasterium Ædiculæ suæ in S. Mariæ de Gradu hæredem instituit. Alternatim cum Fraternitate conferimus. Medium quoque Sacellum S.S. Georgio,

gio, & Martino Sacrum in maximo Templo possidemus, medium verò Fraternitas ex hæreditate Sanctæ Aliottiæ anno 1492. In Aede Cecilianensi, quam Gregorius Berghignus Arretinus erexit eius stirpe, ex qua Cherubinus noster, qui quadragesimum post annum, & supra, diem obijt, extincta, anno 1617. Sodales Arretini suffragiorū iure potiti sunt. Quamobrem 6. Cal. Oct. quòd nostra interesset, Dominicum Donati Cornelli Episcopo Arretino sistunt. Admittitur. Vnum hic habeto, quod ab omnibus diligentissimè obseruetur, non indignum, Monachis, siue à Monte Oliueto Arretium, siue Arretio ad Montem Oliuetum iter habentibus Luciniani, quod quidem Oppidum percelebre est, nec exiguum, paratum semper hospitium ad S. Annæ Xenodochium Petri Nannij Cennensis Scribæ apud Lucinianenses Hospitalis, piæque domus institutoris Testamento anno 1400. 7. Non. Sextilis conscripto. Id tamen officij nobis tandiu prętermissum, vt nemini penitus animo non exciderit, in memoriam & in vsum reuocat Xenodochius administrator anno 1594. Marianus Ioannis Baptistæ Bindi Lucinianensis. Ex Arretinis non pauci Abbatiatum, & Proabbatiatum Generalem obierunt. Abbates reperio. F. Franceschinum anno 1348. F. Laurentium 1351. F. Iacobum 1384. F. Ducium 1387. & 1402. & F. Laurentinum 1414. & 1435. Proabbates verò referunt monumenta F. Petrum 1346. F. Duciū qui supra 1386. & 1401. F. Onuphrium 1403. F. Marcum à Castilione Arettino 1498. & F. Seraphinū 1576. Imperat hodie Cœnobio D. Ioannes Grassius Castilionarretinus Theologus. Optimæ indolis adolescentulos Oliuetanæ familiæ adscripsit, & ad grauiores disciplinas erudiuit. Expectantur in re literaria præstantissimi. Sunt in hoc Cœnobio, quos nequeo silentio præterire D. Horatius Pandulphinus Castilionarretius, D. Paulus Carpenterius Neapolitanus. Horatius Concionatorio munere fungitur, sacrarum literarum cognitio commendat. Habet, quas in lucem proferat prælectiones in Psal. De profundis, & alias. Paulus dux est in hoc Cœnobio Arretinæ Iuuentuti ad Dialecticam, ad Philosophiam. Tenet quàm egregiè Theologiam, quam anno superiore professus est Eugubij, auditorio frequente, quo etiam vsus est in agendo Ecclesiaste. Vulgauit opusculum, cui titulum præfixit. Spectaculum Animæ peccatricis. Alia meditatur, quæ, vt spero apparebunt, cum absoluerit. Famę etiam committenda est, & non citra meritum rei Musicæ peritia, qua ex Arretinis percelebris est D. Chrysostomus Rondinius Abbas Titularius. Sunt præ manibus, & iure laudantur eius opera Musica. Erunt & alia, vt audio propediem.

Hospitiū Oliuetanis piè institutur Luciniani

Viri, qui floruerūt, florentque inter Arretinos.

De Monasterio Florentino. III.



I magnus vspiam tabularum numerus summo labore mihi vel cognoscendus, vel colligendus fuit, id præcipuè cōtigit in Monasterio S. Bartholomæi, siue (vt hodie communius vocitatur)

Montis

Sodalitas Laicorum Oliuetanos Florentiam inducit.

Montis Oliueti Florentino. Inde tamen de conditore vix quicquam elicitur. Sodalitium, aut fraternitas, quam à Iesu Christo nominabant, perantiqua, cuius anno 1297. mentio incidit, quæ in Sacello quodam S. Mariæ de Castaneo propè Florentiam, vbi Montebenium in regione S. Mariæ de Viridaria conueniebat, Oratorium ex consueta religione, sacrorumque officiorum frequentia multùm excidisse contemplata, vt pristinæ formæ redderetur, suffragijs communibus decernitur Oliuetanorum admissio. Anno igitur 1334. Cal. Maijs cùm hortis, vineisque appositis F. Innocentio Turritano Procuratore pro B. Bernardo Abbate M. Oliueti ea obligatione traditum, vt Monachi duo ibi certè conuiuerent, quorum alter sacerdotio initiatus esset. Dictæ conditiones; Sodalitio adscriptis ire liceat, conuenire, manere, quæque antea consueuerant, omnia peragere; Eorum sibi quisque, saluo tamen Abbatis iure, vnam, siue plures, quibus Oratorium obseretur, claues habere possit, homines illi quinque, & viginti sint, vel esse possint, non plures, vtrisq. Monachis nempe, & sodalibus non consentientibus, cum tamen his ad prædictum vsque numerum, quotiescumque vel obitu, vel quauis occasione deficiant, alios facultas data sit substituendi; qui domicilium, aut proprium, aut ad eius vsum constitutum, aut concessum ibidem obtineat, iure suo gaudeat, dum in viuis agat, dum Sodalitium celebret; illis diebus, quibus vel pransuri, vel cęnaturi inibi conueniant, coquere, & necessaria omnia comparare ne prohibeantur. Monachi prætere a vini inde percepti tantum præbeant, quãtum prandijs illis, cęnisq. opus sit. Si quando Abbas vel Monachi, ne ad Oratorium sese pro arbitrio conferant, & inde discedant, solitos conuentus habeant, vel prohibuerit, aut Monachi duo non commorantur, irrita sit donatio; Lex illa Sodalitij, qua iubentur viri duo Religiosi, & Clericus popularis postrema quaque cuiuscunque mensis luce Dominica ad conciones habendas, ad sacra peragenda accedere pro voluntate Abbatis, & successorum intelligatur: denique præter illos conuentuum, prandiorum, cęnarumque solennes dies nemo, Abbate, Socijsque repugnantibus, ad prandium, ad cęnam, ad somnum consistat. Horum omnium tabulæ extant per Bonacosam Compagnium Florentinum. Quatuor post annos, hoc est, anno reparati orbis 1337. Bartolus Capponcini Capponij prædium, vel terræ iugerũ, & quidem in Viridaria ad viam Pisanam F. Alexio Priori S. Mariæ de Castaneo, vti Congregationis Sindico contulit pactione facta, vt intra quinquennium S. Bartholomeo Templum ædificaret, quod maximum haberetur, vbi considerent, & dies noctesque Deum laudarent Oliuetani. Hoc, non vbi Monasterium modo situm est, fuisse arbitror, sed in planitie propè viam, cum S. Mariæ de Castaneo, & probatione scripturarum, quæ afferri hoc loco nequeunt, lectoribus non fastidientibus, Templum, & Monasterium, quod hodie cernimus, aliquãto post exædificatum. Quomodocunque sit, tria Florentię loca sunt, siue Monasteria, quibus eadem S. Bartholomæi appellatio, vario tamen additamento,

Conditiones inter Oliuetanos & Laices statuta.

mento,

mento, Ædes videlicet Santi Bartholomæi in Viridario, seu Verzaria, S. Bartholomæi de Sulphurata, ad cuius Præfectum Beatus Bernardus literas conscribit, quæ cum alijs apud me custodiuntur, & Sancti Bartholomæi de Vallanco Florentiæ quidem proxima, nisi fortè in idem Cœnobium, vt ita dicam, dicta omnia vocabula conueniant, quod nec mihi nec alijs, quibus scũ res cõmunicata est, accidit verosimile. Quicquid sit, de hoc S. Bartholomæi Monasterio posteritati per pauca commendanda, multa tamen, & vetustate, & religione dignissima, quæ silentio præterire nõ possum de nobilissimo sanctissimoq; illo S. Miniatis Monasterio, & eo quoque Florentino, quo quidem Congregatio, sexaginta amplius anni sunt, vt infra ostendemus, cum Magnus Dux Cosmus primus extruendæ arci delegisset, penitus caruisse dicenda est. Quæ igitur non solum ex monumentis Abbatiæ S. Miniatis, quæ in S. Bartholomæo adseruantur, excipere licuit, sed altiora repetens, quæ alibi, in tabula præsertim ad templũ S. Miniatis suspensa leguntur, posteris demandabo, ea nec dubia spe futurum, vt, si quæ huius Historiæ pars cum iucunditate aliqua viris grauissimis, non tantum sodalibus meis, sed etiam popularibus, & maximè Florentinis, pertractanda sit, profectò ea, quam de S. Miniate præ manibus habemus, existat. Anno itaq; Christiano 62. Apostolorum Princeps in varias vrbes, ac prouincias discipulos dimittens gentes ad veri, solidique numinis agnitionem traducturus, Florentiam delegat Frontinum, Paulinum. Christianos autem Nerone, vbicumque indicio deprehẽderentur, insectante, sanctissimi viri cum alijs Christum venerantibus immanissimę persecutionis declinandæ studio in montem secedunt, vbi hodie S. Miniatis Monasterium, tum verò vasta quædam densissimis circumuallata nemoribus solitudo, ibiq; in ædiculam S. Petro constitutam diuinis laudibus operam daturi conueniebant. Atque horum Sanctorum Cœmeteriũ ibi vulgo creditur, vbi hodie sacra Ianua, qua in S. Miniatis aditu est, hoc nomine vsurpata, siue honoris causa sacris multorũ cineribus, quos ibi repositos opinantur, adhibendi, siue quod, vt cognoui, nunquam pateat, nisi ad pietatem conciliandam in ieiunio maximo. Decio autem Imperatori anno Christi 262. Florentia iter facienti inter alios sistitur in primis Regis Armeniæ filius nomine Miniates, qui, cum varijs cruciamentorum exemplis vnà cum socijs Idololatriæ animum adijcere non potuerit, securi tandem percutitur, vbi Crux ad Gurgitem, quo loco in Candidæ Virginis honorem ædes construitur, sic à Martyrum candidatu nuncupata. Quod quidem Martyrium singulari illo signo celeberrimum, quoniam S. Miniates obtruncatus suis ipse manibus sublato capite, truncoq. corpori restituto Arnum transmisit, in montem ascendit, vbi templum Martyri positum est, ibique expirantem Christi fideles tumulo summa cum veneratione commendarunt. Id vnum scripsisse satis esse posset, vt vnicuique S. Miniatis ædes dignissima, & clarissima haberetur; Volo tamen additum. Nõ multo post, anno scilicet 354. cũ Florentia suauissimo iam rectæ fidei iugo ceruicem supposuisset, Zenobio Epi-

S. Miniatis Monasteriũ nobilissimũ.

Vita S. Miniatis.

ſcopo, ibidem cum Baſilianorum Cœnobio Templum ſuperiore magnificentiùs excitatum. Gothis autem mox, aliiſq; incultis barbariſq; nationibus Italiam irrumpentibus, vti Florentia ad ſolum propemodum diruta in annum vſque ſeptimum, & octingenteſimum, quo per Carolũ Magnum in priſtinum reuocatur, ſic ædes S. Miniatis funditus penè euerſa. Agebatur Seruatoris annus 1012. cum Ildeprandus Florentiæ Epiſcopus ſuperiorum numine admonitus de Monaſterij ædificio, & S. Miniatis templo pro dignitate reficiendo, ſecum ipſe cogitat. Verùm, quia ſuis opibus, & facultatibus ſanctiſſimo Præſes voto, quod, mouente Deo, cõceperat, defungi non licebat, Henrici Imperatoris, & Cunegundis coniugis fidem implorat, qui ſua dignum amplitudine ſtudium præſtant, & exciſa ſub illis fermè temporibus Vrbe Feſularum antiquiſſima, impetrat Epiſcopus, vt maxima pilarum, & marmorum pars, conſimiliumq; materies inde ad S. Miniatis ſubuectetur, Martyri templum erigatur, exornetur, quod ad hæc vſque tempora non ſine mœrore, non ſine lachrymis videre eſt. Qua quidem in re Paſtor Dei Charitate ſuccenſus eximiũ ab illo retulit beneficium, vt S. Miniatis, aliorumque cęlitum, quorum nullo vnquam certo loco, niſi publica fama, & tradita per manus popularium teſtificatione ſignabatur monumentum, incredibili omnium penè ciuium gratulatione inueniret, atq; proferret. Sed Præſulis Ildeprandi tabulas nactus probatiſſimas, eo tẽpore ad noſtram vſq. memoriã numerantibus annum ante ſexcenteſimum perſcriptã, quibus exigua, vt pote Hiſtoria, de reſtitutione templi, de ſacri corporis inuentione poſteritas edocta eſt, ad verbum interijcio, vt, quæ non modo hoc loco deſcribenda, ſed ab omnibus penitus cognoſcenda videantur, qui de vita, de obitu, de inuentione Sanctorum veterum præſertim, qualis eſt S. Miniates, ſeſe cupidiùs, & religioſiùs multa non ignorare profitentur.

Tabula Ildeprãdi Episcopi de S. Miniate.

IN nomine Domini, Amen. Anno ab Incarnatione eius tertiodecimo poſt mille, imperijque Henrici Romanorum Auguſti quinto Cal. Maij Ind. p. Dum ego Ildeprandus nulla meritorum prærogatina Sanctæ Florentinæ Eccleſiæ Antiſtes Oratoria noſtræ ſedis propria circuirem, atq; quæq; neglecta inuenirem meliorare ſatagerem, inueni Eccleſiam non longè ab vrbe ſitam in honorem S. Miniatis Martyris Chriſti dedicatam, antiquituſq; Monaſterij vocabulo inſignitam, quam quia nimia vetuſtate neglectam, atq; penè deſtructam inueni, qualiter renouare potuiſſem vixiè cogitare cœpi. Hæc autem ad agenda ideo maximè deſiderio ardebam, quia venerabile corpus prædicti Martyris ibi repoſitum audieram. Quapropter meũ Seniorẽ Imperatorẽ ſcilicet adire ſtudui, quatenus illius cõſilio, iuuamineq; animatus perficere valerem, quod deſideraui. Qui meo deſiderio diuina inſpirante clementia non modicè congaudens Monaſterium in prænunciata Eccleſia, ſicut antiquitus fuerat, mẽ conſtituere admonuit, ſeq; mihi fauere promiſit. Reuerſus igitur ad noſtram Sedem ſuæ beatitudinis accepta licentia Canonicis, totoq; Clero, nec non & laicis noſtræ ciuitatis meum velle innotui, conſiliumq;, quod ab Imperatore, meiſq; fratribus Epiſcopis acceperam per ordinem pateſeci. Quod placuit omnibus, atque

ad

ad peragenda, quæ præmeditaueram cunctorum accendebatur animus. Reuoluens igitur animo fragilem nostræ mortalitatis naturam, vitæq; metam omnibus incertam, induciarum occasionibus postpositis ordinationi cœpi insistere præcogitati operis. Inchoato igitur diu desiderato opere pretiosissimas gemmas auditu tantùm antea ex parte cognitas pl[e]niùs quàm audieramus visibiliter in præfata conditas Ecclesia non tam, vt decuit inuenimus, Corpus videlicet venerabile Beati Miniatis Martyris, plurimorumq; eadẽ Martyrij palma coronatorum, vnde nostrum magis ac magis accendebatur desiderium; confessionem verò constituentes sacratissimumq; reliquiarum thesaurum eleuantes iuxta nostræ qualitatem possibilitatis, & reuerentiam recondimus, & quomodo ibidẽ Deo seruientes viuere potuissent, ordinauimus. Ego quidem Ildeprandus S. Florentinæ Ecclesiæ præsul indignus pro Dei amore, meæq; remedio animæ, speq. remunerationis futuræ, & pro animabus antecessorum meorum, seu successorum Episcoporum istius Florentinæ ciuitatis, nec non pro anima Henrici Imperatoris Senioris mei, suæq; præclaræ coniugis Cunigundæ, atque pro remedio animarum Imperatorum, siue Regum istius Regni Italici, seu pro animabus omnium illorum, qui de suis rebus ad prælibatum Monasterium dederunt, vel daturi sunt, & pro omni populo Christiano sæpe dictam Sancti Miniatis, Martyris Ecclesiam S. Ioannis . . . . . quæ sita est infra territorium de plebe Sanctæ Reparatæ sita in ciuitate Florentiæ ad Monasticum ordinem confirmo, atq; vnà cũ consensu, & auctoritate Sacerdotum, Leuitarum, omniumq; Canonicorum totiusq; Cleri, nec non, & cum beneuolentia laicorum istius Florentinæ ciuitatis, omnia quæ ad eamdem Ecclesiam, siue Monasterium Sancti Miniatis pertinent, aut pertinebunt ad recreandam necessitatem fratrum ibidem sub regula, vel Abbate Deo seruientium perpetualiter concedo, locum videlicet, & Montem, in quo positum est Monasterium, qui antiquitus Florentinus vocabatur, nunc verò Mons Sancti Miniatis, vnà cum omnibus adiacentibus, & pertinentibus, & in circuitu ipsius, quàm etiam infra ipsum Montem, siue in aliis locis cum seruis, & ancillis, & aldionibus vtriusq; sexus ipsius Ecclesiæ vbicumq; esse inueniantur, seu casis, curtis, cappellis, sortibus, & donnicatis, siluis, terris, vineis, & omnibus rebus ad præfatam Ecclesiã pertinentibus vbicumq; per loca, & Casalia, & vocabula, & confinia inueniantur, Ecclesiæ, Monasterioq; S. Miniatis concedo, atq; confirmo; similiter constituo, atq; ibidem concedo cænobium Sancti Andreæ, quod est positum in ciuitate Florentiæ prope forum domni Regis, & prope arcum cum omnibus sibi pertinentibus casis, curtis, sortibus, donnicatis, seruis, ancillis, aldionibus vtriusq; sexus, terris, vineis, tam intus, quàm foris ciuitatẽ vbiq; per loca, & casalia, vel vocabula seu appendicia, & infra; similiter concedo Castellum, & curtem, quæ vocatur Mons altus cum omnibus sibi pertinentibus &c. similiter medietatẽ quoq; Castelli, quod vocatur Mons acutus &c. Similiter do curtem, quæ vocatur Lonnano cum omnibus ibid. ad Sanctum Ioannem pertinentibus cum vna cappella in integro, quæ nominatur Sancti Miniatis, & quartam partem de alia cappella, quæ vocatur Sancti Saluatoris &c. Ego Ildeprandus S. Florentinæ Ecclesiæ Episcopus, quæ supra leguntur confirmando subscripsi. Gherardus Archipresbiter consensi, & subscripsi &c.

ILdeprando Episcopo, vt dictum est, restitutore, Lambertus in Episcopali munere substituitur. Is, cum annus dilaberetur à Dominica Natiuitate 1026. Monasteria prædicta confirmauit, quin, & plura adiunxit, templum S. Felicitatis Florentiæ, Castrum cum agro Moncaltum. Sacellum præterea S. Bartholomæi, alterumq; S. Miniatis Castro suppositum. Eiusdem sæculi octauo & vigesimo Ædem S. Petri Apostoli Senis in regione Camullia cum prædijs, domibus, alijsque ad eam pertinentibus. Lamberto Acto, siue Actus successit, qui piè sanctèq. cum suis maioribus decertans beneficijs Monasterium exornauit. Et, quoniam tabulæ de ipsis agentes amplitudinem, ac nobilitatem Cœnobij testatam faciunt, vel sanè longiores describere libitum est, suntque huiusmodi.

Tabula Actionis Epi de Nobilitate Cœnobijs.

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trin. Dum diuinis cultibus vigilanter intenditur, ad contemplanda sublimia animi intentio continuò ducitur, tantoque liberiùs conditoris sui conspectibus meus placere præualet, quantò hanc nulla rerum sæcularium onera angustant. Quod quia Ecclesiarum Dei rectoribus ex sacræ scripturæ mandato indicitur, id est, vt diuinis studijs semper inhæreant, sic tamen sæcularis actio est agenda ex necessitate, quatenus desiderium cœlestis patriæ non præpediat ex voluntate. Hoc nimium geminæ discretionis studium. Ego Acto sacræ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus licet immeritus, cum metu præcauens ad illius refugium mentis intentionem prona voluntate direxi, qui in Euangelio discipulis ait, sine me nihil potestis facere, vt ipse dirigat vias nostras secundum eloquium suum, & non dominetur nostri omnis iniustitia. Tunc enim via nostra rectè dirigitur, si præceptis dominicis non contraimus. Si locis sanctis diuino cultui mancipatis debites honores, & reuerentiam exhibemus. Non enim sufficere ad singula nos posse credimus, quæ nostro officio competunt, nisi sanctorum adiuti suffragio Sponsus, de quo in Canticis cant. Dicitur Trahe me post te curremus in odorem vnguentorum tuorum, data misericordiæ manu ad exequenda præceptorum suorum vestigia posse currere faciat. Ergo vt nostri Pontificatus cursus Domino miserante decenter incedat, & canonicè polleat, Monasterium Sancti Miniatis martyris à prædecessoribus nostris ordinatum, &, prout tempus permisit, excultum, totis viribus ad maiora prouehere studui, quatenus fratres diuino cultui ibidem mancipati tanto liberiùs omnipotenti Domino obsequi præualeant, quantò eos constat liberalitatis nostræ manu nullius honestæ vtilitatis, & necessitatis egere. Iste nimirum Sanctus locus multorum Martyrum patrocinio conspicuus tantò est saluandis animabus vtilior, quantò & à sæculari tumultu remotior, & Sanctorum ibi quiescentium fit religione sacratior. Quamuis enim præcipuorum Martyrum locus extitisset sacris meritis eximius, & miraculorum laude conspicuus, tamen vsq; ad tempora Ildeprandi f. m. Episcopi, cui ego tertius successor in Cathedra Pontificatus existo, non vt decebat tales, tantosque martyres ordinationis laude pollebat. Prælibatus igitur Antistes Monasterium ibi fiendum decreuit, ordinatisque in eodem loco fratribus sub Abbatis custodia ad laudem Dei, & Sanctorum martyrum ibi quiescentium vitæ necessaria, prout valuit, decenter adhibuit. Qui quousque vixit prædijs, pluribusque muneribus pauperem, & surgentem locum ampliauit.

Et

Et quoniam quæque fuerant necessaria mortis meta interueniente explere non valuit, mihi qui successionis Cathedram in præfata Ecclesia teneo ad augmentum sacri Loci partem credo relictam à Domino, non enim diffido, me participem tantæ remunerationis, si adiutorem adhibeo tam sacræ ordinationi. Ergo in primis quæcumque f. m. Ildeprandus Episcopus per decreti paginam prælibato Cœnobio contulit, seu alio quocumque modo, ac post eum Lambertus eiusdem successor sanctæ memoriæ præsul, Ego Atto Episcopus utrorumque successorum corde perfecto, & animo volente pro Dei amore, specque remunerationis futuræ, & pro animabus antecessorum meorum, seu successorum Episcoporum, istius videlicet Florentinæ ciuitatis, nec non & pro anima Curradi Serenissimi Imperatoris Domini, & Ordinatoris mei, suæque præclaræ Coniugis Gislæ Excellentissimæ Imperatricis, necnon & pro salute Henrici Regis Clarissimi filij sui, atque pro remedio animarum Imperatorum, seu Regum istius Regni, atque pro salute, & pro remedio animarum Ducum, seu Marchionum Thusciæ, & pro salute, & incolumitate Bonifatij eximij Marchionis, nec non & pro animabus illorum omnium, qui de suis rebus prædicto Monasterio aliquod beneficium dederunt, vel daturi sunt. Omnia in integrum concedo, confirmo, & in perpetuum vigere exopto, & Litanias vniuersalium plebium nostri Episcopatus quemadmodum iam Ildeprandus Episcopus annualiter censuit simili modò confirmans concedo; Eo, videlicet ordine, vt si forsitan quod absit aut ego, aut ex meis successoribus aliquis quacumque occasione tollere voluerit, aut imminuere aliquid ex his, quæ præfatæ Ecclesiæ fuerunt, vel quæ prælibati Antistites inibi contulerunt, vel quæ ego, Domino iuuante, per hanc confirmationis, & donationis cartam do, vel daturus sum partem habeat cum Iuda traditore, & sit Anathema Maranatha. Concedo præterea iam sæpe nominatæ Ecclesiæ S. Miniatis Martyris Castrum quoddam, quod Collis ramuli dicitur, quod est infra plebem S. Alexandri sitam. . . . . . cum curte donnicato, & mansis, & omnibus ibidem pertinentibus, sicut Ildeprandus Episcopus eamdem Curtem habendam statuit, & siluam de Montauini cum omnibus ibidem pertinentibus, & vnam petiam cuiusdam terræ, quæ est infra Curtem de Quinto, sicut Ioannes filius Petri, & Petrus q. Ioannis per libellum tenuerunt. Quoniam ad communem fratrum ibidem Domino famulantium vsum conferre studui, neque. . . . . quod contuli, sed pro temporis opportunitate, quod potui prona voluntate concessi. Quis enim tam Venerabili sanctissimorum loco, manum misericordiæ non adhibeat, vbi præclara tam eximiorum martyrum merita rutilant? vbi infirmi quotidie per suffragia martyrum plurima consecuntur Domino largiente sanitatum beneficia? vbi peregrinorum, & hospitum turba quasi in proprijs domibus receptionis, & refocillationis adipiscuntur necessaria fomenta? vbi infirmi aluntur, vbi pauperes beneficio alimoniæ satiantur, fiunt nempe ibi laudes assiduæ, & obseruationes iuges, & orationes continuæ pro salute viuentium, seu etiam & morientium fidelium. Quæ in conspectu diuinæ clementiæ tantò acceptabilius assumuntur; quantò & voluntate, & opere fratres ibi famulantes à sæcularibus curis constat fore remotiones. Quia enim quid hodie euenit scimus, quid cras futurum sit animæ (forte, omnino) ignoramus, superest, vt indulta tēpora rapiamus, bonisq. operibus, quibus possumus inuitamur; & quia nostris meritis saluari non possumus Sancto-

rum

rum illorum protegemur iuuamine, quorum sacra loca veneranda suffragamur opibus, & pia voluntate. Idcirco deprecor eos, qui sibi inuicem in nostra sede succedent, vt huic sancto loco manum misericordiæ adhibeant, semperque in melius crescere faciant, fratrumque necessitatibus pro viribus succurrant, quatenus in die tremendi examinis Sancti Miniatis martyris, sociorumque eius tueantur præsidijs, quorum in terris patrocinia fide, & operatione præcipua voluerunt, & hunc sanctum locum intactum, & illibatum ad honorem Dei omnipotentis, sanctorumque martyrum ibi quiescentium reddiderunt. Si quis vero quæcumque prædicta sunt non obseruauerit, & quæ ego cum auctoritate Sacerdotum, & Leuitarum, totiusq. nostræ Ecclesiæ ordinis contuli fideliter non obseruauerit, sed subtrahere voluerit aliquid ex his, quæ præscripta sunt. Quicumque ille fuerit siue meus successor, siue aliquis omnes maledictiones quæ in Deuteronomio scriptæ sunt veniant super eum, & in æterna damnatione Iudæ proditori in tormentis iungatur, qui Dominum tradidit, & vendidit. Actum est autem hoc Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trigesimoseptimo. Ind. pri. Domino Churrado Serenissimo Imperatore anno Imperij eius 11. Ind. 4. mense Februario feliciter. HACTTO. Sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus hoc decretum à me factum inscriptione propriæ manus sponte confirmaui, &c.

Christus crucifixus S. Io. Gualberto alloquitur.

TErtio post anno, quàm religiosissimus Episcopus tam multis bonis temporarijs Cœnobium S. Miniatis auxit, hoc est, à Virginis partu 1040. Deus eiusdem Cœnobij templum spirituali, ac diuino beneficio nobilitauit; quando eodem anno admiratione dignum euenit ad illam Christi crucis patibulo affixi effigiem, quæ S. Ioannem Gualbertum Petrioli de Valle Pesa Dominum affata est, indicauitq. se heroico illo charitatis actu magnopere delectatum, quem patrauerat, vitam deprecanti minus amico homini gratiam faciens, quo facto S. Ioannes in S. Miniatis Aede Monastico habitu indutus est, integerrimus postea Vallúbrosanæ Congregationis institutor. Ad cuius quidem imaginis venerationem, non tantùm Florentina Ciuitas, verùm etiam externa multitudo solito frequentior confluere cœpit Martijs præcipuè sextis quibusque ferijs honorem Christo pro nobis patienti allatura. Locatur autem in nobili quodam sacello media in æde posito, vbi & hodie venerantur, à Cosmo Mediceo ædificata. Sed modò, cum in Arce sit, vt diximus, vbi omnia ferè prophanata (nequeo certè siccis meminisse oculis) popularibus, militibusque custodienda, vt, si quis velit pietatis gratia plenam quidem illam miraculo imaginem inuisere, indignum malum, custodes exoraturus sit. Ædes igitur S. Miniatis tum sacris opibus, vt significatum est, & salutaribus expiationibus, quas plures summi Pontifices castè adeuntibus concesserunt, tum iurisdictionibus in quamplurimas ædes, cuiusmodi illorum temporum Abbatiæ, quotidie magis augebatur. Quocirca Lucius 3. anno 1184. confirmat.

ECclesiam Sancti Nicolai cum adiacente Parochia. Ecclesiam Sancti Petri iuxta Imam. Ecclesiam Sancti Pauli de Musciano. Decimationem in tota Plebe

Plebe S.Mariæ de Intinula, in Plebe S.Petri de Quarto, & in territorio S.Mariæ de Pineta. Ecclesiam S.Mariæ de Quinto. Decimationem in Plebe S.Martini de Sexto. Eccl.S.Mariæ de Nouale. Decimationem in toto Plebatu S.Ioannis de Signa. Ecclesiam S.Martini de Corella. Ecclesiam S.Mariæ de Albuino. Ecclesiam S. Donati in plano maiore. Castrum Montis acuti cum Ecclesia, & pertinentijs suis. Castrum Montis alti cum Ecclesia, & pertinentijs suis. Patronatum in Ecclesia S.Andreæ iuxta arcum, In Ecclesia S.Andreæ de Doccia. Possessionem de Campi. Decimam in Plebatu S.Stephani de Campi, & in Plebe Empuli. Decimas de Monte Crucis, & de Monte Fesuli. Ecclesiam S.Petri de Camullia, & omnem decimationem in podio S.Miniatis, & in Plebe S.Reparatæ.

HOc itaque adeo vetus, venerandum, & opulentum Monasterium ab Augustino Monacho, & olim Abbate anno post Virginis partum 1373. Gulielmo Cardinale S. Angeli pro Sede Apostolica sponte dimissum, Gregorius XI. quò faciliùs Benedictina iam prolapsa vitæ ratio, cum quinq. tantum sodales ibi vitam degerent, iterum consurgeret, & splendesceret, cum omnibus iuribus, ac pertinētibus Oliuetanæ Congregationi attribuit. At quoniam Episcopus, qui tunc temporis erat Florentinus, cum idem Cœnobium Ciuitatis vniuersæ Pastoribus semper paruisset, quandam sibi in illo potestatem vendicabat, & in fundo siue solo prope Monasterium Episcopium erexit, in quo vacuas horas exacturus frequentissimè versabatur. Pontifex, vt qui ægrè ferret, ex popularium Episcopum causa sua adeuntium propinquitate Monachis negocium exhiberi, his Episcopium tradidit; Episcopum autem remuneraturus voluit, vt quæ sacræ cò vsque ædes Monasterij fuissent, quasue semper Abbas assignasset, id est, S.Luciæ de Magnolis, S.Petri ad Emam, S.Pauli de Musciano, & S.Mariæ de Albuino singulæ in Florentino ad eū exinde pertinerent, eiusque successores in perpetuum. In Sancti igitur Miniatis Cœnobium non pauci conuenerunt Oliuetani, nec numero solùm, qui ad triginta demum perductus est, sed etiam honore, ac fama amplificatum, donec Castello, vt scripsimus anno Christi 1552. vel 53. coniunctum est, quod iniquè admodum compensatur, in parochialem Aedem, quæ Florentiæ S. Michaelis de Berteldis, aut de Diabolis appellatur, inde migrantibus. Hinc tamen breuiter recedendum, Clericis regularibus, vel Theatinis à Magno Duce petentibus. In Sancti Apollinaris Parochiam transtulerunt, quæ & hodie obtinetur. Possessiones, aliasque Sancti Miniatis facultates ad Sancti Bartholomæi, quo de mihi scribenda quoque nonnulla, transmittuntur. Huic Monasterio alterum adhærebat, Augustinense titulo Sancti Laurentij, vbi Prior dumtaxat, duo Canonici, ac pueri duo Nouitij nihil præterea, quam aureos florenos triginta reddebat, vt vix paucos illos pasceret, aleretque, & proinde in sacris peragendis haud multum versarentur, quin potiùs, *grauissimè* (ita loquuntur tabulæ,) *detestanda, & illicita perpetrabantur*, Monasterij Sancti Bartholomæi fama, & dignitas

Donantur Oliuetani S. Miniatis Monasterio.

gnitas excesserat. Ioãnes igitur XXIII. anno 1414. ea de re commonefactus Cœnobium S. Laurentij Monasterio S. Bartholomæi perpetuò adiecit, ea spe ductus, quod ipse in diplomate testatur, Oliuetanos in templo S. Laurentij sacra, & diuina munia obeuntes religiosiùs præpotente Deo inseruituros. Pontifex tamen alienauit curiale templum S. Nicolai Florentinum membrum illucusque S. Miniatis, quod Sacerdos cum aliquibus Clericis Abbatis arbitrio remouendis habebat, & aureos quinquaginta Florenos in annum percipiebat, idque tradidit, quos antea meminimus, Priori, Canonicis, ac Nouitijs olim S. Laurentij, qui ibi manerent, officia diuina peragerent, sacraque procurarent, dum lucis vsura fruerentur. Eadem prorsus de causa, quòd scilicet S. Bartholomæo propior esset, via dumtaxat publica, qua Florentia Pisas ducimur, vtriusque possessionibus interiacente, Pius II. cùm annus esset à Christo nato supra 1458. Hospitium pauperibus adiunxit, cui S. Iuliani de Viridaria nomen erat, quod, vt perhibent, non extat, & tantis bellorum incendijs exustum, deletumque opinantur. Idem de Laurentiano circumfertur. Huic Monasterio Abbas fuit D. Matthæus Albertus Florentinus Theologiæ iurisque Pontificij interpres. Anno 1571. Venetijs librum impressit, titulo, Institutionem Canonicam. Commentaria in Aristotelem edidit, aliaque Philosophica contexuit. Recordatus Auctor est. Præfuit etiam D. Vitus Bonauoltus, quem Magnus Dux Cosmus Hospitio S. Bonifatij, inde S. Mariæ nouæ, vbi anno 1577. à corpore seuocatur, præposuit. Monachos Florentinos satis illustrauit D. Stephanus Abbas Mathæmaticus præstantissimus Magnique Ducis Cosmograghus, cuius obsequijs multos annos operam nauauit. Hunc tamen æuo præcurrit D. Miniates Pittus Abbas, & in annos complures Visitator, & anno 1562. Vicarius Generalis. Multis varijsque literis inclaruit. De veteribus, nouisque Prouinciarum, Vrbium, Oppidorum, Castellorum, Regionum appellationibus librum emisit. E viuis aufertur ibi anno 1567. De illo Paganus Paganicius poeta latinè cecinit breui opusculo, quod Cosmo Magno Duci, & Francisco Florentiæ Principi inscripsit, ac dudum ipse vidi. D. Philippus etiam Serralius Abbas, Visitator, Vicarius Generalis, Episcopus Madrusinus, de quo priori volumine pluribus, vir sanè egregius, & nominis immortalitate dignissimus. Florentinis tribus Oliuetanum Imperium delatum est, F. Saluio anno 1357. 1372. 1381. D. Ioanni Francisco 1560. D. Vito 1599. Septem verò Vicariatus Generalis, F. Michaeli anno 1394. 1404. 1412. F. Iacobo, 1346. F. Paulo anno 1465. F. Mauro anno 1523. F. Isidoro anno 1526. F. Philippo anno 1535. D. Miniati anno 1567. D. Vito anno 1596.

Viri inter Florẽtinos insignes.

D. Matthæus Albertus Florẽt. Theol. & Iuris Can. peritus.


D. Vitus Bonauoltus Flor. Hospitio S. Mariæ nouæ Florentiæ Præpositus.

D. Stephanus Florent. Mathematicus Oliuet.

D. Philippus Serralius Flor. Oliu. Eps Madrusinus.

Abbates, & Præabbates Generales Florentini.

De Monasterio Camprenate. IIII.



Vartus numero locus, quem B. Bernardus suæ Congregationi adeptus est, fuit Camprenæ, cui S. Annæ nomē est, in agro Senensi, Arretina tunc, modò Pientina Diœcesi ad Castromutium inter Montes Politianum, & Oliuetum quinque millibus passuum ab vtroque disiunctus. Aream donauit Senensis fœmina primaria Vguria nomine Ranutij Rognoni Patricij quoque Senensis vxor anno à Christo in lucem edito 1324. aliquo certè, sed exili censu; quare cùm ad Cœnobium erigendū multo ære opus esset, perpauci adierunt Oliuetani, qui ibi in plures annos sic permanserunt; quandoquidem anno à salutari aduentu 1368. comperio ad summum quatuor fuisse. Cæterùm Deus Cœnobitis inopia laborantibus, qui summa eum religione venerabātur, egregiam opem, rerumque humanarum accessionem ea, scilicet ratione exhibuit. Angelus Martinotius Senensis supremum in Monte Politiano spiritum editurus eodem anno XVIII. Cal. Nou. testamentum confecit, quo in primis iussit elapso triennio in Politiano, vbi Prior D. Mariæ de Maiano propè Senas maluisset, idoneum Cœnobium excitari, quod Priorem, & Carthusianos duodecim caperet, necessarijs ad id prouentibus constitutis, quibus comparandis sex aureorum Florenorum millia dumtaxat hæredes insumerent. Quod si pecunia operi satis non esset, eodem auri pondere in Politiano, vbicumque magis libitum esset, sacræ alterius familiæ siue viris, siue fœminis ædificari. Cum igitur Carthusiani adeò tenuem hæreditatem ad extruendum, alendumque suæ disciplinæ Monasterium reiecissent, Ioannes Testatoris filius, cum ad Oliuetanorū egestatem animum intendisset, qui (ex Vrbani V. diplomate ea de re conscripto) *inter cæteros religiosos illarum partium dicebantur esse speculum, & exemplum obseruantiæ regularis, & vitæ*, eosque Monasterium Sanctæ Annæ institutum perficere non posse, secum animo reputans, conscio Episcopo Arretino, & Pontifice permittente, eis patria legata largitus est. Duo itaque millia Florenorum numerata pecunia accepta sunt, & quatuor millia in agris, vnde Monasticis angustijs satis superque consultum. Ita plures post annos, anno scilicet 1482. F. Thomas Ragnonus familiæ nostræ adscriptus ad Senenses multa, vt vocant, mobilia, & immobilia transmisit, atque in primis prædium in finibus Castromutij, qui locus Sylua Dominici nominatur, cum huic vicinior, & accommodatior esset, quàm Senensi, Abbatis Generalis permissu ad hoc Monasterium transtulit, quemadmodum idem quoque Senense Cœnobium, excurrente salutis anno 1494. alterum pietatis gratia donauit, quod appellabant Prædiolum Galatinæ ad Montisium. Hoc itaque S. Annæ Monasterium delatis hisce donis, alijsque facultatibus, vel acquisitis, vel coemptis

Area Monasterio donatur à Principe fœmina Senensi.

Cœnobij inopia sublevatur.

tantùm excepit, vt posthac semper aluerit, & in præsens alat satis congruentem Monachorum numerum. Cumq. nullum Ordinis nostri domicilium propius absit à Politianis, mentionem hic faciēdam existimo de quodam Priuilegio nostris sodalibus illà transeuntibus à Re Politiana concesso ab anno Domini 1462. vt cum pueris, sarcinisque omnium vectigalium immunitate perfruantur, ne quid ab eis exigatur Clanes magnas paludes traijcientibus, quod adhuc seruatur, & sustinetur. Vrbs pariter Senensis concessione, aut confirmatione anno humanæ reparationis 1547. peracta decem quotannis salis staria muneris loco defert. Missum non faciam Pium II. iter illà facientem, vt priori huius Historiæ libro pluribus executi sumus, vesperi aliquando à socijs Campreпatibus acceptum, quod ipse testatur Commentariorum decimo his verbis. *Iter fuit illi per Monasterium S. Annæ, quod Monachi Religiosi colunt in monte lapidoso, atque admodum sterili quamuis sua industria in parte aliqua feracem reddiderint, multasque ibi amygdalas plantauerint, & alias inseuerint arbores, ex quibus partem vitæ traducunt pium Deo famulatum exhibentes. Montis Oliueti horum Religio dicitur.*

Politiani solutione vectigaliū liberāt Oliuetanos.

Pius II. aliquando diuersatur.

De Monasterio Volaterrano. V.

Beati Bernardi, eiusque sectatorum fama inter Etruscos quotidie magis increbescente, Ranutium, qui Volaterris fungebatur Episcopatu, subijt cogitatio, vt in suam Dioecesim nuper editos illos, pietatisque cultores Cœnobitas inueheret. Ad Episcopum ædes, seu Sacellum pertinebat haud procul ab Vrbe excitatum, cuius appellatio S. Andreæ de Postierla, incultum tunc temporis, & desertum, cultuque diuino penitus destitutum Oliuetanis credere destinauit. Ergo ad B. Bernardum dat literas hæc habentes in primis. *Et quia vos Abbatem fratres, & Monachos, Capitulum, & Conuentū dicti Monasterij* (Montis Oliueti) *nouimus experientia viros esse religiosos, & sanctæ conuersationis, & vitæ, per quos erudiri populus ad virtutes, & clerus animari ad Sanctitatem poterit, & augeri verbo pariter, & exemplo, & per vos melius reformari, nec sint ad præsens alij Religiosi eiusdem* (Diui Benedicti) *aut alterius Ordinis, nec inueniri potuerunt per nos, per quos posset ipsum reparari, & regi, ac salubriùs gubernari vllo modo, facta super his inquisitione*, Ac proinde magno sese teneri desiderio, vt è suis quispiam eò approperaret. Vt Præsidis pietati Beatus morem gereret, misit à M. Oliueto F. Christophorum Arretinum cum Syndicario munere, cui perhumaniter accepto locum iussit Episcopus committi, pronuncians ab omni Decimarum, aut quartæ Decimarum funerum, & cuiusuis tributi impositi, siue à successoribus imponendi pensione immunis haberetur, Verumtamen, *vt debitus honor* (inquit ille) *dicta nostra Vulterrana Cathedrali Ecclesiæ à præfatis Abbatibus, & Priore, & fratribus, & Monachis dicti Monasterij*

Conditor Ranutius Episcopus.

sterij impendatur, duo ex illis, qui in S. Andreæ Monasterio consisterent, annuis assumptæ Virginis, S. Octauiani Confessoris, & S. Victoris martyris celebritatibus, primis vesperis, reique diuinę in primaria Aede adsisterent, ijsque planè conditionibus vniuersa accipiunt. XV. Cal. Nou. anno seruatoris 1339. Diu non fuit, nono videlicet post anno, cum Oliuetanis bono exemplo in sui honorem, ac venerationem omnes permouentibus ex alijs Ioannes scriba Volaterranus Congregationi quęcunque Montecatini in Volaterrano possideat, elargitus est, vt ibi Monasterium conderetur, vbi Prior, & socij quinque commorarentur. Viuente adhuc Ioanne Palumbariæ prope idem Castrum S. Michaeli Archangelo templum exædificatum. Sed cum adeo immanis regionem illam pestilentia grassaretur, (quod priori parte demonstratum est) vt pagani penè omnes occubuerint, atque arua, cultore deficiente, exilem, seu nullum fructum ediderint, & nulla inde spes affulserit futurum, vt Cęnobium ibi commodè sustentaretur, Oliuetani à Proepiscopo Volaterrano dilucidationem, vel sententiam impetrant, vt locus Montecatinensis, vt pote, qui firmando Monasterio non idoneus S. Andreæ copuletur, in cuius æde explendi causa, quoad possent, testatoris voluntatem ad sinistram Odæi S. Michaeli ara componatur, vti composita est, supra quam Ioanni, eiusque propinquis parentetur. Manuciorũ familia de hoc Cœnobio optimè merita est, cuius quidem insignia varijs in partibus affixa, vel coloribus effecta satis clarum beneficentiæ præstantis argumentum. Guelfutius ea in re principem locum obtinet, cuius quidem tabulis testamentarijs anno 1417. Ibid. Maijs Prior (nunc Abbas) Monasterij pro arbitrio iussus est Cappellanos, quos vocant, admittere, amouere, tum in Sacello S. Iacobi ad S. Christophorum (Princeps id Templum est) tum in Sacello S. Onuphrij ad S. Michaelis, vtroque ab illo instituto, dotalique censu cumulato. Quibus quidem, alijsque beneficijs Monasticæ res in bonum sanè locum deductæ feliciorem tamen, supra quam dici possit, obtinuissent, si diuinitus, vel maior felicitas, vel diuturnæ vitæ vsus Neapolitano Regi Alphonso Aragonio contigisset. Is namque, cum vniuersam nostram Congregationem, & præ cæteris F. Michaelem Volaterranum, qui, vt alibi tradidimus, à confessionibus illi, sacrisque ministerijs aderat, vltra fidem diligeret, sese, vt fama est, superbum, regiumq. Monasterium Volaterris constructurum, summisque prouentibus amplificaturum pollicitus est. Quare Michael sumptuosæ molis, & compluribus Oliuetanis capiendis accommodatæ ædificationem aggressus est. Rege autem, dum hæc geruntur, naturæ legibus concedente, opus imperfectum omittitur, quod ipsis videntium oculis subijcitur, & Monasterium multis immobilibus bonis destitutum, quæ Michael munificentissimo Regis animo innixus instructurum diuendidit, certa spe, si quid certi in humanis reperitur, regia illius Principis liberalitate domesticas, quæ vænijssent, fortunas amplissimæ rependendas. Ea scilicet mortaliũ inconstantia. Illud tandem mittendum non est, cum sacellum S. Ioannis Euangelistæ in pri-

Montecatinum, vbi & alterũ Monasterium exędificatur.

Manucia familia in Volateranos satis benefica.

F. Michael Volaterranus confessarius Alphonsi Regis Neapoli.

ma Vrbis æde deferendum est, vnum suffragium Præfectos, alterum huius Monasterij Abbatem proferre, idque datum ex Michaelis Curcij Gauini anno Domini 1437. donantis, atque ita iubentis testamento. Ex Volaterranis moderatorem Generalem habuimus anno 1522. cum ipsum, quem supradiximus, F. Michaelem, summam antea vicem consecutum anno 1492. Alterum quoque proabbatem Generalem, F. Victorem nimirum anno 1397. & 1402.

De Monasterio Sangeminianensi. VI.

Sodales nostri in agrum Volaterranum vix illati, cum vir nobilis ibidem Sangeminiano oriundus Ioannes Saluucius, torique socia Margarita Bardia Florentina eumdem Antistitem de Monasterio eisdem Oliuetanis in eo Oppido constituendo alloquuntur. Consilium cum maximè probetur Episcopo, B. Bernardũ literis obsecrat, vt nouum munus, quod pro religiosissimo viro omni studio deferebat, acceptum velit: Satis vtriq. haud facere non potuit Bernardus, propterea ex sodalibus F. Ioãnem Arretinum, qui ea, quã alijs in hisce negocijs fungeretur auctoritate, pro tota Congregatione rem conficiat. Sangeminianum profecto VI. non. Octob. anno Christianæ salutis 1340. à Saluncio muneris loco traditur prædium, eiq. adiuncta domicilia, claustra, aliaq. ædificia in Vico Barbiano extra Sangeminianũ; vbi ea ipsa Margarita se Ædem B. Virgini, Sanctoque Ioanni Baptistæ posituram spopondit, quam cum apposito Monasterio, nullo sibi patrocinij iure reseruato, integram, ac perpetuam Monachi acciperent minimum quatuor, vt factum, curatumque est. In huius præterea loci alimenta nihil reperio, præter plures agros memoratos, quàm alterum prædium Montacutuli in eodem territorio annuos decem tritici modios referens Ioannis testamento, quod anno 1348. IV. non. Iulij scribendum curauit, acceptum. Coniuges quidem honestissimo loco prognati, Ille cuiusdam monumenti, quod hodie sacra in æde legitur, testimonio Equitis, Comitisque titulo exornatur, quamquam in tabulis eo dumtaxat nomine appelletur, *Nobilis, & potens miles Dominus Ioannes*, & nihil supra. Hęc verò quo natalium splendore claruerit; quod dicam, nihil est, ad illos me ipse confero, qui illustrissimas Florentiæ familias, & scientia, & vsu cognouerint. Ad hæc Ioannes quantùm Ordinem nostrum obseruauerit, eo testatum fecit, quod, cum sibi in sepulturæ locum aræ maximæ pauimentum delegisset, vita functus niueo nostro habitu contegi voluit, ibique terræ commendari, vbi deinceps coniux, liberi, posteri omnes cõderentur, quod ex eius testamento anno Domini 1348. instituto copiosiùs animaduertitur. Ex Sangeminianensibus vnus F. Philippus anno 1427. Vicariatu Generali cohonestatus est.

Fundatorum nobilitas.

De Monasterio Romano. VII.


Ocis,quæ,vt primo libro significauimus,sodalibus suis B.Bernardus cõsecutus est, adnumeratur in Vrbe S.Mariæ in Domnica. Vnde,quo pacto,quoue tempore acceperit, nullum extat monumentum. Illud tamen pro comperto est, ibi nostros aliquantisper constitisse ac postea, qualiscunq. fuerit causa, abijsse, pro quo traditur paulo post S. Mariæ Nouæ, quo de nunc agitur, Monasterium Anno post restitutam salutem 1352. Canonici Augustinensem disciplinam sustinentes, vt qui olim possedissent, pauciores tamen, quàm, vt eorum institutum postularet,bini dumtaxat,adeo vt paulo plus, quã ipsum Religionis nomen relinqueretur, administrabant. Petrus itaque Bellfortius Gallus,qui Cardinalitium, vt aiunt, huius ædis titulum præferebat,diuini cultus ardore deflagrans nostris animum intendit. Quamobrem supplex adijt Pontificem ea tempestate Clem. VI. Oliuetanos se Monachos,nõ vulgari amore complexum, *quorum quidem Monasterium*(ita loquebatur) *tanquam noua plantatio ex irrigatione superna,tam in capite,quàm in membris continuis proficit spiritualibus, & specialibus incrementis ex redolentibus Monachorum ipsorum exemplaris vitæ meritis, & regularibus disciplinis, quæ notoria fama diuulgabat,* præoptare per eius pietatem liceat Augustinense instituto in Benedictinum conuerso, Religiosos illos Cœnobitas in suæ Ædis procurationem transferri. Pio Cardinalis voto annuens Pontifex, ad Abbatem M. Olíueti literas misit, quibus illud præ cæteris mandabatur, vt, quod ipsius Cardinalis opera,ac studio quam primum peractum est,ad S.Mariæ Nouæ Priorem cũ socijs duodecim delegaret. Illud quoque Pontificem exorauit ad inopiam subleuandam, Ædes animas in Vrbe non curans S.Mariæ de Palaria,quæ ad Montem Cassinum pertinebat planè excisa iungeretur. Cum S. Mariæ Nouæ domicilio alia duo templa in Oliuetanæ Congregationis potestatem deuenerunt, de quibus anteaquam vlteriùs progrediamur,mentionem faciendam existimo. Vnum est S. Sebastiano sacrum ad Cathacumbas extra muros ab Alexandro III. anno Domini 1161. S.Mariæ Nouæ adscriptum, in aliquot sæcula perdurauit, donec paucis abhinc annis cum, quod nescio cui annuo vsu quotannis debebatur,geminæ thuris libræ,atq. aurei persoluti non sint,amissum,datumque Cistertiẽsibus Bernardinis, quibus pariter à Sixto V. deturbatis,Sacrario Pontificio in perpetuum adnectitur. Alterum S. Mariæ Nouæ membrum, cum eò nos pedem intulimus, fuit S. Mariæ de Portu Tarentino, quod certo temporis spatio interiecto,nostro ibi S.Mariæ de Iustitia Cœnobio permissum,nihil amplius habet cum Romano commercij sed ab illo nunc penitus, quod ibi pluribus ostendemus, administratur. Verùm post has ædes, quæ, vti prodidimus, ad Monasterium peculiariter attinebant, Patres per se ipsi sua videlicet bonitate, & industria, prouen-

Incolũt primò Augustinenses.

Petr. Cardinalis Belfortius agit de hoc Monasterio Oliuetanis attribuendo.

S. Maria de Palaria.

Possidetur, & amittitur tẽplũ S. Sebastiani ad Cathacũbas.

S. Maria de Portu Tarẽtino.

prouentus largiter auxerunt, quandoquidem octauus nondum annus effluxit anno videlicet 1360. in Tyburtino multa quidē indepti sunt. Fuit Canonicis Tyburtinis inter alimentaria delubrum, siue sacellum titulo S. Angeli in Piauole. Hoc nimirum cum omnibus, quod crediderim, quæ illò spectarent, possessionibus, quamuis tabulæ nihil penitus meminerint, nostram liberaliter donant Congregationem nulla quidem lege tenendam, pio tamen satis voto facturam, vt ibidem cōderetur Monachorū Collegium, & quoquomodo Tyburtinę Cathedrali perpetuò subijceretur, & incēsum singulis annis, quo die Maius S. Michaelis recolit anniuersaria Oliuetani Archidiacono, eiusq. Canonicis binos cereos nuper cōpactos, singulos tamē bilibres deferrent. Huc accessit, vt nono post anno Perrina mulier Tybure prognata in eadē vrbe ad vicum S. Crucis, Hospitium pauperibus instituerit, ita tamen vt Rector, siue Præfectus Hospitij ex Priore S. Angeli, cum ibi degerent Monachi, aut S. Mariæ Nouæ per omnem ætatem omnino dependeret. Sub his temporibus Cardinalis in proxima cęlo sede collocatur nomine Gregorius II. Neq; verò deposita, quin aucta vetere erga nos Oliuetanos beneuolentia, præter alia multa generatim collata beneficia scriptum edidit anno 3. ad 3. Cal. Maias in ornamentum Monasterij, vt nimirum Cardinalis titularius in annuos prouentus ius nullum haberet, sed à Monachis liberè, quod ante hac factum nunquā fuit, administrarentur, distribuerentur. Nunc de alijs, quę locum maximè collustrant. Et primùm quidem, quòd attinet ad vetustatem, Ædes antiquissima à Leone IV. vt aiunt, inter Pacis vestigia, Titique fornicem magnificum exstructa, in tabulis, quibus anno Christi 1161. Cencius Frangipanus iugerum nomine Molellum in Cisternate dono transmittit, nuncupatur, *iuxta templum Romuli*, estque Titulus Cardinalitius. Aræ maximæ testudo Sanctissimæ Deiparæ Imaginem ostentat, quam fama loquitur S. Lucæ artificio depictam, quam Troade in Græcia Angelus Frangipanus eques Romanus ad Vrbem deportauit; cumq. ignis, nescio quo pacto, anno 1285. quo Honorius IV. dominabatur, Aedem comprehendisset, incendio absumuntur vniuersa, intacta Virginis effigie. In eadem ara quinque sanctorum corpora adseruantur, quorum leguntur hinc atque inde monumenta. Ad dextram. *Hic requiescunt corpora Sanctorum martyrū Nemesij, Olympij, Sempronij, Lucillæ, & Exuperiæ. Ad sunt & Reliquiæ S. Petri, & Sanctorum Innocentium, ac de craticula S. Laurentij.* Ad sinistram. *Quicunque harum Reliquiarum aliquid hinc auferre, & altare frangere præsumpserit Anathema sit, & maledictus à Domino Deo Omnipotente, & à Iesu Christo filio eius, & Spiritu sancto. Maledictus quoque à Gregorio Vrbis Romæ IV. Episcopo, nec non ab omnibus Episcopis, qui huic dedicationi interfuerunt, & has Reliquias hic vniti...... desposuerunt. Supradicta hæc in quadam tabella plumbea, quæ cum Reliquijs in altare conseruabatur erant descripta. Anno verò Domini MDLXXX. Cum altare hoc semotum, ac fabrefactum fuerit, & Reliquiæ in eo omnes reconditæ Sanctissimus, Domino noster Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. supradicta omnia auctoritate sua* sin-

Sacello donatur à Canonicis Tyburtinis.

Hospitio pariter Tybure augentur.

Antiquitas.

Imago Deiparæ incēdio diuinitus erepta.

sanciuit. Pro eadem quoque ara in pauimento marmore conditum est Corpus S. Franciscæ Romanæ nostræ Congregationis Oblatæ, & alumnæ, pro cuius ritibus, moribusque sacrum fœminarum Ordinem Romæ instituit, quæ de Turre Speculorum nomen accipiunt. Hæ quidem ad illam vitæ formam, & professionem per Abbatem S. Mariæ Nouæ admittuntur, qua de re, Superis fauentibus, spero me alibi copiosiùs dicturum. Obijt hæc inclita Dei famula anno nostræ salutis 1440. vbi viuens iusserat, hodieq. colitur, tumulo demandata. Cum de ea cœlestibus adscribenda à summis Pontificibus, non semel actum sit, demum Paulus V. anno 1608. 29. Maij & petente & erogante Senatu Romano, omni celebritate, ac pompa, quod tanto annorum spatio delatum, & expetitum fuerat, executus est. Ad læuam duo marmora conspiciuntur in quadrum excisa bipalmari circiter vndique latitudine inserta parieti, ferreisque cancellis inclusa, antea in strato pauimento ad dextram composita, quæ summa fideles religione venerantur, quippe quæ Petrum Apostolorum Principem in genua procidentem exceperint, dum Simonis Magi in Cęlum à Dęmonibus subuecti, & ab his miserè deturbati procacitatem vindicaturus Deo preces adhibuit. Inde haud multùm distat è solido marmore, atque operosiùs elaborato Monumentum olim à Populo Romano eidem Gregorio Pontifici ædificatum, non tantùm quòd Cardinalis huius Ecclesiæ titulum sortitus sit, verùm quia post quartum & decimum lustrum Sedem Apostolicam Romam Auenione reportauerit, quod Elogio ibidem inscripto apertè legitur. Ad hæc plurima spectantur perillustrium virorum, quorum alij sacra negocia tractauerint, alij curas publicas in foro exercuerint, monumenta, sed partim non necessariam longitudinem euitaturus, partim Epigrammatum temporis iniuria exesorum intellectum non assecutus, irrito labori supersedendum existimaui. Neque verò tacendum puto, hoc Templum, vt diximus vetustissimum, neque illo splendore ac decore conspicuum, quo cętera fermè loca cultui diuino consecrata illustrantur, ac nobilitantur quoque integerrimæ Diuæ hic conquiescentis promerita haud quaquam videbatur, anno Domini 1611. D. Stephanum Anuersanum Abbatem reparandum suscepisse, sed morte interturbante cępta prosecutum D. Clementem Cattaneum eius successorem & Procuratorem Generalem, id tandem opus totis viribus aggressum D. Euangelistam Torniolum, qui in eius locum subrogatus est, nunc S. Spiritus administratorem, in sumptis aureorum ampliùs quindecim millibus, tum à Cœnobio, tum ab vniuersa Congregatione collatis ad eam, quæ hodie magno cum gaudio, summaq. omnium delectatione conspicitur, formam speciemque perductum. Roma Cardinalem nobis edidit F. Petrum Tartarum anno 1372. quod primo libro diffusiùs, S. Mariæ nouæ Priorem, & Proabbates Generalis duos, F. Alexium anno 1415. & F. Hippolytum annis 1442. & 1448. D. Iulius Cęsar in artificio Musico præstantissimus à Romanis celebratur. Populatis sacello Pontificio operam præstitit, Symphoniaca

S. Francisca Romana monumentum.

Lapides, quib. S. Petrus orans genua fixit.

Tumulus Gregorio. xi. excitatus.

Reparatores Templi.

D. Euangelista Torniolus Perus. Oliue. admtus. Ar..ter S. Spiritus de Saxia in Vrbe.

F. Petrus Tartarus Romanus Cardinales Oliuetanus.

Viri memoria digni.

D. Iulius Cęsar Romanus Oliuetanus Musicus celeberrimus.

multa

multa euulgauit, & iam Oliuetanus nomine ferè semper, quo antea vocabatur, Alexandri, fama tamen extulit magis lyræ pulsu, (clarissimus profectò lyricen habitus est, nullique conferendus) quàm vocis cantu. Ingenio fuit impotenti, & alijs pro sensu non facilè obsequenti. Hæc de illo M. Antonius Bonciarius Perusinus vir nostra memoria celeberrimus ad Bernardinum Stephonium. *Alexander Romanus magister canendi egregius, is qui postea natu grandis in familiam Oliuetanam est cooptatus, & piarum numero cantionum obruit prophanas & iuueniles; ægerrimè semper ad canendum inducebatur, ne illis quidem satis obsequens, à quibus poterat cogi. Idem verò, si quos interim imperitè, ac inæqualiter sonantes exaudiret, sua sponte prosiliens indignabundus castigabat indoctos, & Symphoniæ non dux tantùm, sed comes suauissimus accedebat.* Annus eripuit à Virginis partu 1592.

De Monasterio Riperiano. VIII.

Auctor huius Cœnobij.



Vm ad Ildebrandinum Patauinum Episcopum laudabilis Oliuetanæ Religionis in Thuscia nuper exortæ fama peruenisset, ad Franciscum Tracozanensem Abbatem Generalem scripsit, vt, eidem familiæ Pataui j. Cœnobium posituro Clericis, laxiorique hominum generi vitæ haud turpiter exigendæ documento è suis binos ad se Patauium dimitteret. Antistes Oliuetanus, quod iustè, pieq. postularetur, exaudito F. Franciscum Michũ, & F. Hieronymum Senenses, data recipiendi, instituẽdiq. Monasterij potestate, eò abire iussit. Cum Patauium aduenissent 4. id. Oct. anno Domini 1348. & redditis à Præside literis Episcopo, hic, vbi postera dies illuxit Aedem S. Mariæ Armenorum, quæ in regione omnium Sanctorum Pataui j sita est, præsens tradidit, & 15. Cal. Nou. eòdem concessit, suisque Canonicis consentientibus Oliuetanæ solemniis adiunxit Congregationi, vt Monasterium extruendum S. Mariæ de Monte Oliueto appellaretur, præcipiens. Et quod duodecim ibi Monachos sedere percupiebat, S. Maximi, quod non longè aberat, S. Mariæ de medio Canali in Feltrensi prope vicum nomine Cherum, & S. Leonardi de Torilia Aedes hospitales cum iuribus omnibus, & ad eas pertinentibus adiecit. Ad vallem S. Eusebij in Patauino agros septem vitibus consitos liberaliter donauit. Anno proximè consequenti eò mentem sedulò conuertens Præsul extra fines Diœceseos Monasterium S. Mariæ de Pulueraria candido Nursini Patris instituto conditum sibi omnino vtroq. iure subiectum bellis, alijsq. Patauinis calamitatib. collapsum, adeo vt funditus prope excisum, eiusq. fortunæ stãtes pariter, paritérq. mobiles, in manu populariũ essent, neq. vllus certè Monachus relictus, præter Augustinũ Priorẽ, cui quidem ex se in meliorem locũ deducere non licebat, suo non refragante Canonicorum Collegio. *Attendentes* (sic habent graues tabulæ) *vitæ integritatem, conuersionem honestam, obseruantiam regularem, humilitatem, & charitatem*

Deo

Deo auctore vigẽtes in Religiosis viris Abbate, Priore, & Monachis Monasterij M. Oliueti Arret. Diœces. & aliorum Monasteriorum subiectorum Monasterio prædicto, Cœnobium Riperianum cum Patauino coniunxit, ita tamen, vt Riperiano instaurato duodecim Monachi cum Priore, & complures, si census annui sufficerent, collocarentur. Cæterùm Præsul ipse cum Canonicis iustissimis de causis F. Hieronymo, qui nouo Patauino Monasterio Prior præfectus fuerat, adstipulante Aedem S. Leonardi de Torilia, siue Hospitalem domum paulò ante adeptam, inde seiunxit, vt Episcopo Patauino libera, vti priùs, esset potestas, & Augustino Ripariæ quondam Priori, cui probata, rataque fuit Riperiani ad Congregationem Oliuetanam transmissio, tradidit. Nondum exacta duorum mensiũ curricula, quibus nostri in Patauino sederãt Monasterio, cum, quòd viȩ publicæ Aedes immineret, hortumque popularium oculis nimis expositum, sese ibidem commorari non posse absque grauis offensę periculo, nec deinde iura persequi Benedictina animaduertentes, obnixè Præsidem rogant, vt Riperiam demigrandi potestatem faciat, vbi cum ab ædibus, alijsque domicilijs, & tam hominum, quàm mulierum cõsortijs longissimè absint, sanctiùs, & tranquilliùs sese victuros sperent. O eximios veterum sapientum, piorumque virorum æmulatores! qui popularibus turbis, ciuilibus commercijs, omnibusque humanis commoditatibus terga vertentes sese in nemora, in deserta loca, maximè seposita, maximèque recedentia, quæ idonea potissimùm viderentur ad pręduram quidem, ac molestum, suaue tamen, & non iniucundum vitæ genus agitandum, spontè abdiderunt. Antistes, quòd crediderim, nostros tanto solitudinis studio æstuantes admiratus, morem gessit, sanxitque Riperianum posthac cæteris omnibus, tanquam membris caput, imperitaret S. Mariæ de M. Olieuto Patauinæ, Hospitio S. Maximi, & S. Mariæ, quæ ab animarum cura soluta est, de Mediocanali, & Riperiæ potissimùm nostri habitarent, Anno Domini 1349. X. Cal. Maias. Cœnobium autem Riperianum in ripa situm est brachij illius ex flumine profluentis, cui veteribus Medoacus, recentioribus Brenta, siue Bacchilio nomẽ est, quod defluit ad pagum Beuolentum, Puluerarium, aiũt, ex eiusdem nuncupationis villula ibidem notissima Anno ante 350. Gualterius quidam Manfredius Patauinus condidit. Cuius quidem certissimum quod extat, monumentum illud profectò est, quod in manuscripto codice, quod memoriale inscribitur, à F. Hieronymo Senensi, quo de supra meminimus, vtpote altero ex illis, qui Patauium contenderint, hęc continentur. *M. CCLVIII. Magnificus Dominus Gualterius Manfredo fundator istius Monasterij S. Mariæ à Riperia Pulueraria Patauinæ Dioc. renuntiauit suum iuspatronatum in manus Domini Aldobrandini Prioris fratrum Prædicatorum de Padua recipientis vice & nomine S. R. Ecclesiæ.* Aedibus, quas commemorauimus, hodie penitus caret, quamuis multos annos, & pręcipuè vltra centesimum ædem Hospitalem S. Maximi obtinuerit. Vnde abalienatæ sint, reperiri nihil potuit. Primaria quidem, quæ S. Marię de

Nostri Patauio Riperiam fecedunt.

Armenis primùm, deinde verò Oliuetani Monasterij nomine appellata est, & fuit, quam Vulgò Patauini *La Bea Lena* in cuius domicilium, à Christo in lucem edito anno 1525. ampliatum Sacræ Virgines, quæ ante vastitatem ad quingentos passus ab vrbis mœnibus distabant in Arcella veteri, transmissæ sunt & adhuc permanent. Atque ex hac ipsa occasione nostros arbitror abijsse, & fortassis ante multos annos, cum anno Domini 1442. per Franciscum Lignamem, vti suo loco demonstrabimus, ab Eugenio IIII. & Pataiuj S. Benedicti Nouelli Monasterium delatum est.

De Monasterio Pisano. IX.



ANianum vicus est ad quartum Pisis lapidem in montium radicibus, qui Pisanum à Lucensi diuidunt, ac distermināt, nemorosi, gelidis, salubribusq. laticibus scatentes. Id quidem, paulo nempè supra vicum, religiosè admodum animo voluebat Ioannes Scarlattus Pisarum Archiepiscopus, aptiùs & commodiùs domicilium futurum religiosæ cuipiam familiæ, cuius vitæ institutum humanos tumultus, atque omnino consortium, ac virorum Forensium consuetudinem aufugeret. Hic igitur ima iecit fundamenta Monasterij, quos (cum nihil penitus constituisset) Deus commonstrasset, *Institutor Cœnobij.* Cœnobitis. Sustulit, & cum Aede S. Hieronymo posita ad conueniētem altitudinem, formamque redegit; quando, cum annus flueret à restituta salute 1360. nostræ detulit Congregationi, *quæ tanquam noua plantatio* (eius verba) *florebat & germinabat, virtutibusque, & regulari obseruantiæ suauitatem odoris emanabat.* Facultatibus verò Monachorum alimoniæ necessarijs attributis Abbas noster totius Ordinis consensu F. Hieronymum, & F. Antonium Arretinos misit, qui possessionem ineant. Haud diu fuit, cum grauiter decumbens Archiepiscopus, & à Pontifice rerum suarum dispensatione, quibus mallet, impetrata, earum hæredem ex asse Monasterium instituit, & propterea anno Domini 1362. quo aliam viuere cępit vitam, exceptæ sunt. *Facultates, & Aedes.* Non vulgaria quoque beneuolentiæ argumenta præstitit Bartholomæus Testius Pisanus, aureis præsertim florenis ducentis quinquaginta anno 1374. in aram maximam dotis nomine collatis, quibus nonnullis Cœnobio propemodum adiacentibus possessionibus, quæ in 40. terrę portiunculas diuisæ erant, coemptis, eius videlicet fines protulit. Monasterium, siue Eremus præterea, qui non multùm hinc aberat, titulo S. Michaelis de Anianello à Sixto IIII. extincta, nostro adiungitur, cuius quidem rei dicunt extare diploma eiusdem Pontif. IIII. id. Iunij anno 1475. At summum attulit incrementum S. Petri in Vincula Prioratus, qui Pisis est, ab Innocentio VIII. *Prioratus S. Petri ad vincula.* anno virginis enixæ 1488. eidem Cœnobio appositus. In templo multa mihi literarum monumentis tradenda sunt. In primis, veterrimum esse, & olim

& olim extra Vrbem ad Arni ripas ſtetiſſe. Fama eſt delubrum quõdam fuiſſe Idolorum Gentibus Apollini conſecratum, à Chriſti deinde cultoribus in honorem principis Apoſtolorum conuerſum, ſub Prioratus titulo excitatum. Anno virginei partus 1072. Piſanus Antiſtes ibi Canonicos regulares inſtituit, cuius quidem rei leguntur tabulæ in hanc ſententiam. *Ego Vuido Sanctæ Piſanæ Eccleſiæ Epiſcopus vnà cum Clericis, & fidelibus noſtris prouidi, & diſpoſui Deo annuente canonicè ordinare Eccleſiã Sancti Petri, quæ dicitur ad Vincula ſitam iuxta hanc vrbem Piſanam iuxta flumen, qui Arnus dicitur. Quapropter in Dei nomine eligimus, & ordinamus in ipſa Eccleſia S. Petri, quæ eſt iuris Epiſcopatus noſtri tales & tales præsbyteros, vt auctore Domino deinceps in antea canonicè ſeu regulariter prout opportunitas dederit iuxta qualitatem, & poſſibilitatem ipſius loci canonicè obedientes mihi, meiſque ſucceſſoribus, &c.* Interiecto tempore inuenio Aedem curialem S. Andreæ cum Hoſpitio continente, & illo quidem extra Vrbem, poſſediſſe, ac Priorem S. Petri, quod & hodie, in quos maluerit, contuliſſe. *Aedes S. Andreæ.* Eius rei penes nos Honorij III. anno 1221. X. Cal. Febr. diploma eſt, qui Cœleſtinum III. & Vrbanũ III. Deceſſores conſectando approbat in S. Petri poſiti in Ciuitate Piſana in loco, qui dicitur foris porta priſcè ſeruatum ordinem Canonicorum Regularium Auguſtinenſium cum omnibus fortunis, & in his Parçcia S. Andreæ, *quæ* (vt Pontifex ad Priorem, & Canonicos) *ad veſtram omnimodam diſpoſitionem pertinet, & tutelam, & ius ponendi in ea Cappellanos, & canonicè remouendi, ſicut antiquitus habuiſtis, liberã habeatis in poſterùm poteſtatẽ.* Verùm enimuero licet Prioris in S. Andreæ auctoritas, apertè cõſtiterit, anno tamẽ 1368. inter eũ, & Curiales de Sacerdote conducendo magna oritur controuerſia, cum hi ſibi multum arrogent de templo ducenteſimum poſt annum, eoque ampliùs optimè meriti. Cauſa diù vtrinque exagitata. Ioannes Prior S. Frigdiani Lucenſis, & Guido Abbas S. Michaelis Piſani, alijque iudices per Põtificem conſtituti pronunciarunt, Aedem S. Andreæ tam de iure patronatus, quàm de iure prælationis pertinere ad dictam Eccleſiam S. Petri, & Priorem dictæ Eccleſiæ eſſe Patronum, & Prælatum Eccleſiæ S. Andreæ, ideoque quatuor, ſiue plures electi à curialibus, quoties vacaſſet, Sacerdotem inuenirent, & ad Priorem deducerent, vt probatum animarum Curæ præficeret; & eodem ſcilicet tempore id muneris Prior in præsbyterum quendam Matthæum nomine, vt ſupra docuimus, propoſitum contulit, qui tribus illis S. Petri, & Dedicationis templi S. Saluatoris, & S. Blaſij celebritatibus, primis veſperis, ſacriſque maioribus in S. Petri coram adeſſe quotannis deberet, &, qui dies eſt Natalitius S. Andreæ, quadraginta ſolidos Priori cenſus nomine numerare, eique cum Canonicis prãdium condicere, & palmarum ſolennijs ſupra aram S. Petri vnius pondo cereum offerre, quouis autem tempore cereorum dimidium è funerum curialium, qui neque ad S. Andreæ, neque ad S. Petri tumulum producerentur. Cęterã Præſulis imperio innititur, & deficiente Priore, alterum legebat, quemadmodum anno Domini 1403. Paulũ

S 2 Cano-

Canonicum Regularem Cœnobij S. Pauli ad Hortum,& 1444. Petrum Rectorem S.Felicis. In manus deinde Pontificis deuenit Commendationis nomine, sub quem sanè titulum anno 1463. fruebatur Blasius & ille quidem Rector S.Felicis. Bella omnino, aliaque incommoda eò tandem deduxerunt, vt perpaucos haberet Canonicos, & anno præsertim 1368. vnus Prior tabulas condidit, cùm, inquit ille, ad præsens aliquis Canonicus in dicta Ecclesia non existat. Commendatarius tandem anno Domini 1388. Petrus Ioannes Scornus reddidit Pontifici suppliciter deprecatus, vt Aniancnsibus Cœnobitis attribuat, qui Pisis non habeant, quò, cum omnia bello perstrepant, res cœnobiticas comportent,& tueantur, fructus valde imminutos quadam aquarum illuuione, quæ agros facerent palustres, & infœcundos, vt proinde non liceret numerum conuenientem Monachorum sustinere, magnamque ex hoc Prioratu commoditatem percepturum, neque adeo minorem vtilitatē. Attribuit Pontifex, vt supra significauimus. Quod verò sacrorum interest, Ædes S.Petri anno Seruatoris 1119. III. Cal. Sept. à Petro illius Vrbis Archiepiscopo consecrata est. Multæ ibi Sanctorum reliquiæ, non autem insignes. Cernitur dumtaxat in vasculo quoddam magnum os, euulsum, vt aiunt, è brachio S. Blasij Martyris, & quod ita sese res habeat, facit mea quidem sententia non leue argumentum singularis illa, quæ ducentesimum, & quadragesimum ante annum, vt demonstratum est, in hoc templo agebatur S.Blasio celebritas, in qua Rector S. Andreæ interfuturus erat, vt qui S. Petro subijceretur,& vero tamen simillimum est, tunc temporis exstitisse. Est ibi pariter ampulla sanguinis, qui diuinitus emanauit ab Imagine Christi Domini nostri Beryti, quæ Syrorum Vrbs est, anno ab orbis redemptione 781. à Iudæis perfossa, qua de re meminit, quod aiunt, Concilium Nicænum II. Semel per annum summa cum veneratione ostenditur, atque exponitur postrema VI. feria Mensis Martij cum Christi patientis, & mortui simulacro cælato, cui nomen Pietatis inditum est amplius millessimum ante annum elaborato, frequentissimo populo confluenti. Tantisper repeto Monasterium, & prædictis addo, suffragium ferre in eligendo Rectore Curiæ S. Felicis cum alijs vnà Patronis, cuiusmodi sunt Setij nobiles Pisani, cum Gambacurtis in Sacello S. Ioannis Baptistæ ad summum Templum, & cum Appianis in Sacello nascentis Deiparæ ad S. Petri.

Quo curatore, assequamur Aedem S. Andreæ.

Reliquiæ, quæ in Lavario custodiuntur.

Suffragia externa Monasterij.

De Monasterio Bononiensi. X.



AGebatur humanæ reparationis annus 1364. cū F.Petrus Tudertinus Prior S. Michaelis in Busco Augustinensis extra Bononiam secum ipse reputans annis circiter triginta elapsis pristina ab indigenis Religione cultum esse nequaquam Cœnobium, ac neminem prorsus inibi sacro illo habitu initiatum,

Per sodalem Augustinensem ditamur hoc Cœnobio.

tiatum, adeo vt cum exactis temporibus ſexdecim ampliùs Canonici præter Oblatos in ſeueriore legũ Monaſticarum obſeruãtia vixerint, duo tãtummodo verſarentur Auctoris inſtituta negligentes, & inculta propemodum eiuſdem Cœnobij, Marte debacchante, eſſe domicilia, prædiaq; ſe demum ſæpius collapſam reſtituere diſciplinam conantem nihil effeciſſe, eò deducendos Oliuetanos exiſtimauit. Hos enim venerat in ſpem, cum Bononiam ſeſe iam inferre ſumma ope cõtenderent, S. Michaelis facilè Monaſterium accepturos eiuſq. religionem optimo exẽplo puriorẽ, clarioréq. reddituros. Literæ ea de re ſupplices ad Vrbanũ V. delatæ. Pontifex, Petri conſilio cognito, dat negociũ Antonio Cardinali, vt de eo cognoſcat, quod Petrus efflagitauerit. & ſi videatur, Monaſteriũ recipiat, & Canonicis ad alios Auguſtinenſium Prioratus amandatis, S. Michaelis ædes permittat, tradatq. Oliuetanis. Re explorata Cardinalis, poſtulatorum æquitate, inſtitutiq. Oliuetani dignitate, & auctoritate perſpecta; *Ipſorum enim Abbas, & Conuentus Monachorum, & Fratrum ſacra Religio tanquam ager Dominicus influentia ſuperni roris, & diuina benedictione perfuſus efficit cultores induſtrios, pudicitiæ nitore præclaros, & præditos argumentoſæ gratia probitatis, quorum plurimi ſedentes ſecus pedes Domini cum Maria partem optimam eligentes in lege eius iugiter meditantur, & ad diuinæ Maieſtatis obſequiũ trahunt alios per exemplum*, nouo Monaſterio Ordinem noſtrum inuehit, Priore declarato F. Michaele Pratenſi, cuius Religionis ſtudium, morum grauitatem, vitæ munditiem, animiq. multa promerita commune teſtimonium comprobauerat. Hac ratione acceptum à noſtris Monaſteriũ inuerſa temporum conditione, nec quod ad externam bonorum commoditatem, nec quod ad domeſticam pertinet, Eccleſiaſticorum officiorum compoſitionem quicquam inſtaurari potuit; quin anno Domini 1430. vel imminentium bellorum formidine, vel arcana diuinæ voluntatis conſtitutione Monachi expelluntur, cum ædibus templum incenditur, radicitus conuellitur. Patres eiecti tali, tantoq; infortunio ſolliciti Bononiam ſeſe recipiunt in anguſtam Domum, & viris Religioſæ alicui familiæ adſcriptis non commodam, deficiente potiſſimùm templo, vbi ſacris operarentur, cæteriſq; diuinis officijs fungerentur, quouſque Fantinus Dandulus Bononienſium pro Pontifice Moderator, ſummo expetente ciuitatis magiſtratu, S. Mariæ de Miſericordia Monaſterium extra regionem viæ Caſtionis Ord. Ciſtercienſis Sacris Deo Virginibus non ſine magno publicæ offenſionis periculo vndequaque apertum ad S. Vrſulinæ tranſmiſſis in ſuburbio S. Vitalis Auguſtinianum, Virginum vulgò nuncupatum, attribuit. Omnia Eugenius IV. confirmauit binis literis annis poſt Chriſtum natum 1432. & 1436. Anno autem inſequenti idem Eugenius cum Bononiæ degeret, Nicolai Albergati Cardinalis Bononienſis, aliorumque Cardinalium, & ipſius quoque nobilitatis rogatu, libentiſſimè aſſenſus eſt, vt Ædes S. Michaelis reparatæ Oliuetanis reſtituantur. Opus feliciter inchoatum anno Redemptoris 1454. cum ſacra Aede perficitur, quam XI. cal. Iunias conſecrauit Daniel Foroliuen-

Templum, Cœnobiũ exuritur.

Datur Monaſterium S. Mariæ de miſericordia.

Templi reſtitutio, & conſecratio.

ſium

sium Episcopus. Illò igitur nostri sanè plures reuertentes mirificos quotidiè magis in rebus diuinis, Monasticæq; pietatis officijs progressus ediderunt, ita ut in ore omnium versaretur, & eorum vitæ integritas, & Religionis exemplar. Anno 1501. idem Monachis periculum imminuit à Cæsare Borgia, qui capta Fauentia, & exercitu in agrum Bononiensem immisso, Vrbis oppugnationem attentauit. Ingens militum numerus à Republica conscriptus est. Hi quidem in regiones distributi, de his mille octingenti ad S. Michaelis in colle constitutum, fama perferente à Duce primo occupandum, ibiq. castrametandum, destinati. Militari ergo licētia superbi custodes nihil non turpe, non obscænum, non inhumanum in Oliuetanos exercuerunt. Et, nisi Ramazottus Ord. nostri obseruantissimus, à quo & Scaricalasinense Cęnobium delatum est, militares impetus auctoritate, & dexteritate sua cumpressisset, tam illustre apud Bononienses Monasterium funditus excidebatur. In satis copioso Monasterio nihil tamen eximium occurrit, siue Sacerdotium, siue ius aliquod nostris hisce monumentis consignādum. Illud maximè cognoui Carolum Ghislerium (annus recurrebat 1462. à Virginis puerperio) in obitu IV. Non. Maias testatum mandasse in primis, vt in iure patronatus S. Mariæ de Burgo Panigalis Custodiæ Bononiensis duo ad Monachos suffragia spectarent, tertium verò ad Dexolum Ghislerium, nepotesque onere grauissimo imposito idoneum Parochum eligēdi, qui ibidem commoraretur, festisq; diebus rem diuinam, aliaq. officia perageret, & in hebdomada semel atq. iterum operaretur. Possidebatur olim Eremus in via ad S. Mariæ de Monte, quæ Nicolao elocata S. Petri mansionario recipienti sese curaturum, vt quinto, & decimo quoque die sacra fierent, Monasterio quotannis cereus viginti, vt loquūtur, Bononinis cōparatus mitteretur, aditu mulieribus, vel affinibus, & propinquis penitus interdicto. Cardinalis Farnesius, qui ad summum Pontificiæ dignitatis gradum euectus Paulus III. appellatus est, de Oliuetanis bene sentiens anno 1530. Collegij Ancarani administrationem Abbati, & Oeconomo ex tempore huic Monasterio præpositis demandauit. Monasterium Misericordiæ, de quo superiùs dictum est, paucis annis postquam apud S. Michaelem domicilia instituta sunt, anno Domini 1473. approbantibus sexdecemuiris firmissimo iure traditum Eremitanis obseruantibus. De altero Oliuetano Bononiensi, de Imolensi, de Scaricalasinensi, & de Riccardinensi hinc originem trahentibus suis locis referetur. Iam inde cum hoc Cęnobium ad Oliuetanos deuenit, illud memorabile in primis videtur tres ibi summos Pontifices hospitio exceptos Iulium II. IV. cal. Dec. anno 1506. ibidem compransum cum Cardinalibus viginti, anno 1507. V. id. Febr. Paulum III. anno salutis 1541. cum ex occasione Carolum V. Lucæ conueniendi Bononiam profectus est. cal. Oct. pedes ascendit, & biduo consedit. Iterum Bononiam reuersus anno 1547. ibidem tertiam Paschatis celebritatem peracturus Monasterium petijt, vndecim adscitis Cardinalibus. Post dies aliquot, Parmam, ac Placentiam profectus, hinc Bononiam regressus

Idē quod supra, periculum incidit.

Eripit omnino Ramazottus de Ramazottis.

Iura quædam.

Abbas, & Cellerari præsunt Collegio Ancarano

Monasteriū S. Mariæ de Misericordia tribuit Eremitanis de obseruātia.

Pontifices tres in hoc Monasterio excepti sunt hospitio.

gressus

greſſus ſemel atq. iterum Monaſterio acceptus eſt, ibi vtraque vice triduum, aut quatriduum demoratus. Tertius demum Clemens VIII. anno à virginis partu 1598. ſuo conſpectu illuſtrauit. Ea tempeſtate mortuo Alphonſo IV. Duce Ferrariæ, quæ ſedis Apoſtolicæ feudum Ducatus legitimo hærede, vel ſucceſſione carens in Eccleſiaſticam recipiendus erat poteſtatem, Cæſar tamen Ateſtinus Ducali impoſito diademate maiorũ ſuorum poſſeſſionem tueri parabat, vimq; Eccleſiaſticorum deturbare conantium propulſare. Primùm tamen admonitus, ſacris deinde interdictus, tum demum copijs Pontificijs exterritus omni ſuo iure deceſſit. Pontifex Ferrarienſis Imperij poſſeſſionem præſens adire voluit, S. Maurelij Ferrariæ Præſidis peruigilio ſub veſperam aduenit, eaq. nocte ad noſtrũ S. Georgio dicatum Monaſterium diuertit, ſomno in ipſis Monachorum cellulis capto. Poſtera die Ferrariam, vbi tota æſtas exacta, apparatiſſimè, ac magnificentiſſimè ingreſſus eſt. Vinorum inopia cohorte Pontificia laborante maximè opportunum D. Placido Fabio Generali noſtro Bononienſi viſum eſt, ſuam & omnium Monachorum in Pontificem obſeruantiam declarare. Varias vinorũ ſpecies curauit Ferrariam Bononia comportandas, vt, quam Clemens maximè probauerit, quàm primùm intelligat. Probauit (id quod Oliuetanis Bononienſibus gratiſſimũ) duas, quorum in ſingulas hebdomadas, dum apud Ferrarienſes fuit, quatuor, vel quinque onera auehebantur. Cal. Decembris Ferraria digreſſus, poſtridie eius diei Bononiam tenuit, cum Abbas Generalis miſit, qui ſuo, ſuorumq; Monachorum nomine, cum varijs, quibus reficeretur bellarijs, nõ ſalutaret modò, ſed etiam, vt Monaſterium inuiſeret, clariſſimoque ſui luminis ſplendore illuſtraret enixè ab eo contenderet. Accidit id officij periucundum ſanctiſſimo Præſuli, eorumque pietati, & obſeruantiæ ſatis ipſe facturus ad Sancti Michaelis Monaſterium perrexit equo inſidens ad Vrbis portam, Cardinalibus, Optimatibus, & Equitibus dimiſſis, Syluestro dumtaxat Aldobrandino pronepote comitante, Heluetijs, equitatuque Prætorio inſequente. In templo Monachorum corona circumdatus, Deum aliquantiſper precatus in Dormitorium aſcendit, quod cum vario omni ex parte exornatum ſtemmate perambulaſſet, Abbatis cubiculum ingreſſus eſt pro Monaſtica ſimplicitate apparatum. Cum Prandij tempus aduenisset, placuit Pontifici, vt Abbas noſter Generalis mappulam, quam præbiturus videbatur Syluester, porrigeret. Inde circumſiſtentes Generalem, Abbatem, & Monachos dimittit. Ad ſanctiſſimum Pedum oſculum admiſit à prandio tàm Monachos, quàm Monachorum miniſtros, ſtante pro ſingulari Pontificis beneficio apud Sedem Generali, qui cum ea omnia, quæ Pontifex quæreret de regulari obſeruantia, de ſtudiorum ratione, deq. circumſtantium Monachorum conditione, fideliter reſpondiſſet, ne grauaretur pauca quædam perorantem Oliuetanum libentiſſimis auribus accipere, Oratum voluit. Annuente Pontifice præclara indole adoleſcens D. Odoardus Placentinus verba fecit. Quam elegantiſſimam, & venuſtiſſimam habuit Orationem, hic

D. Odoardus Placentinus dicit Bononiæ apud Pontificem Cle. VIII.

hic non interseram breuitatis amantissimus. Responsum tamen Pontificis dignissimum, quòd à posteris nostris memoria teneatur, non prætermittam. Hæc igitur Pontifex subiungit. *Vos lætatos esse, quòd nos huc diuerterimus, res est parui momenti; lætandum erit potius, si vos disciplinam, si obseruantiam antiquam, & seueram, quam Patres vestri, & præcipuè D. Benedictus coluerunt, imitabimini. Nobis semper fuit cordi vestra hæc Congregatio, & ab initio Pontificatus nostri operam dedimus, vt Regulares reformarentur, & de hoc sæpe egimus cum Superioribus, & Protectoribus. Et re vera in hac vestra Congregatione nihil adhuc audiuimus, quod multùm indigeat emendatione; Optamus tamen superiores vestros inuigilare, ne quid irrepat. Quæ de laudibus nostris dixistis vana sunt, nos enim nihil boni egimus, & si quid egimus, id totum à Deo est. Certè nos in actionibus nostris, non nisi errores nostros agnoscimus. Demum optamus, vt sicut in hac vestra Congregatione prodierunt viri literis, sanctitate & rerum experientia insignes, sic vos laboretis, & animum intendatis operibus religiosis, vt non sitis filij indigni tantis Patribus.* Nec quisquam admiretur tres illos, quos dixi, Pontifices ad hoc Monasterium diuersatos, cum hac nostra tempestate Principes iter illà facientes, eius loci inuisendi mira cupiditate teneantur, quippe quod situ, & ędificiorum magnificentia Monachorum numero, & perfecta nostrarum legum obseruatione Italicis omnibus antecellat. Templum ingredientibus, si ad dexterum latus lumina conuertantur, sese primò ostendit tumulus Ramaciotti, quem, vt suo loco narrabimus, Scaricalasinensis Cœnobij institutorem habemus, hoc Epitaphio.

Pontificis Responsũ.

D. O. M.

Armaciotus de Ramaciotis Eques & Comes Bononiensis Iulij II. Adriani VI. Clem. VII. Equitum & Peditum Capitaneus.

Vix. ann. XCV. menses VIII. & Die XII.

Pila post Odęum hæc inscripta præfert.

Bononiæ pace reddita, eamq. à tormentis bellicis hinc offendi nequaquam posse cognito, annuente S. P. Q. B. tum Dei, tum Monachorum domus restitutio, ornatusque facta sunt. Ann. D. MDXVII.

Si ad lęuam deflexeris, Tetrasticum leges.

Obscurum quod erat posito squallore Michael,
Cui princeps Herebi cum Phlegetonte subest.
Relligione vigens Benedicti candida proles
Hoc templum egregium sic tibi restituit.

In ædibus ad quietem constructis sunt nostris non immeritò monumentis committenda, quæ foribus cubiculi, in quo Clemens VIII. decubuit, imposita. *Memoriæ immortali.*

Benignitatis Paternæ Clem. VIII. P. M. in totam huius sacræ domus familiam.
Qui cum recuperata Ferraria in Vrbem reuertens Bononiam venisset, ibique triduum solùm publicis negotijs daret;
Eius tridui integrũ diem in his ædibus fuit;
Monachos ad beatorum pedum oscula libens admisit;

Ora-

Orationi ab ipsis habitæ humaniter respondit
Ad Monasticæ disciplinæ cultum, & antiquæ eorum gentilis
Sanctimoniæ æmulationem propensè cohortatus.
Monachi ne cis, eorumq. ordini vniuerso principis optimi
Ac prudentissimi honorificæ voluntatis testificationem
Vlla temporis longinquitas obscuraret.
Poss
D. Placido Fabio Præfecto Generali ac D. Clemente Cataneo
Huius Cœnobiarcha
Anno Sal. Sesquimillesimo nonagesimo octauo.

Illud qui taceam, Oliuetanos Bononienses varijs dignitatum gradibus vel extra familiæ nostræ Perystilia splenduisse? Vniuersus Oliuetanorum conuentus ter habitus Bononiæ, ann. 1453. 1556. & 1558. In supremo Generalatus honore maximam sibi laudem pepererunt. F. Andreas anno 1426. Proabbas antea Generalis 1406. & 1425. F. Franciscus Ringherius annis 1443. 1455. & 1467. qui & Proabbatis locum tenuit ann. 1441. & 1450. F. Leonardus Mezanachius ann. 1468. & 1480. olim Proabbatiatu Generali honestatus ann. 1451. 1459. 1463. & 1479. F. Franciscus alter Ringherius ann. 1501. 1507. & 1513. F. Barnabas an. 1518. & 1524. F. Antonius Bentiuolus anno 1538. Modestus anno 1550. Vicarius, & Generalis renunciatus anno 1548. D. Iulius Cęsar Grassius ann. 1558. D. Augustinus ann. 1576. D. Placidus Fabius anno 1596. Clemens Cattaneus ann. 1614. ad Proabbatiatum Generalem euectus ann. 1587. & 1605. Summum præterea Vicariatum obtinuerunt F. Michael 1449. F. Cyprianus anno 1519. F. Thadęus anno 1532. & D. Michael Angelus 1556. Episcopali dignitate floruerunt. F. Vincentius Buccaferreus, quem patrij Abbatem Cœnobij Paulus III. Marsicænouæ Episcopum creauit, & Oeconomum, & Romæ vita functus ætatis septimi & quadragesimi, salutis 1537. ad S. Mariæ Nouæ sepelitur. D. Thadęus Pepulus, cuius modò mentionem fecimus, qui Visitatoratum sæpius, semel autem Vicariatum Generalem cōsecutus, Sedem Carinulæ Episcopalem ascendit, & in Vrbe discedit, ann. 1589. D. Placidus Fabius, cuius antea meminimus, quem Generalatus prouincia deposita Clemens VIII. iussit Episcopum agere Castri; Telesij, sede permutata, tamen agebat cum naturæ satisfecit apud Neapolitanos anno 1605. ibique in M. Oliueto conditur. E familia Bononiensi prodijt D. Vitalis in re concionatoria, fama ipsa loquitur, egregius, auditores, quòd aiunt, vultu pro sensibus commutato, permouebat, Ferrariæ, Senis, Florentiæ, & alibi Ecclesiasticis concionibus apprimè claruit. Denique annò virginei partus 1577. cum in principe Neapolitano Templo ad populū agens vtiq. frequentissimum Cineralium labores pariter confecit, ac vitæ curriculum ciuiū opinione sanctus, ætatis intra trigesimum. D. M. Antonius Mariscalcus eadem fermè memoria anno videlicet 1578. de rebus Philosophicis nonnulla euulgauit. D. Marius Matesilanus anno 1596. librum impressit,

Bononienses è nostris maximi spectabiles.

Abbates, et Proabbates Generales.

Episcopi.

Alij virtute percelebres.

Della Contentezza humana, Leandro Alberto teste, Cęsareo æquè, ac Pontificio iure insignis. D. Augustinus Ghislerius librum de Sacramentis protulit Pio V. dedicatum, alterum quoque vidimus aduersus Hæreticos de Ecclesiastica Hierarchia. Manuscripta verò in Biblioteca nostra Perusina custodiuntur. D. Theodorus Abbas hodie perccłebris, quam primarijs in vrbibus Ecclesiastis personam sustinens spectatissimæ virtutis periculum fecit.

De Monasterio Perusino. XI.

Locus vbi primo consistere Oliuetani in agro Perusino. *Datur à primaria fœmina Perusina, conditoribus præscriptis.*

PRima sedes in agro Perusino, Montoliuetensiū, non fuit, quę hodie, Montmorcinium, sed prædium in finibus Curtiani, quod quidem Oppidum est in eodem agro non ignobile. Anno à restituta salute supra mille trecentesimum tertio, & sexagesimo Clara Francisci Oddutio Balcono prognati filia Pellino Cucchi, & huius quidem Balconi copulata coniugio tabulis, quas 13. Cal. Apr. condidit testamentarijs Montoliuetensibus Palatium, quod Collislongi vocabatur, cum adhærentibus ædificijs, ac possessionibus (quod iam dictum est) intra Curtiani Plebisque Tibianæ confinia collocatis reliquit, & donauit, pacta tamen, vt siue in Palatio, siue in proximis ædibus domicilia duodecim Monachis instituerentur, totidē enim velle se hic agere perpetuò, & Horarias preces recitaturos, & sacra quotidie operaturos; ædique posthac Deiparæ Titulus sit; quòd, si non ibi, sed Perusiæ manendum sit, licere quidem per se, ita tamen, vt ibidem Sacellum, vel templum relinqueretur, seruareturque, in quo per binos Monachos, aut popularem Sacerdotem sacrosancta Dei mysteria quotidie administrarentur, sin minus Oliuetani vel illa cum his oneribus accipere, vel post annum ab eius interitu quæcumque ostendimus, explere voluerint, in eorum possessionem Cœnobium, quod Virginum nuncupatur, in regione S. Petri, siue Eburnea euocetur, eodem prorsus pacto adhibito, vt nimirum aut in ipso Palatio, aut in adiunctis ædibus ædicula excitetur, in qua mercede conductus Sacrificus pro se, suoque viro vota faciat. Septimo autem & decimo Cal. Quinctilis eodem anno morbo laborans Codicillum adscripsit testamento, nihil vltra supellectilem Pellino coniugi permittens, qui propter intestina dissidia tunc temporis cum cætera nobilitate, à valentioribus Perusiæ eo tempore dominantibus, eiectus domo fuerat. Clara autem XII. Cal. excessit. Proximo anno IX. Cal. Quinctilis ex M. Oliueto Maximo, Syndicus, & Procur. Nicolaus Prehidiaconus Theatinus, qui cernat hæreditatem Palatij, & ędiculæ fundamenta constituat pro testatricis volūtate, delegatur Syndico aduenięti armatis constipatus Oddo Balconus Nobilis Perusinus occurrit, & quouis iurisdictionis actu prohibuit, his adiectis, id sibi mirū accidisse, cùm Palatium, agrique circumiecti ad Pellinum,

Pellinus Claræ coniux exulat à Perusia. *Syndicus adhibetur, ne adeat fundamentis hæreditatem.*

ijs

ijs aliquando à Clara coniuge donatum spectauerint, eaque propter ædificationem Oratorij, neque tunc, neque aliàs permissurum, & nullos Cœnobitas eò pedem vllo pacto illaturos, se videlicet locum illum aduersus Abbatem M. Olíueti, eiusque procuratores, stricto gladio defensurum. Syndicus nihil omittit, quòminus Odoni sua, & Monachorum auctoritas patefiat. Vbi parum, aut nihil proficitur, conatibus locum dare constituit, & quò cautos, ac tutos faciat Monachos, iubet præsentem denunciare Tabellionem, si in Palatio, quæ Clara præceperit, non efficiantur, per ipsos non stetisse, vt qui paratissimi sint, cum nihil interdicatur, ea omnia perficere, quæ nobilis fœmina demandauerit. Nulla igitur possessio Oliuetanis, inita autem paulò post non sine labore, vt inferius exponetur. Qui circa aduersariorum potentiam conspicatus, siue aliundè compulsus Nicolaus Capocius Romanus Episcopus Tusculanus, & Cardinalis Monachis Cœnobium Perusiæ à fundamentis excitare constituit. Qua de re anno salutis 1366. Nicolaus, qui supra, Theatinus, & Franciscus Hieromia Pisanus à quibusdam ciuibus Perusinis agrum cum ędibus extra, & propè Perusium in colle, cuius nomen vulgo Montmorcinium, 1650. Florenis aureis mercati sunt. Cumque liberam facultatem, quinetiam mãdata accepissent, vt in vrbe, siue in agro, vbi commodiùs videretur, Monasterium duodecim Oliuetanis extra Priorem, siue alijs Cœnobitis, cum tamen Abbas M. Olíueti eò deducere coloniam renueret, exædificarent, coempta tradiderunt ad extructionem Cœnobij F. Laurentio Cionio Arretino, & F. Iacobo Aldrisio Patauino Syndicis ea de re à M. Olíueto delegatis. Adiungunt prætet hæc in dotem, alimoniamque alia permulta in Perusino, Monteronij, Tursciani, S. Martini de Campo, & alibi, aureis Florenis quadringentis æstimata. Cardinalis Perusiæ condiderat in regione Eburnea Collegiũ literarum candidatis, S. Gregorij, vulgò tamen Veteris Sapientię nomen est. Anno à restituta salute 1361. Auenione degebat, cum permulta sanciuit, quæ ibidem seruarentur, atque in primis de locis, vel oppidis, vnde sodales excipiantur, deque artibus, quibus admissi operam impendant. Quod attinet ad numerum, iussit cęlibes, nec cuiuspiam sacræ familiæ legibus obnoxios quadraginta, quos Italarum Vrbium, quas sigillatim nominat, Episcopi & Canonicorum Collegia, ad hæc Pontificis Vicarius exhiberet. Quod verò ad studia, sex Theologiæ, totidem, siue minimũm quatuor Iuris Cæsarei, reliquos Iuris Canonici præceptiones capessere. Decreuit præterea Rectores, & Conseruatores Collegij, qui sibi in Tusculano Episcopatu successerint, Cardinales eadem prorsus auctoritate, qua ibidem valuerit Episcopus Perusinus. Ac demum summis precibus rogauit Episcopos, Priores, & Remp. Perusinam, si quid pietatis erga Deum, erga patriam, Collegium sibi quam maximè commendatum velint, & quouis loco, ac tempore tueantur, vt sustineatur, vtque in melius quotidie amplificetur. Anno deinde supra Natiuitatem Christi 1368. apud Vulsinienses Cardinalis auctor graui morbo

Nicolaus Capocius Cardinalis Rom. posuit Perusia Monasterium Oliuetanum.

Collegium Perusia Gregorianum ab eodē Cardinale institutum his legibus.

T 2 con-

Cardinalis Capocius ęgrotat, condit testamentum, moritur.

conflictatus X. Cal. Quinctilis pium sanè, ac religiosum condidit testamentum. Siquidem cum per Vrbanum V. de re domestica, tum Ecclesiastica, tum quomodocumque comparata pro voto liceret constituere, plurima quidem, eaque eximia varijs templis sanctissimè legauit. Collegio, quod dictum est, vt Candidatorum numerus augeretur, relictum voluit Castrum Ripæ de Thetio in Theanensi. Procuratores testamenti Anglicum, & Gulielmum Episcopos nominauit, illum Albanensem, hũc Sabinensem, Ioannem, & Ranaldum Cardinales, alterum tit S. Marci, alterum verò S. Adriani, Lucam Episcopum Nucerinum, quique erat, atque olim fuisset Antistes Perusinus, Nicolaum Auximatem Pontifici à secretis, Bernardum de Rodes, & Ioannem Rubinellum Auditores, vnũ Cubiculi, alterum Palatij, Ioannem Ferrandum, Laurentium Angelerium, Andream de Monte Leone, &, qui pro tempore Priorem ageret Montmorcinij. His quidem omnia mandata exequẽdi, sanctiones ab ipso in Gregoriano Collegio præscriptas cognoscendi, castigãdi, aliasque, cum facto opus videretur, reponendi, amplissimam fecit potestatem; nusquam tamen uel numerum præstitutum imminuerent, vel loca permutarent, ex quibus eligendos decreuisset. Facultatem potissimũm pręstitam voluit, Lucæ, Nicolao, Ioanni, Ferrando, Laurentio, & Andreæ, qui ex diuturna cum eo familiaritate Principis consilia optimè tenerẽt, proinde ex his Lucas, Ioannes tunc temporis Canonicus, Collegijque moderator, & Prior Montmorcinij haud multò post leges aliquot à Cardinale promulgatas temperarunt, & nouas adscripsere, decem præsertim statuto iuuenum numero adiungẽtes. Animaduertendum hic est, nouis hisce præscriptionibus ab ijs, penes quos erat procuratio testamenti vna consensione editis, ne vllam quidẽ mentionem haberi de Pręside Perusino, Priorem autem Montis Morcini commemoratum; idq. nonnullorum causa, quibus, vel dubitatio sit, vel fides olim fuerit plus posse Episcopum in Collegio, quam Priorem, hodie Abbatem Montis Morcini, cum æqua vtrique sit potestas. Sed vt ad Cardinalem reuertamur Corpus Romanæ voluit sepulturæ commendari ad S. Mariæ Maioris, in ædicula, vbi & Petrus Capocius Cardinalis contumulatus, humi sepulcrum parari simplex, inornatum, sepulchrali duntaxat lápide obstructum, qui sacris velatum sculptoris artificio præferret Antistitem, funus cum quinquaginta funalibus efferri; neminem, cõmortuo, suæ familiæ, & cohortis atratis, funereisq. vestibus amiciri. Viuere tandem desijt optimus Cardinalis eodem anno 1368. X. Cal. Sextilis, & ad cœlum, quod nõ vltra fidem, rebus præclarè gestis, euolauit. Dum hęc agũtur, pacis conditiones inter Plebem, & Nobilitatem Perusinam proferuntur, quarum altera, vt eiectis, quæ ante exilium obtinuerint, restituantur. Reuocatus itaque Pellinus disceptare continuò cum Oliuetanis de prædio Collislongi, & qui plurimũm poterat ciuitatis Princeps (nescio tamen quomodo) possessionem contra æquum, bonumque obtinuit. Hominis vi oppressi Sodales nostri, & nullo propterea patroci-

Episcopus Perusinus, & Abbas Mõtis Morcini in Collegio Gregoriano ęquè pręsident.

Petrus Capocius Cardinalis.

Pellinus Patria restitutus cũ Oliuet. litẽ instruit de Palatio. & obtinet.

nante

nante ad Curiam prouocant Auenionensem. Tanto locorum interuallo disiuncto iudicio, & causæ ipsius conditione, præter opes Aduersarij lis multos ante annos perorata, quàm a Pellino Palatium acceperimus. Quamobrem anno 1373. Lucas Episcopus Nuccrinus, & Ioannes Ferrandus supra commemorati illud secum considerantes, Cardinalem Capocium condito testamento cum primis instituisse, vt ex facultatibus relictis studentium Collegium, & Montmorcinicnse Cœnobium perficeretur Monachis quinque & viginti, his quantum iure visum fuerit dotis loco adscribentes, eique numero satis nondum collatum esse prouentuum, ita consuluerunt, vt ad litis vsque, quæ inter Pellinum, & Monachos versaretur, perorationem, à Collegio cētum his tritici corbes erogarentur. Pellinus interim rursus eijcitur, eaque disceptatione post exhaustum ad mille quadringentos Florenos argenti m triplici iudicio Auenione Oliuetanis diiudicata, possessionem Palatij adire iubemur. Ibi ædicula constructa. Sexennium vel septennium pro testatricis iussu, octo vel decem ex illis perpetuò manserunt. Anno tamen partæ salutis 1383. Vrbanus VI. à Priore, & Monasterio Montis Morcini exoratur, vt, Collelongo in solitudine propemodum constituto, adeoq. à vicis, alijsq. locis dissito, vt tam ipsis, quàm alijs ad sacra promotis ex crebris exulum, latronum, & persimilium irruptionibus nullo pacto demorari, Deoque vacare liceat, ædicula cum officijs, inuiolata Claræ voluntate, in Montem Morcinum transferatur. *Ergo Monachi consignauerunt vnam Cappellam* (Tabularum verba) *in Ecclesia S. Mariæ de Montemorcino, quæ vocatur, Cappella S. Mariæ, ad perpetuam rei memoriam & Petri Domini Philippi olim de Florentia viri dictæ Dominæ Claræ, & in nomine dictæ Dominæ Claræ, cuius olim fuerunt bona dictis fratribus, in dicto legato relicta, ponendo, & depingi faciendo ibidem super dictam Cappellam insignia, siue arma dicti olim Petri, & dictæ Dominæ Claræ, in qua Cappella pro animab. dictorū Domini Petri, & Dominæ Claræ semper extitit post per dictos fratres diuinum Officium celebratum, & exeratum.* Sacellum quidem illud est, quod Campanariam Turrim attingit, vbi maxima illa quidem insignis Odealis custoditur bibliotheca. Apertissimè testantur verba nonnulla rubro lapide aræ affixo incisa. Sunt autem eiusmodi. *Hæc Ara siue Capella est Petri Domini Philippi de Florentia, & Dominæ Claræ Domini Francisci de Balionibus vxoris eius.* Verùm, antequam transferatur, & nostri Palatium relinquant, Patricij, Ecclesiæque aduersarij Perusia exulantes patriæ redduntur, ac singulis à Publico certæ facultates, censusque, nihil autem Pellino attribuitur. Itaque Decemuiros precatur, vt sua quondam Collislongi prædia restituantur. Se quidquam contra fidem facturos negantibus, comminationibus, malisque artibus perficit, vt nonnullos à magistratu antedictæ præpositos distributioni tres præterea delegantur. Hi pro Pellino steterunt, senseruntque Palatium cum proximis agris restituendum, saluo tamen iure legitimè possidentium. Qua conditione planissimum habetur, optimè nosse iudices, ius ad Monachos pertinere, in ferenda tamen sententia (hoc scelere

Collegium Gregorianū nostros, cū Pellino disceptantes iuuat ex testamēto Cardinalis.

Pellinus iterum expellitur.

Palatium Auenione nobis triplici iudicio assignatur. & aditus familia constituta.

Aedicula cū familia, annuente Pontifice, ad Mōtem Morcinum trāsfertur.

Pellinus cū cęteris recipitur.

forum

forum agentes non rarò obstringuntur) quò ciuis impetu trahebantur, propendisse. Rei igitur ex sententia constitutæ insistens Palatij possessionem adiuit his artibus. Agmine secum assumpto peditum, equitumque, quos balistis, alijsque armorum generibus instruxerat, Palatium irrumpit, multisque sacrilegijs perpetratis nostros exturbat, prædia occupat. Sed Ciuitate Perusina per ea tempora, vt docuimus, in partes, factionesque distracta, varia victoria, Pellinus iterum ad fugam compellitur. Nec semel de Palatio nobiscũ composuisset. Nusquam auditus, nihil non suscepit, omnemque lapidem (quod fertur adagio) mouet, vt voti compos esset. Tentauit id præ cæteris cum Ioanne Ferrante, siue Ferrando Ciuitatis, quòd crediderim, siue Gregorianæ iuuentutis moderatore, adeo vt idem sit atq. ille, de quo superiùs, alter ex ijs, quos suum ipse testamentum exequi iussit Cardinalis Capocius, vt per eum aliquid inter se, & Monachos conueniret. Nihil proficienti manus inferre conatur. Quamobrem haud multò post factione Pellini pro Ecclesia facientes superãte sibi metuens, ne in potestatem Pellini, sectatorumq. deueniret, nostris vsus vestibus sese clanculum eripuit, Perusiaq. profugit. Neq. hic perfidiæ modus. Animaduertens namque vim frustra adhibitam, callidè, vel, vt meliùs dicam, flagitiosissimè aggressus est. Nonnullos enim post annos ad Bonifacium IX. refert, cum Claræ coniugis iussa minimè perfecta sint, cumq. Antistita Virginumq. conuentus Perusiæ, ad quas, ea culpa contracta, Claræ legata pertinebant, ea de re nihil penitus laborauerint, pronunciet ipse, cui rectissimè debeantur. Pontifex Leonardo Poltucio, qui Vettonæ agebat Abbas S. Chrispolti, in mandatis dedit, vt Priore, vel Monachis, Antistita, siue conuentu postulatis, appellatisq. vbi vera locutum Pellinum cognouerit, cum domibus, & possessionibus Palatiũ venale faciat, inq. Pauperes Perusinos dispartiatur. Abbas, haud mora, scribam ad M. Oliuetum mittit, Monachos ad iudicium vocat. Oliuetanæ Reip. clauum tenebat ea tempestate F. Hippolitus Mediolanensis; Re cognita, Vettonam delegatur Syndicus, & Procurator, qua par est in eiusmodi negocijs auctoritate, F. Ioannes Vrbeuetanus M. Oliueti Cœnobij Prior, vt vocabant, Claustralis. Is licet causam pro sodalibus acerrimè dixerit, nihil profecit. Sed Abbas Vettonensis à Pellino extimulatus, & corruptus (cui quidẽ fidei locus vacuus non est) in Monachos decidit, vt venderetur, & reapse vendidit Palatiũ mille quingẽtis florenis aureis Benedicto Oddutio Vettonensi, Anathematis pœnam Oliuetanis, sacrisq. Deo puellis comminatus, ni emptorẽ liberè agros possidere paterentur. Tertij ac decimi erat sæculi annus à Christi natalibus tertius, & nonagesimus. Postero anno Pellinus grauiter laborauit, quamobrem 7. cal. Maias testamentum scripsit, pœnitentia, quæ à consequentibus coniectura est, inductus eorum, quæ tanta cũ iniquitate Oliuetanis irrogasset, legatis aliquot præmissis, Palatiũ, Collislongum attinentibus Montmorcinio reddi imperauit, sese iniuria ob tinuisse præfatus, & quouis in illud Cæsarea, siue Pontificia potestate, impe-

Ciuiũ iudicio fultus nos Collelongo proturbat.

Pellinus tertio terga vertit.

Nihil cũ Monachis conuenire potest.

Domũ regressus criminatur apud Põtificẽ de voluntate coniugis non impleta, monet ius esse Virginibus in regione Eburnea.

Dat Pontifex causæ cognitorẽ Abbatẽ S. Chrispolti.

Pellin' cũ periculo decumbit, & Oliuetanos heredes suo perscribit.

impetrato, & veteratoriè extorto imperio decedens, fortunarum omniū tam mobilium, quam immobilium Monasterium ex asse hæredē instituit, Eiusdem Priore, & Ioanne Baleonio executoribus constitutis. Ex eo fortassis testamento, vel ex fide Pontificia, quam nostri, abalienato Palatio, implorassent, IX. Id. Oct. 1394. Nicolaus Vmianus, qui in sacro Palatio audiebat, venditionem Collislongi Abbatis S. Chrispolti iudicio habitā iniquam, nullamq. fuisse iudicauit, aureis florenis quinque, & viginti in dice damnato à Monachorum Procuratore exigendis. Sententiam eiusdem sæculi anno septimo, & nonagesimo Pontifex ratam habuit, nihilque prohibentibus literis à Petri vice datis aliquid contra decernētibus, pronunciatum Monachos, cum Claræ satisfecerint, Collemlongum bonis, honestisq; rationibus possidere. Nos tamen non nisi post annum quadragesimum certo quodam imperio potitos, omnibus supra allatis causis, nihil mihi dubij est. Quandoquidem probatas lego tabulas, quibus enarratur, anno Christi 1444. VII. id. Nou. cum Nellus Pandulphi, Brachius Malatestæ Pandulphi Baleonij, & Seluagia, quam Ioannes Oddonis Baleonij in matrimoniū acceperat, Pellino sanguinis propinquitate coniuncti tenuissent, tenerentque adhuc, Palatium, domicilia, fundos Collislongi, suæ, suorumq; maiorum salutis rationem inituri abijsse, Palatium, & pertinentia lege irreuocabili Cœnobio reddidisse, iudicia omnia, literas, Pontificia diplomata superioribus annis ea de re Monachis impetrata confirmantes. Itaq. longum post temporis internallum, totque obstacula Palatium, quod ad hodiernā vsque diem summa quiete perfruuntur, tandem aliquando consecuti sunt. Procedente autem tempore Montmorcinium alijs locis, & prouentibus præsertim anno salutis 1457. Prioratu S. Mariæ Sanmariani in Perusino multis agris, prædijsque redundante locupletatum. Acceptus autem sic. Franciscus Andreæ Thomæ in S. Petri Monasterio Perusino olim, & tunc temporis in S. Mariæ de Pomposa Cassinensi Comachiano disciplinam professus Benedictinam Prioratum à Pomposano pendentem (nescio quo nomine) obtinuerat. Huic quidem consilium fuit (quomodo, quoue iure Monachus illis temporibus de re tanta potuerit constituere, fateor me prorsus ignorare) tradere Montmorcinio. Ille igitur, siue pro eo alij supplices Pontifici literas attulerunt, quas cum Monasterio, & Monachis in eo manentibus ornamento sint, inserere hic volui, vt cuiuis ex nostris, cui nostra haud graue sit monumenta pertractare, ad veterum Monachorum, qui percrebra pietatis officia, preter æterna, humana quoq. cōmoda assecuti sunt, imitationem calcaria subijciantur. *Sanctissime Pater &c. Est hic propè mœnia Ciuitatis quoddam deuotissimum Monasterium nuncupatum Montis Morcini Monachorum Montis Oliueti, in quo Monachi vigintiocto continuò resident, viri certè boni, & vitæ Religiosissimæ, pleni charitate, sanctimonia, & perfectissimis moribus, & ad eos est quotidie confugium, & recursus maximus pauperum, quibus semper de Monasterio eleemosyna, ac refectio benignè tribuitur, & aliter est ipsum Monasterium toti huic populo gratum, & profusissima consolatio. Nunc quidam Prior*

Iudicium Abbatis S. Chrispolti ab Aud. sacri Palatij iniquū enunciatur.

Tandē prædia Collelongi quietè possidentur.

Additur Montmorcinio Prioratus S. Mariæ de Sāmariano à Monacho Cassinensi.

Literæ quibus supplicatū Pontifici de Prioratu adiūgēdo.

habens

habens Beneficium in hac Diœcesi Perusina, deuotionis feruore ductus intendit renunciare huic Beneficio, vt ipsi Monasterio vniatur, & in illo effici Monachus. Porrigitur ad id supplicatio S. V. quæ pro sua in bonos humanitate, & clementia dignabitur in fauorem dicti Monasterij renunciationem ipsam admittere, & vnire ipsum Beneficium dicto Monasterio, in quo poterunt postea ad laudandum Deum plures Monachi residere, & commodius pauperibus Christi ad eos continuè confluentibus in refectionibus, & eleemosynis subuenire, quod erit acceptissimum. Creatori nostro, quem ipsi Monachi continuò deprecantur pro salute V. S. quam Deus pro sua pietate cum incolumitate præseruet, & cuius pedibus Sanctissimis humiliter me commendo. Ex Perusio XX. Ian. 1455. Pontifex Calistus III. ex Vrbe diploma dedit prid. non. Febr. 1457. ad Proepiscopum Perusinum, vt Mōtmorcinio annua seposita de his omnibus Francisco, qui renunciarat, pensione, Prioratum coniungeret. Certior factus Ranaldus Estensis Cōmendatarius, & legitimus Cenobij Pomposani administrator, Prioratū nempe S. Mariani eidem Monasterio adnexum, qui per occasionem vacans inueterata consuetudine à Pomposæ Commendatarijs dari consueuerat, à capite seiunctum, vltra modum exarsit, quòd sua præsertim memoria idipsum contigerit. Quapropter (annus erat ab orbe redempto 1459.) Antonium Federicum Castrodurātensem Iurisconsultum, suumque Generalem Vicariū MontOliuetū, vbi tunc scilicet ad summa coierāt Comitia Patres Oliuetani, delegauit, qui magnopere doleret, grauesque contractis ibidem sodalibus querelas deferret de illa (sic loquebatur) occupatione. Sed veritis Patribus ne, quæ de Collelongo superioribus annis accidissent, & ipsa inter eos, & Commendatarium reuiuiscerent, quò malis omnibus occurrerent, perque eos perinde ac optimos Religionis cultores, vel cum aliqua fortunarum iactura exoptatissima cum omnib. pax custodiretur, Patres duo eo in negocio Procuratores euocati statuerunt, vt Montmorcinium Commendatario satisfacturum, eidem relinqueret, quæ & relicta sunt, duo sacella Prioratus, hoc est ædem S. Angeli Perusiæ in regione Eburnea, & S. Andreæ in Castro Bagnaria, & in singulos annos pro Prioratu Census nomine Croci libras duas, & vncias sex pro Aede, quæ sacrorum procurandorum onere non premitur, S. Nicolai in plano persolueret, vt pote ab ipsius Prioratus institutione factum continenter asseuerabant, & ex Priuilegiis, librisque censualibus Cenobii Pomposani compertum erat. Ita Oliuetanis cum Commendatario conuenit, omniaque à Pio II. confirmantur. Antequam vlteriùs progrediar, de ea, quam diximus, æde S. Nicolai memorabile quiddam prætermissurus non sum. Ingens Britannorum exercitus in Italiam descendit anno à Seruatoris ortu, vt loquuntur, 1386. & agrum Perusinum maleficio, præda, incendio peruastauit. Perusini tanto re vera periculo imminente, promptissimum ea tempestate copiarum Ducem popularem suum Buldrinum Panicalensem in Vrbis præsidium euocauere. Edidit in lucem Castrum à Perusio ad quintum & decimum lapidem Panicalis nomine disiunctum. Vir grandiori, robusto, & tetrico adspectu rem bellicam

Commendatarius Pomposæ, certum hominē queritur Mōte Oliueto de hac alienatione cum Prioratus ad Pomposā spectet.

Boldrinus Panicalensis in re bellica praestantissimus.

cam

cam ſuſcepit cuiuſdam ductu, qui illâ cum militibus iter faciens neſcio qui cum decertaturus, ad eamq. rem maximè idoneum perſpiciens in eãdem cum cæteris expeditionem cohortatus eſt. Paruit Buldrinus, multiſque in locis tantam præſetulit ſtrenuitatem, & militiæ tantum profecit, vt in demortui Ducis locum communi equitum, peditumque conſilio ſubrogatus ſit. Quæ quidem prouincia tantam fidem, tantam viro dignitatem conciliauit apud ſuos, vt, quod antiquiſſimis Peruſinorum facinorum monimentis animaduerſum eſt, & Boterus quoque nuperus auctor primo libro de Principum honore commemorat, cum Buldrinus in acie occubuiſſet, milites ipſi nec alio duce vti voluerint, ſed (adnotandũ quidem, magis tamen admirandum) inteſtinis cadauere exertis, vnguẽtis preciosis delibutum, honeſto ſarcophago collocatum, tres ipſos annos ſecum exportauerint, atque in medio conſtitutum circumſiſtẽtes de Marte conſultauerint, & in omnibus prælijs mortui tantum Ducis aſpectu ex hoſtibus victoriam relaturos exiſtimauerint. Igitur Auguſto equitatu inſtructiſſimus aduenit Buldrinus, & cum Brittannis in adiacente Sãmariano, quod à Peruſia diſtat quatuor millia paſſuum planicie collatis ſignis, poſt cruentum vndiq. & formidabile prælium fugati hoſtes, ſtetitq. victoria à Peruſinis. Cuius quidem rei memoria Aedem S. Nicolao poſitam affirmant. Præter nomen hodie nihil maius. Extat ſiquidem ædicula peruetus rudi aſpectu, omniq. prorſus cultu deſtituta. Spectat ad Monaſterium Aedes S. Mariæ Magdalenæ, cum nullo tamen animarum imperio, Peruſiæ in regione Solis, quod noſtrorum hoſpitium, à Bonifacio IX. anno Virgenei partus 1404. cũ Archipresbitatu S. Secundi de Lacu Thraſymenio, qui, vt ſuo loco docebitur, Monaſterij titulo decoratus eſt, Oliuetanis attributa. Erat olim hoc Oratorium, Templum, ſiue Sacellũ (uarijs hiſce nominibus prænotatur in tabulis) ingens, amplumq; ędificium Simonettæ cuiuſdam Fortiguerræ, quę anno ſalutis 1282. confecto teſtamento Sodalibus de pęnitentia nuncupatis ex Franciſcanis Tertiarijs, qui & Continentes, & Bicchetti dicebantur, religiosè legauit, vt ſacrum ibi locum erigerent Mariæ Magdalenę, vbi diuino obſequio, diuinis laudibus operam ſeduli impenderent. Itaq; factum. Presbyterum ſibi præficiebant. Epiſcopus approbabat. Pauperiem Redemptoris exemplo amplexabantur. Erat tamen ipſis perbonus ager Bagnarię, cui nomen Domus de Corbarijs, quem adhuc Montmorcinienſes poſſident. Incertum autem, qui eo loco Sodales illi poſt nonnullos annos, vel caruerint, vel abierint. Conſtat enim anno Chriſti 1375. Greg. XI. vſum, cultumque S. Mariæ Magdalenæ Nicolao Anximati ſecretario, quem aliàs recordati, ipſi nimirum, & familiæ permiſiſſe. Et in literis Bonifacianis nihil habemus de Tertiariis, at de Angelo Rectore, quo cedẽte, vel obeunte, ſiue quauis alia ratione dimittente SS. Secundi, & Mariæ Magdalenæ Aedibus Montmorcinium ditatur. Anno allatę Redemptionis 1484. per Sixtũ IV. acceſſit Monaſterio Templum in Peruſino, cui nulla nititur animarum cura S. Nicolai de Camporiano, nec non anno 1524. per Antonium Her-

Aedes S. Nicolai in plano victoria de Britannis reportata monumentum.

Templũ S. M. Magdalenę in regione ſolis obtinemus.

Alia, vel tẽpla, vel Sacella ordine memorãt acquiſita Monaſterio.

culanum Episcopum Carpatensem, & Perusiæ Prolegatum S. Mariæ in Via sine cura cum S. Mariæ Sacello, quod Curtiani in Paræciali templo situm est. Est insuper Monasterio ius, ac potestas in templum siue Sacerdotium quoddam Marsianēse hac ratione. Petrus Nicolucij Petri Marsianensis (annus erat ab humana redemptione 1424) testamentarijs tabulis mandatum voluit, domi suæ Sacellum, vel Aedes S. Mariæ de Blanchis vocabulo excitaretur, cuius, & simul etiā hęreditatis perpetua administratio ad Montmorciniensium Priorem pertineret: De Niue, non de Blanchis hodie appellari dictitant. Prioris siue Abbatis est, cui maximè libitum fuerit, conferre, quamuis, qui hodie Episcopatum gerit Perusinum, hanc Abbatis auctoritatem in dubium reuocauerit litem excitando ad annum vsq. vigesimum, productā nostris denique peroratam. Obtinetur pręterea Aedes Hospitalis ad Pilonicum ex Andreæ Ciolę anno Christiano 1389. testamento ædificata, Hospitium S. Mariæ de Monte Mortino appellari iussit, cui aliquis à Priore proponeretur, qui duobus agellis adiacētibus sustineret. Sacellū insuper erigitur ī Aede Monasterij, omnibusq. predijs, fundisq., quos in S. Blasij de Valle finibus tenebat, & domicilio Perusiæ in regione Eburnea, dotat. Quadraginta, eoq. amplius annorum spatio huius Monasterij fuit Sacerdotium, siue Prioratus S. Saluatoris de Monte Albo, vulgò Eremus, anno Domini 1507. nostris a Iulio II. delatum, anno tamē 1559. maximo sumptu amissum. Vnde hæc iactura extiterit, docere superuacaneum, quando præsertim nulla eum in locum potestas Monasterio. Quod ad structuram, idemq. attinet Monasteriū nihil egregium, eximiumque afferendum est, quippe quod nullo vspiam ornamento conspicuum sit, cum à Bibliotheca discesseris perillustri à D. Placido Carosio Perusino anno Virginis Deiparæ 1593. Abbate constituta, à D. Laurentio postea Perusino Generale, eiusdemque Cœnobij complures annos Abbate amplificata, & ad fastigiū perducta. Mentio item non omittenda Bibliothecæ canticis, hymnisque Odæalibus inseruientis. Conficitur ex libris duobus ac viginti egregiè per varios tamē auctores, quorū nemo (quod soleo nō sine causa admirari) nomen aut annum appingit, conscriptis, eisque grandioribus, & membraneis. Hasce Aedes anno Christi 1443. Sigismundi Imperatoris conspectu decoratas tabulæ fidem faciunt. Is etenim ad Vrbem contendens Perusio iter fecit, vbi quinque dies exegit, in quorum altero Montmorcinium sese contulit, quo in templo signis equestribus Agamennonem Comitis Iacobi de Archipretis Patricij Perusini filium cohonestauit. Semel atque iterum, annis scilicet 1576. & 1580. quod pluribus superiori volumine persequimur, hic vniuersus Oliuetanorū cętus coactus est. Anni complures fuerant, quibus varia, & sueto maiora è cœlo his regionibus incommoda, procellæ, pruinæ, nebulæ, alluuiones, turbines, glacies, aliæque intemperies, vnde penuriæ, vnde calamitates non paucæ præsertim Montmorcinio. Hæc omnia cumsciantur esse monita Dei, vt nos ipsi corripiamus, & ad sanitatem reuertamur, eumque precibus,

Est huic Cœnobio insignis Bibliotheca.

A Sigismundo Imperat. Romā versus iter habēte, Perusiā inuisitur.

S. Ambrosius Monasterij extra ordinē Patronus eligitur.

bus,bonisque operibus adeamus, ideò à nostris de leniunda ira ipsius, de malis aliqua ratione auertendis inita consilia. Tandem eò sententiæ perducuntur, vt Præses & Patronus Sanctus aliquis, qui suis precationibus, meritisque Deum mitiget nobis ex rebus perperam admissis iratū, Monasterio eligatur. Id cùm maximè probetur, D. Laurentius Abbas sæpius Monachos adhortatur, vt ea de re preces effundant, orentque Deum, vt, quem maximè placuerit, det Præsidem, & Patronum. Interea Sacerdotibus edicitur, vt die postero, qui dies decimus ante Cal. Iun. & sextus à Pentecoste, anno 1603. sacris per quàm religiosè operentur, Clericis verò & Oblatis, vt elutis confessione sordibus peccatorum Eucharistico, piè vescantur edulio. Facta omnia cum religione, cum pietate. Sacris denique Spiritui Sancto peractis in Exedra conueniitur. Statis precibus premissis, schedulam; qua pro sua quisque veneratione nomen Cęlitis alicuius notauerit, in calicem opertum omnes inferunt. Eo excusso, educit æuo minimus schedulam, qua scriptum, signatumque nomen S. Doctoris Ambrosij. Omnes continuò ad aram maximam, de Præside concesso gratias agunt, hymno Te Deum lętissimè decantato. Statuitur prætere, vt die Lunæ consequenti, qui septimus ante Cal. Sancto sorte educto officium solemne, sacrumque maximum celebretur, vt in posterum ad Matutinas, ad Vesperas post S. Benedictum, de ipso commemoretur, eiusque celebritas, vt perpetua tam singularis beneficij memoria sit, singulis quibusque annis agatur postridie Idus Aprilis, quo die Ambrosius naturæ satisfecit, ita vt Sacerdotes, qui in hoc Monasterio fuerint, fungantur re diuina, ceteri verò omnes festa illa die reficiantur dapibus Eucharisticis, vt Deus, Ambrosio deprecante, clementer ignoscat, vt quæ hucusque sustinuimus, per eius pietatem, & misericordiam posthac ne sentiamus, ne subeamus. Consuetudo ad hæc vsque tempora producta est. Sanctissimè retinetur non ingrata, vt credimus, Ambrosio, cuius præsidio diu est, cùm nihil graue suscipimus.

Hinc omni ætate prodierunt viri summa inter Perusinos eruditione, & auctoritate: hinc quinque maximi Oliuetanæ disciplinæ Moderatores. Primus quidem semel, atque iterum F. Laurentius Perusinus anno 1393. & 1411. Hic Progeneralis Montmorcinio à Lanificorum Perusinorum collegio comparauit molas eidem Monasterio subiectas, & frumentariam, & oleariam Florenis aureis quadringentis. Alter, & hic bis, F. Hieronymus anno 1425. & 1427. Tertius D. Barnabas 1564. Quartus D. Io. Franciscus 1572. Quintus primùm & secūdùm anno 1593. & 1611. D. Laurentius. Sanmariani in edito colle nomine Corniolano, quo anno post Reparationem initam 1442. à Flora Francisci Pelluli Comitis Iacobi Archipreti, quem supra memorauimus, coniuge Monasterium donatum est, nobile ædificium à fundamentis erexit. D. Michael Angelus Perusinus Abbas multis meritis, literisq. vir spectabilis, dum vitam traduxit; annorum præsertim octo & decem interuallo, quibus suo propemodum nutu res Oliuetana administrabatur, cum ex his nouem sum-

Viri honore, ac virtute spectatissimi.

mi Procuratoris Officio in Vrbe perfunctus est, præclarum decus et singulare ornamentum suæ peperit & Ciuitati, & Congregationi. Potuit, fama est, tunc temporis Episcopum agere Perusinum, quod tamen ipse noluit. Tanta benignitate, & lenitate præditus fuit, vt quamuis summa, vti diximus, auctoritate fungeretur, tamen apud omnes, tantā sibi beneuolentiā conciliauerit, vt annum iam octauum & vigesimum neminem audiuerim de illo grauiter obloquetē. Abbas huius Cœnobij 1608. 14. Cal. Martias ad superos discessit magno patientiæ, et religionis exēplo, multis Perusiæ clarissimis viris, et præcipuè Neapoleone Comitulo Episcopo inuisentibus. D. Placido, quo de locuti sumus, à quo vel indignus anno 1594. in sacram hanc militiam adscriptus sum, plurimum Ciuitas Perusina debet decoris, & dignitatis. Haud mediocris homini sacrarū, humaniorumq. literarū cognitio. Alios docuit nōnullos annos. Studiosos non vulgari amore prosecutus est. Maximi Antistitis per triēnium Cancellarius, & Abbas tantumdem in M. Morcinio. Romā Procurator accersitur, vbi Non. Ian. anno partę salutis 1599. naturæ concessit. Magnā huic Monasterio fecit amplitudinē D. Barnabas Oddus Perusinus à Ferdinando Magno Etruriæ duce Florentino S. Mariæ Nouæ Hospitio summo cum honore præpositus. Montmorciniensium, & Oliuetanorum satis clarum lumen D. Euāgelista Torniolus, qui cùm apud illos honestissimum vitæ genus annis octo & triginta Occonomi, Magistri, Proabbatis, Abbatis, Visitatoris, & Procuratoris Generalis administrata prouincia coluerit, anno 1616. Paulus V. cuius Nepoti Scipioni Cardinali Burghesio obsequentissimus fuit, Episcopum Typhernensibus prefecit, & post annum Romanam S. Spiritus de Saxia Præfecturam adiecit.

Priores & Abbates in Monasterio Perusino.

Præterea meis Perusinis gratissimum fore putaui, si Priorum, postea Abbatum, qui ab anno 1379. ad hanc vsque tempestatem Montmorcinio præfuerunt Catalogum appingerem. Id quidem in quolibet Monasterio non seruauimus, cùm, quia difficillimum, ne dicam, voce minus polita, impossibile, tum quia molestissimum, & aliqua ex parte superuacuum. Detur igitur hoc, si minus cęteris, certè patrio beneficium.

PRIORES.

1379. F. Bartholomæus Treballensis.
1380. F. Victor Volaterranus.
1381. F. Duccius Arretinus. 1382.
1383. F. Laurentius Perusinus.
1384. F. Duccius Arretinus.
1385. F. Cosmas Florentinus.
1386. F. Matthæus Pratensis.
1387. F. Petrus Catalonienfis.
1388. F. Hippolytus Mediolanensis.
1389. F. Bartholomæus Perusinus.
1390. F. Laurentius de Castro S. Ioannis.
1391. F. Ioannes Vrbeuetanus. 1392.

1393. F.Victor Volaterranus.
1394. F.Ioannes Perusinus.
1395. F.Hippolytus Mediolanensis. 1396.
1397. F.Laurentius Perusinus. 1398.1399.
1400. F.Petrus Sardus.
1401. F.Laurentius Perusinus.1402.1403.
1404. F.Ludouicus Florentinus.
1405. F.Petrus Sardus.
1406. F.Hippolytus Mediolanensis.
1407. F.Ioannes Perusinus.
1408. F.Hieronymus Perusinus.1409.
1410. F.Laurentius Perusinus.
1411. F. Hieronymus Perusinus.
1412. F.Ioannes Perusinus.
1413. F.Hieronymus Perusinus.
1414. F.Melchior Politianus.
1415. F.Hieronymus Neapolitanus.
1416. F.Alexius Romanus.
1417. F.Franciscus Placentinus.
1418. F.Alexius Romanus.
1419. F.Petrus Neapolitanus.
1420. F.Simon Perusinus. 1021.1022.
1423. F.Baptista Podiobonitianus.
1424. F.Philippus Pergulensis.1425.
1426. F.Bartholomæus Mantuanus.
1427. F.Franciscus Patauinus.
1428. F.Simon Perusinus.
1429. F.Philippus Adurnus Genuensis.
1430. F.Simon Perusinus.
1431. F.Laurentius Perusinus.
1432. F.Hieronymus Perusinus.
1433. F.Simon Perusinus.
1434. F.Leonardus Cauallerius Bononiensis.
1435. F.Bartholomæus Arretinus.
1436. F.Petrus Neapolitanus.
1437. F.Philippus Adurnus Genuensis.
1438. F.Simon Perusinus.
1439. F.Bartholomæus Politianus.
1440. F.Nicolaus Sauonensis.1441.
1442. F.Augustinus Mediolanensis.
1443. F.Leonardus Cauallerius Bononien.1444.1445.1446.
1447. F.Laurentius Perusinus.1448.
1449. F.Paulus de Christianis.
1450. F.Laurentius Perusinus.

1451. F.Leonardus Cauallerius Bononiensis.
1452. F.Laurentius Perusinus.
1453. F.Io.Matthæus Perusinus.
1454. F.Petrus Interamnas.
1455. F.Leonardus Cauallerius Bononiensis.1456.
1457. F.Io.Matthæus Perusinus.
1458. F.Ioannes Perusinus.
1459. F.Leonardus Cauallerius Bononiensis.
1460. F.Nicolaus Rouerellius Ferrariensis.1461.
1462. F. Dauid Mirandulanus.
1463. F.Nicolaus Rouerellius Ferrariensis.
1464. F.Matthæus Prænestinus.
1465. F.Matthias Trebiensis.1466.
1467. F.Ioannes Veronensis.
1468. F.Maurus Pratensis.
1469. F.Placidus Senensis.
1470. F.Hieronymus Flander.
1471. F.Andreas Brixiensis.
1472. F.Bartholomęus Cambius Florentinus. 1473.1474.1475.
1476. F.Hieronymus Bendadeus Ferrariensis.1477.
1478. F.Ioannes Villatus.
1479. F.Laurentius Mutinensis.1480.
1481. F.Petrus Ferrariensis.
1482. F.Franciscus Montemuranus.
1483. F.Vincentius Mediolanensis.1484.
1485. F.Bartholomæus Mantuanus.
1486. F.Bartholomęus Perusinus.1487.
1588. F.Maurus Sarnanensis.
1489. F.Bonauentura Ferrariensis.
1490. F.Thomas Perusinus.
1491. F.Michael Volaterranus.
1492. F. Matthæus Sanctægidianensis.
1493. F.Ioannes Franciscus Perusinus.
1494. F.Thomas Perusinus.1495.
1496. F.Leonardus Porcellus Eugubinus.
1497. F.Ioannes Franciscus Perusinus.
1498. F.Thomas Perusinus.
1499. F.Ioannes Panzerius.
1500. F.Ioannes Franciscus Perusinus.1501.
1502. F.Thomas Perusinus.
1503. F.Matthæus Marlianus.1504.
1505. F.Ioannes Florentinus.
1506. F.Thomas Perusinus.1507.
1508. F.Benedictus Tonsus Mediolanensis.

1509. F.Ioannes Centensis.
1510. F.Paulus Frattensis.
1511. F.Ioannes Centensis.1512.
1513. F.Thomas Perusinus.
1514. F.Michael Volaterranus.1515.1516.
1517. F.Ioannes Florentinus.
1518. F.Maurus Bononiensis.
1519. F.Lucas de Basilicata.
1520. F.Archangelus Fliscus.
1521. F.Leonardus Porcellus.
1522. F.Simeon Perusinus.
1523. F.Laurentius Baratterius.
1524. F.Hieronymus Fabrianensis.1525.
1526. F.Andreas Cremonensis.
1527. F.Ioannes Baptista Rothius Bononiensis.1528.
1529. F.Nicolaus Leucanus.
1530. F.Franciscus Trebiensis.1531.
1532. F.Iulianus Pontanus.
1533. F.Maurus Centurionus.
1534. F.Franciscus Trebiensis.

ABBATES.

1335. F.Io.Baptista Laudensis:
1536. F.Minias Florentinus.1537.
1538. F.Franciscus Trebiensis.
1539. F.Celsus Corrigianus.
1540. F.Matthæus Anuersanus.
1541. F.Franciscus Bononiensis.
1542. F.Iulius Volaterranus.
1543. F.Angelus Bonsus Florentinus.
1544. F.Modestus Bononiensis.
1545. D.Benedictus Porrius Finariensis.
1546. D.Cassianus Eugubinus.1547.
1548. D.Ioannes Perusinus.
1549. D.Barnabas Perusinus.1550.
1551. D.Ioannes Perusinus.
1352. D.Constantinus Perusinus.1553.
1554. D.Barnabas Perusinus.
1555. D.Hieronymus Brixiensis.
1556. D.Prothasius Mediolanensis.1557.
1558. D.Barnabas Perusinus.1559.
1560. D.Athanasius Perusinus.1561.1562.1563.
1564. D.Marcus Antonius Perusinus.1565.
1566. D.Barnabas Perusinus.1567.1568.
1569. D.Michael Angelus Perusinus.

1570. D. Secundus Perusinus. 1571. 1572.
1573. D. Michael Angelus Perusinus. 1574. 1575.
1576. D. Ioannes Franciscus Perusinus.
1577. D. Laurentius Perusinus. 1578. 1579.
1580. D. Nicolaus Perusinus. 1581. 1582. 1583.
1584. D. Ioannes Baptista Valerianus Perusinus. 1585.
1586. D. Laurentius Perusinus.
1587. D. Michael Ang. Perusinus. 1588. 1589. 1590. 1591. 1592.
1593. D. Placidus Carosius Perusinus. 1594. 1595.
1596. D. Laur. Perusinus. 1597. 1598. 1599. 1600. 1601. 1602. 1603. & 1604.
1605. D. Michael Angelus Perusinus. 1606. 1607.
1608. D. Euangelista Torniolus Perusinus. 1609. 1610.
1611. D. Antonius Perusinus. 1612. 1613.
1614. D. Laurentius Perusinus. 1615.
1616. D. Cosmas Perusinus. 1617. 1618. 1619.
1620. D. Angelus Paulucius Perusinus. 1621. 1622.

F. Daniel à Fulgineo Oblat° Oliuetanus summæ religionis, et obseruantiæ.

Dum hæc prælo tradenda sunt, obit in hoc Monasterio diem suū vir maximè Religiosus, quem sanè dignum habuerunt alij quoque extra me, quo de hæc Historia mentionem habeat, ad gloriam, ad exemplum. Nomen est F. Daniel à Fulgineo natus annos circiter octoginta; triplici Religionis voto ita functus est, vt nemo non extollat. Annos triginta, & supra operam maxima cum fide præstitit D. Michaeli Angelo, qualem diximus, Antistiti. Virtutes omnes summè coluit, sed præcipuè Paupertatem, quam, & habitus semper humilis, & Cella semper inornata significauit; Ad manus si quid pecuniæ veniebat, in sacrario collocauit. Id etiam Romæ factitauit, dum disciplinam suscepturus Oliuetanam, magnum aureorum numerum attribuit. Præsidibus dicto fuit audientissimus, in templo religiosissimus, sacris potissimùm inseruiens, erga pauperes, erga familiares beneficentissimus, & amantissimus. Tanta lenitate cum morbo laborantibus egit, vt sit præclarè consolatus. Mihi incredibilis, & perpetua admiratio tolerantiæ, qua æger vtebatur, præsertim iacēs è pedibus. Tunc in lectulo nunquam non laneo quiescere sine motu, rogantique, vt valeret, respondere subridens, Vt Deo placet. Sacramentis piè susceptis ad Cœlum, quod credimus, & speramus, euolauit, cum in hac mititate, & constantia ad fatum vsque permanserit VIII. cal. Feb. anno 1622. Vitam in hoc Monasterio degit D. Maurus Perusinus Abbas benemeritus rebus præcipuè sacris eruditus. Ex probitate, qua ad perfectionem maxima cum celeritate contendit singularem apud ciues existimationem, & fidem comparauit.

De

De Monasterio Lucensi. XII.

SI quæ nostræ Congregationis Abbatia vel antiquitate, vel potestate, vel alio nomine plurimum nobilitatis habet, et ornamenti, cuiusmodi plures esse non ignoramus, Lucensis S. Pontiano sacra, qua de nũc sermonem inimus inter celeberrimas numeratur, si minus omnibus anteponenda, nulli tamen post habenda, tanta hinc rerum nascitur seges cupidis rerum antiquarum vestigatoribus, vt de hac vna longum, varium, idq; periucundum opus texeretur. Id verò potissimùm, cum ad tabulas, quæ penes nos sunt, nec sanè pauciores, aliæ quamplurimæ accederent vetustissimæ, atque originariæ, quæ ab eo seruantur, cuius nomen silentio inuoluendum est, quarum tantummodo sententiam in tabulario nostro breuem sanè, & contractam inuenimus. Ex tanta literarum copia, quas laboriosissimè peruolutauimus, quæ magis expediant, quàm commodissimè colligemus, & maximè digna, ac necessaria è tot annorum, & sæculorum tenebris in lucem, & in conspectum eorum, qui huius generis studia complectuntur, proferemus. Origo igitur Ædis, & Cœnobij, quod hodie S. Pontiani appellatur, non vbi hodie cernitur, intus nimirum, sub mænibus Lucæ, foris tamen extitit haud longiùs, positum à fundamentis ante annum septingentesimum, per Ciuem Lucensem pietate nobilem, Iacobum Diaconum in suo prædio SS. Philippo, & Iacobo Apostolis certo illuc fęminarum numero deducto, Deo operam nauare cupientium. Iacobus deinde quò maior esset loci Religio, adijt in Vrbe Pontificem, orauitq; Ioannem Nonum, Ædem Martyris cineribus cohonestare velit, cui omnes fortunas, & quæcunque obtineret, sese relicturum pollicebatur. Pontifex Cardinaliũ consilio corpus S. Pontiani Martyris, appositũ Cęmeterio Calepodij liberaliter concessit, quod Lucam transferret Martyri fidem præstiturus. Pedem retulit, se tam præclaro, ac pretioso munere donatum immortaliter gaudens, eòq. magis, quòd, & in itinere, & cum ad Vrbem ventum est, inq. templo Sanctorum Philippi, & Iacobi depositum, multa Deus per ipsum efficit miracula, pluribus cumulata beneficijs ad eum confluẽte multitudine. Quare vniuerso populo, qui ad hãc celebritatem conuenerat, audiente, Vgone præsertim Francorum rege, qui Martyris fidem implorata graui illo quidem, & curationis nescio morbo conualuerat, summo mentis ardore incensus Iacobus rerum suarum, quæ, vt dicemus permultæ fuerunt, possessione abijt voluntarius, ac dono dedit templo, cui posthac nomen frequentius, & vsitatius S. Pontiani, non SS. Philippi, & Iacobi. Sed rei cognoscendæ percupidis, quàm ocio non abundantibus, tantumq. laborem refugientibus paucis absoluemus, quæ consecuntur, pluribus licet contineantur, perlegenda sunt; tabulæ comprehendunt per illa eadem, vt conijcio, tempora conscriptæ. Hæc autem sunt.

Templum S. Pontiani olim extra Lucã à ciue pio Lucensi excitatũ fæminis quibusdã religiosis.

Fundator impetrat Romæ corpus S. Pontiani Ma.

Vgo Francorũ Rex interest Martyris depositioni

X In

Fundator omnis sua liberè templo, et Martyri relinquit.

IN nomine sanctæ, & indiu. Trinitatis. Iacobus Diaconus secundùm carnis quidem originem nobilis, & diues, sed secundùm spiritus dignitatem nobilior, ditiorque Reuerendissimum Ioannem Rom. Ecclesiæ nonum post beatū Gregorium Pontificem adiens, huiusmodi verbis humili supplicatione eum postulauit dicens. Pie Pater, & Domine, habetur iuxta ciuitatem Lucanam prope muros eiusdem ciuitatis quoddam Monasterium in honore Apostolorum Philippi, & Iacobi, quod valde mihi est in desiderium, per merita eorūdem Apostolorum, ac per bonam conuersationem Ancillarum Dei, quæ ibi ordinatè Deo obediunt, quæ quotidiè anxijs precibus Dominum precantur, vt per inuisibilem virtutem suam dignetur eis concedere aliquod venerabile corpus sanctorum suorum martyrum. Vnde multò deprecatæ sunt me famulum tuum, confidentes me hoc posse efficere apud vestram mellifluam probitatem. Ideoq; Domine mi Pater suppliciter, & deuotè deprecor tuam paternitatem, vt sollicitè labores, quatenus earum desiderium, te pio Pastore efficiente, per me famulum tuum adimpleri videant. Quòd si impletum videro coram te pie Pater ego seruus tuus promitto amore desiderati Martyris ea omnia, quæ habeo ex patrimonio offerre eidem Monasterio. Pontifex autem consilio habito cum Cardinalib. Lateranēsis Palatij, quorum nomina sunt; Gerardus, Petrus, Marcellus, Andreas, Benedictus, Martinus, & cum Guidone Hostiensi Episcopo, dedit eidem Iacobo corpus S. Pontiani Martyris præcipiens, & commonens, quatenus idem Sanctissimum corpus sui patrimonij oblatione sicut promiserat honorare studeret. Quod Iacobus debita veneratione susceptum, atque in itinere multis, & magnis miraculis declaratum ad præfatum deferens Monasterium in medio choro collocauit. Ibi dum à fidelibus omni deuotione frequentaretur, Vgo Rex venerabilis à partibus Galliæ veniens subita infirmitate toto cōtractus corpore audiens signa virtutum, & Miracula meritis S. Pontiani martyris magna deuotione ad ipsius corpus, accessit, flexisque, vt poterat genibus multis lacrymis, precibusq; profusis, qui priùs aliorum manibus sustentabatur, ita repentè propria virtute surrexit, vt manifestè omnibus clareret nullum præteritæ infirmitatis in eo remansisse vestigium. Iacobus autem Diaconus tot tantisq; miraculis in præsentia eiusdem Regis Vgonis sub testimonio ipsius Regis, & aliorum plurium pro animæ suæ remedio in his verbis totius sui patrimonij fecit scriptum testamenti. Ego Iacobus Diaconus, quamuis indignus, pro animæ suæ remedio, meorumque parentum in præsentia, & testimonio Domini Vgonis victoriosissimi Principis, & aliorum circunstantium dono, & trado sub perpetuo iudicio tibi Deo viuo, & vero, & S. Pontiano Martyri tuo, ac Philippo, & Iacobo Apostolis tuis ea omnia, quæ mihi iure eueniunt ex patrimonio, vt sint in potestate omnimoda ancillarum, vel seruorum Dei, qui per tempora officiū tibi Deo, & prædictis Apostolis, ac Sancto Pontiano persoluent. Scilicet dono, & trado curiam illā quæ Fognanum dicitur in plebe S. Genesij prope castrum Sancti Miniatis cum duabus Ecclesiis, vna quæ dedicata est in honore Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ. Alia in honore S. Margaritæ virginis cum omnibus suis pertinentijs. Ac dono, & trado aliam curiam in maritimam sitam, iuxta curiam Sācti Frigdiani cum omnibus suis pert. & aliam curiā, quæ vocatur Legulis, quæ est in plebe Pini cum omnibus pert. suis. Et curtē aliā in qua est Eccl. S. Ambrosij cū oībus suis pert. sita in loco, qui Seletus nuncupatur. Et aliā curtē cum o. s. p. in qua sunt duæ Ecclesiæ vna in loco, qui vocatur

vocatur Arena vbi dicitur Vrbaule, & alia vbi dicitur Tabiario, quas vtrasq; ad huius mei testamenti memoriam dedicatas volo in honorẽ S. Pontiani Martyris. Et aliam curtem in loco, qui vocatur Cascius, in qua est Ecclesia Sancti Stephani prothomartyris. Alia verò in loco, qui vocatur Barga, vbi constituta est Ecclesia in honorem Sancti Viti Martyris. Hæc omnia eo tenore dono, & trado, quatenus nec ego Iacobus, nec aliquis loco mei ex omnibus prædictis sibi iure vendicare valeat. Quod si aliquis ex his omnibus inde violenter rapuerit, vlciscatur hoc ipse Deus pro cuius amore beatissimus martyr Pontianus, cui hæc omnia offero, voluit à carnificibus interfici. Hoc testamentale scriptum Dominus Iacobus coram prædicto Rege, & reliquis præsentibus obtulit super beatissimi Pontiani martyris corpus. His peractis totius populi Lucensis postulatione, ac prædicti Regis Vgonis consensu, & rogatu, idem Iacobus electus, & in Ecclesia beati Martini inthronizatus, cum eodem Rege Romam petens à venerabili supradicto Ioanne Pontifice Lucensi Ecclesiæ consecratus Episcopus priuilegium à pijssimo tunc coronato Imperatore Vgone in præsentia Domini Papæ accepit, vt Ecclesia Apostolorum Philippi, & Iacobi, in qua erat corpus beati Pontiani Martyris erepta à suo, & aliorum omnium dominio subijceretur potestati Apostolicæ Sedis in perpetuum. Dehinc venerabilis Papa vnà cum Cardinalibus fecit decretum ex eadem Ecclesia anathematis vinculo innodatum, quòd si quis prædictam Ecclesiam violenter opprimeret nunquã consequeretur misericordiã, nec ab anathematis vinculo vllo remedio solui valeret, nisi pro emendatione culpæ. Accepto itaque Priuilegio, & decreto Dominus Iacobus Episcopus hilaris remeauit ad propria, & ieiunio cum clero, ac populo ciuitatis celebrato pretiosum corpus martyris de choro, in quo, per menses tres fuerat custoditum, leuans, altare super ipsum Corpus in eadem Ecclesia consecrauit. Die Calendarum Ianuariarum iuxta altare Apostolorum Philippi, & Iacobi, & missa super eodem altare celebrata. Dedit ibi calicem aureum, patenam purpuream, & thurribulum argenteum. Translatum est autem corpus S. Mart. Pont. ab Vrbe Roma de via Aurelia in Lucanam Ciuitatem, & apud Basilicam beatorum Apostolorum Philippi, & Iacobi Nongentesimo quarto anno ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi, Temporibus Domni Ioannis reuerendissimi Papæ, & Vgonis Serenissimi Imperatoris reuerenter collocatum est.

HAud longo post temporis interuallo (ignarus quomodo) corruit Monasterium, & funditus propemodum euersum est, insignis tamen fœmina colendæ pietatis studiosissima, quæ Vuilla dicebatur, Marchionis Vgonis parens reparauit, & in pristinum restituit. Patet ex literis Othonis Imperatoris anno salutis 990. Perpetuam sacri huius loci tutelam, patrocinium, pollicetur pro voluntate, inquit, Iacobi, cui in optatis fuit, vt omnes Imperatoria dignitate nobiles singulariter pro illo excubarent. Commemorat, firmatq. Ædes ab Institutore donatas, cum aliquo tamen verborum discrimine, hoc est, *Ecclesiam S. Pontiani in loco Arenæ, & Curtem Vrbanulæ cum Ecclesia S. Pontiani ipsius Curtis cum omnibus pertinentijs suis. Ecclesiam Sancti Stephani in montanis sitam in loco Casso, Ecclesiam Sancti Viti in loco, qui dicitur Barga, Ecclesiam Sancti Saluatoris sitam*

Ruit Monasteriũ, Clarissima, & pijssima fœmina refecit.

Imperatores sunt in tutela, & patrocinio.

infra ciuitatem Lucensem propè Pusterulam S. Romani, & piscariam de Flesso, quæ est in flumine Ausere cum o.p.s.scilicet cum omnibus alijs curtibus, locis, & vocabulis, Ecclesiis, villis, vicis &c. Idem prorsus anno Christi 1027. Corradus Imperator, ædium quas percensuimus, his duntaxat expresis, S. Saluatoris, S. Stephani, & S. Pontiani cum adnexis. Anno autem 1099. Comes Matilde diuinitus afflata agrum Monasterio proximum attribuit, in quo Hospitium fuerat, cui domicilia iuuandis pauperibus necessaria accesserant. Super hæc in literis Lucij Pontificis anno 1181. datis, longè plures numerantur Ædes, quarum à superioribus tum Pontificibus, tum Imperatoribus mentio prorsus nulla, nimirùm. *Villam de Carisio cum Curte, & districtu, & omnibus pertinentijs eius cum flumine Regulo. Ecclesiã Sancti Michaelis de Monte Ruttulo &c. cum Ecclesia Sancti Cerbonij &c. Et partem in Eccl. S. Iusti &c. cum Eccl. S. Andreæ &c. Eccl. S. Pontiani cum podio &c. Eccl. S. Petri de Libiana &c. Eccl. S. Mariæ de Griciana &c. Ecclesia S. Frigdiani de Pomponian. &c. Ecclesia S. Andreæ de Raui &c. Eccl. S. Geminiani &c.* Alias adiungit Innoc. IV. anno Domini 1252. statuitque, ad

Iūgitur S. Benedicto de Mātua Cassinēsi, & familia constituitur.

Monasterium vt antea pertinere. Videlicet, *Monasterium S. Mariæ de Carignano cum omnibus suis pertinentijs. Cappellam S. Andreæ de Bruslegno, Cappellam S. Blasij de Bosignano, Cappellã S. Iusti de Marlia, Cappellã S. Cassiani de Guamo, Cappellam S. Blasij de Altipesia, Cappellã S. Saluatoris de Vaccule, Cappellã S. Laurentij de Bopido, Capp. S. Petri de Guzano, Capp. S. Romani sitam in Ciuitate Lucana, Capp. S. Mariæ inter classos, Capp. S. Genesij, Cappellã S. Geminiani, Capp. S. Benedicti (alibi de Palatio) cum omnibus suis pert.* Verũtamẽ hoc Monasterium S. Pontiani licet vetustate & in tam multas ædes potestate nobilius & illustrius, procedente quidem tempore Cœnobio S. Benedicti de Padulirone Mantuano appositum est, Abbate cum familia Cassinensi administrationis gratia relicto. A suo autem instituto, cui

Greg. XI. Cassinēsib' amouēs. Ipso Lucēsi assignat. Nō multò post Oliuetanis attribuit.

studium fuerat, aberrantibus, vt, siue humana, siue diuina spectentur, in deterrimum res locum redacta sit; Gregorius XI. in triennium, dum subeat, quemadmodum reparet, & in pristinum splendorem tam insigne Monasterium restituat, Lucensi Episcopo attribuit. Neque diu absuit, quandoquidem plurimùm studebat nouæ Congregationi, perpetuò nostris tradendum existimauit, quippè qui tunc temporis Monasticam disciplinam acerrimè tuerentur. Iubet igitur Antistitẽ edicere, liberum posthac, solutum, nec Mantuani, sed Oliuetani iuris futurum, nobisque permittere. Summus noster Cœnobiarcha, re cognita, F. Iacobum Aldrighetum Patauinum, F. Victorium Volaterranum, & F. Bartholomæum, & F. Andream Senenses syndicos, Procuratores & quod aiunt, reformatores pronunciauit, Lucamque dimissis 6. Id. Septembris anno Seruatoris 1378. Præses dedit legitimè possidendum. Ad decimum & centesimum ea in sede Oliuetani, vnde anno 1488. demigrandum. Lucensis enim Senatus Vrbem præmuniturus, &, quantum liceat aduersus eorum, qui progrediente tempore in eos arma capesserent, impetus validissimos firmaturus, Ædem & Cœnobium Sancti Pontiani solo

planè

planè censuit exæquanda Portis maximè propinqua in oppugnatione receptaculum Aduersarijs, & munimentum. Aequissimum verò existimabatur, vt alia sedes destinaretur honorificæ corporis S. Pontiani, aliorūq. sacrorū Cinerum, qui quidem illic adseruabantur, translationi, & honesto Monachorum sanctissimè viuentium domicilio consentanea. Vt quidem inter Oliuetanos, & Ciues diù multūq. exagitatum, & vtrisq. sacra, quæ diximus, pigniora transportando acquiescentibus, loca non pauca subueniunt in Vrbe, quā ædificationem Cœnobij capere possint. Idoneus, aptusq. demum supra cæteros habetur S. Bartholomei in Silice, in suburbijs, sed tamen intra mænia Monasteriū quōdam Benedictinum, pauloante à Pontifice Commendationis titulo exornatum, proximè verò Hospitio S. Lucæ de Misericordia aggregatum. Agitur cum Rectore domus Hospitalis. Scitum denique post varia meditamenta, vt Aedes Hospitalis possessiones, omnes, & facultates S. Bartholomæi obtineát, Oliuetani ædificia, atq. curialibus sacræ procurationis munus, assumát, noua licet moles extruat, vtroq. nomine appellaretur S. Pontiani, et Bartholomæi Abbatia, siue Monasteriū, ex eo vtrisq. illato incōmodo, Aedi Hospitali Resp. aureos centum ex agris erogaret, mille verò Monachis, aut vetera instauraturis, aut noua excitaturis enumeraret. A Pontifice confirmatione impetrata postridie Non. Quinctilis ad Monasteriū SS. Pontiani & Bartholomæi, quod et hodie obtinemus commigrarunt. Leo X. anno ab orbe redempto 1513. auget Abbatia S. Saluatoris & Salmani, siue Saluiani de Sexto Camaldulense in Lucensi, vetustissima quidem, & quod demonstrabimus, clarissima. Tenebat ea tempestate Commendatarius Arnolphinus Lucensis Clericus, & Prothonotarius Apostolicus, qui erga nos optimè animatus, vt nobis traderetur, summa ape contendit: Is obijt Lucæ sex & sexaginta annos natus 16. Calen. Maias anno à Redemptoris ortu 1536. & vespera ad secundam noctis Monachorū humeris ad nostram Aedem deportatur tumulo mandandus in Sacello Virgini Assumptę sacro, tricenario censu ab ipso in singulos annos assignato. Et si quid de hac Abbatia dicendum, eius initium anno salutis 668. à Salmiano Constantis Imperatoris filio, qui annuente Pontifice, & charitate filij, qui ædificium struxit, ibique conditus, S. Saluatoris & Salmiani titulo appellari voluit. Sextum Lucenses donarunt, cum annus laberetur à Virgine Deipara 732. Leonis Imperatoris impulsu. Inducti primò Benedictini, qui tot opes adepti, tot eaque maximi ponderis iurisq. oppida, totq. Aedes, ædiculasq. moliti, quot dicendo per sequi lōgum sanè, si minus superuacaneū, siue potius impossibile esset, tum maximè hac ętate, cum alt rex Principum imperio non possidentur, qui, siue iure belli, siue alia ratione, occuparunt quæque aut æuo, aut mille casibus ita collapsæ, vti simplex dumtaxat appellatio non ignoretur. Ea donatis à Pontifice extra Parœciam S. Mariæ de Cursu Abbatiæ olim inhærentem nihil præterea assignatur, quapropter neq. ipse de hac re plura. Inde à Pio IIII. accepimus cum sacrorum administratione

Ad S. Bartholomæi à Vrbe transsitur euerso, gratiâ munimenti, S. Pontiano.

Abbatia S. Saluatoris de Sexto à Pontifice tribuitur.

Abbatiæ Commendatarius humeris Monachorū ad Monasterium effertur.

Salmianus Filius Constantis Imperatoris ædificauit Abbatiā.


S.Bartholomaeus de Rota. tione Aedem S.Bartholomæi de Rota, quam reliquerat Raphael Girido tius, non modo vt res illic diuina augesceret, verùm etiam vt eo, qui locus cœlo longe clementiori, et salubriori, quàm Cœnobium S. Pontiani, sese conferrent Oliuetani morbo impliciti, vt in diplomate dato 15. [Cal. Martias anno 1562. latè exponitur. Cæterùm [Monasterij templum repetamus. Exhibent ad venerationem dominici sanguinis vasculum à Præside Lucensi anno salutis 781. cum alijs non leui pretio Reliquijs repertum in postica sacræ illius Imaginis Crucifixi, qui popularibus Vultus sanctus, à Nicodemo, nonnullorum iudicio, elaboratus, et multos post annos nauigio impositus nullo vectore ad perantiquum Lunæ oppidum applicuit, vnde prædicto anno Lucam transfertur, vbi, quod neminem latet, honorificentissimè custoditur. Hic fortassis cruror ille, Cæsar ait Fràciottus in sua de Vulto Sãcto Historia, quẽ è Christo deposito Nicodemus (detergere.n. cruce suspensos ante sepulturã consueuere) spũgijs excepit, siue potius diuinitus expressus idẽ planè aut alius persimilis, atq. ille, quo de, tempore præsertim conspirante, superiùs dictum est, cum & Pisis apud nos nõnihil huiusmodi esse perhibuimus. Sub ara maxima inclusum latet, vt videre non sit, quod & docuimus antea, corpus S.Pontiani Martyris. Illa tñ conspiciuntur SS. Sixti et Stephani Pontificum & Martyrum, Hippolyti Martyris, & Faustæ Virginis & Martyris Capita, Pars brachij S. Bartholomæi Apostoli, Tali duo, ossa primaria duo, totidem costę, & vnum denique calceamentum S. Brittanniæ Regis Riccardi. Tali duo, pars capitis, & pleraq. S.Cæsarij Diaconi et Martyris ossa, quędam particulæ, & dens S. Vincentij Martyris. Alia demum SS. Andreæ Apostoli, & Simeonis Monachi. Cætera ferè nomine carentia. Dignissimam quoque, quam suo quisquã sensu contempletur, et admiretur in Aede per exigua dicitur S. Antonij stantis ligneum simulacrum præclàri Sculptoris, siue Statuarij Donatelli opus egregium.

Est in hoc Templo venerabile vasculũ sãguinis Dominici.

Imago Crucifixi, qui vulgo dicit Vultus sãctus.

Reliquiæ, quibus hæc sacra Aedes illustratur.

De Monasterio Vendano. XIII.



TOllitur inter Euganeos in Patauino mõs cæterorũ editissimus qui, Veneri, vt loquuntur, olim sacer, Venda nuncupatur. Huius in summo propemodũm vertice ad Austrum angustum potius, quam latè patens Diuo Baptistæ dicatum, quo de verba modo facienda sunt Monasterium constitutum est. Et qm̃ hic breuis extat Historia membranis conscripta, cœnobij antiquam, & veram (quod ex verborum puritate, ac simplicitate conspicimus) sanctam Originem & molitionem complectens, omissum ne quid faciam, vnde maiorem opus comparare possit auctoritatem, describendi hoc loco mens est.

Antiqua Vendaræ Eremi Historia.

B. Adam de Torilia.

P*Rimus habitator huius venerabilis loci Mõtis de Venda, secundũ quòd antiqui viri posteris retulerunt, fuit quidam vir de Torilia Adam nomine Monachus* S.Iu-

S. Iustinæ de Padua. Iste primus vitam eremiticam duxit, & inter saxa ingentia sibi arctissimam constituens mansionem diuturnis ieiunijs afflixit, & macerauit corpus suum. Qui secundũ nostram extimationẽ obijt tempore Alexandri III. Papæ de Senis, & prani Federici Barbarossa, qui Mediolanum distruxit. Quorum gesta apud Venetias narrantur, qui regnauerũt, & pugnauerũt inuicẽ in millesimo cẽtesimo septuagesimo secũdo. Cuius venerabilis Adæ ossa in eius cella in qua viuus habitauerat annis amplius octuaginta inhumata manserunt in eadem cauerna saxi, in qua se .... Vir beatus cum migrauit ad Dominum. Iste habuit quendam militem sibi pro amore Christi fideliter seruientem virtute patientiæ ornatum, qui iuxta eamdem cellam post obitum Domini sui est sepultus. Post verò transitum prædictorũ quidam alij successerunt, sed non finaliter perseuerauerunt. Ex quibus fuerunt duo viri Religiosi, quorũ vnus vocatus est Dominus Dagus, & alius Dominus Gerardus, post istos autem Dominus Villanus de Maserada territorij Paduæ Monachus S. Iustinæ miræ simplicitatis in montem istum de Venda ascendit, & Ecclesiã paruulam prope eamdem cauernam sibi contruxit, quam Reuerendus Pater D. Gerardus Episcopus Paduæ consecrauit sub nomine S. Michaelis Archangeli. Iste in loco isto de Venda vsque in finem in prædicto Eremitorio, siue cauerna saxi vitam deuotissimam duxit, & feliciter obijt anno Domini 1212. 23. Februarij. Anno autem Domini 1209. adhuc viuente Domino Villano, Dominus Presbyter Albericus de Burgorico Paduæ, & venerabilis pater Stephanus de Trimognone Paduæ territorij Abbas S. Iustinæ de Padua homo benæ simplicitatis prius Abbatia, officio & dignitate deposita ascendit in montem de Venda 46. die post ascensum prædicti Domini Alberici, & ibidem deuotissimè Domino Iesu Christo militauit vsq. in finem; sed præfati Domini Alberici summa perfectio fuit in magna, & continua abstinentia, & residentia continua in loco isto de Venda. Iste fuit homo constans seuerus, maturus, & à Religionis vigore penitus non recedens. Isti Beati Patres. s. Dominus Albericus, & Dominus Stephanus sanctissimã vitam Eremiticam duxerunt vsq. ad finem, & fæliciter consummatis in sancta cõuersatione simul 32 annis in eodem anno secũdus post primũ 46. diebus interpositis, sicut fuerant à Domino ad Eremiticam vitã vocati, sic pariter ad æternam vitã beato fine feliciter transierũt. Isti duo sancti patres scilicet Albericus, & Stephanus eorum sancta vita, & fama, tam larga & copiosa bona mobilia, & immobilia acquisiuerunt à deuotis personis, quòd à fundamentis omnes domos dicti loci de Venda, & Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ ædificauerunt, quam et R. P. Iordanus Episcopus Paduæ consecrauit sub dicto nomine, mutato nomine prioris Ecclesiæ, quod opinamur factum ex eo, quod piè creditur digitum S. Ioannis Baptistæ, qui illic honorifice ostenditur, tunc illuc portatum fuisse. Cuius meritis in eadem Ecclesia innumerabilia miracula comprobantur vsque in hodiernum diem. Item post constructionem Monasterij, et Ecclesiæ S. Ioannis prædicti sancti Patres Albericus, & Stephanus fecerunt de nouo Monasteriũ S. Leonardi de Beccone, & dotauerunt illud copiosè, & de proprijs bonis Monasterij S. Ioannis Baptistæ de Venda, & posuerunt in dicto Monasterio Moniales mulieres deuotas in habitu albo sicut fratres de Venda ibi perseuerauerũt cum honesta conuersatione, & bona fama vsq. ad annum 1380. quo translatum fuit Monasterium de Venda in ordinem S. Mariæ

S. Michaelis Aedicula.

B. Albericus Burgoricanus Patauin. B. Stephanus Trimonensis Patauin.

S. Io. Baptistæ digitus.

Monasterium S. Leonardi Bucconensis.

Mariæ Montis Oliueti, quarum sex cum Abbatissa proprijs oculis vidimus illic. s. in S. Leonardo de Boccone habitantes sub habitu, et disciplina Prioris S. Ioannis de Venda. Isti duo Patres Albericus, & Stephanus fuerunt uenerabiles viri, & statura proceri, qui non solum salubri locutione, sed et vultus grauitate, ac morũ venustate, & suo venerabili & deuoto aspectu homines ad deuotionis dulcedinem inducebant. Nec mirum quoniam in quibus Deus lux virtutum habitabat per eos refulgebat, & suam gratiam cæteris refundebant. Beatus Albericus migrauit ad Dominum anno Domini 1241. 2. Augusti. Post cuius fœlicem obitum B. Stephanus eius socius secutus est illum die 16. Septembris, & sic diebus 46. post alium mortuus est. Quorum corpora in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ sunt simul sepulta in vna arca marmorea, vt quemadmodum se in Deo dilexerunt in vita sua, sic & in morte non essent separati. Et prope eamdem arcam ad caput ossa venerabilis Eremitæ Adæ de cauerna saxorum translata in monumento paruissimo fuerunt reuerenter collocata & altare S. Michaelis Archangeli de consilio & voluntate R. P. Domini Episcopi Paduæ fuit ab illa prima Ecclesiola remotum & collocatum in prædicta Ecclesia S. Io. Baptistæ propter insolentiam mulierum, quæ sub colore deuotionis volunt omnia & singula impudenter percurrere & perscrutari: sed & postmodum in illa Ecclesia prima altari viduata, & diuinis destituta fuit funditus destructa. Eremum autem & illam cauernam saxorum, in qua isti sancti Patres Eremitæ primo habitauerunt proprijs oculis vidimus & adorauimus, & inuiolabiliter permanserunt vsque ad annum Domini 1397. Lau: Saluatori. Hæc ex antiquissimis testimonijs recepta & alibi scripta hic reposita sunt auctore R. P. Domino Domino Petro Marcello dignissimo Patauino Antistite in Venda ob pestem habitante 1427. die 24. Nou.

B. Adam⁹ prim⁹ hãc Eremũ incoluit, quẽ secuti & alij non pauci.

ERgo annum Christianæ salutis 1159. siue paulo vlteriùs Vendaua Eremus per B. Adamum habitari cœpta est, quem deinceps Dagus, Gherardus, & Villanus Iustinensis consecuti sunt. Is S. Michaelis ædiculam hoc loco excitauit, quam ibi fuisse putant vbi Ædes ad solis ortum foris spectat, exiguum quoddam sacellum conspicitur magno saxo impositum, quo tempore stabat etiam S. Ioannis Ecclesia, Mulier enim Beatrix nomine Castronouana, iugero anno humanæ reparationis 1209. in agro Bucconensi Vendanis delato postulat sepulturam iuxta Ecclesias S. Michaelis, & S. Ioannis in Venda, idque in manibus Domini Gherardi Presbyteri (hoc ferè, id est Presbyterorum nomine primæuos illos Patres tabulæ appellant) pro ipsis Ecclesijs recipientis. His autem succedunt Albericus Borgoricanus, siue, quod legitur alibi, Bucconensis, & Stephanus Tremonionensis, qui (teste Iacobo Cauacio, per quem an. 1606. Cœnobij S. Iustinæ Patauinæ in lucem editæ sunt Historiæ) cum hic Abbatis personam triennio sustinuisset, solitudinis cupidissimus & humana quæque fastidiens per incommoda, quibus viri quidam præpotentes Monasterium affecerant, rebus omnibus sapientissimè compositis, anno 1209. in Vendam ascendit. Albericus, Stephanus, & alius nomine Manfredus, multa, quemadmodum significatum est, bono exemplo assequũtur.

Primi huius Eremi cultores Virginib. non longè Monasteriũ ædificant, dotantque.

tur. Quamobrem anno Christi seruatoris 1229. Bucconi, qui proximus Monasterio vicus est, sacris Deo Virginibus titulo SS. Leonardi, Viti, & Modesti Cœnobium fabricantur, cui Albericus Vendæ Prior Sodalibus Stephano, & Manfredo consentientibus, prædia omnia, quæ ipsi apud Buconenses obtinebant, condonat. Virgines sanè frequentes in ædibus S. Leonardi consident Priori Vendano subiectæ ad annum vsque Christianum 1380. Visitur hodie, vt loquuntur, huius fabricæ vestigium, templum nimirũ cũ aliqua, vel minima portione edificij, vbi paucos ante annos aliquod interdum celebrabatur sacrificium, & quicquid sit habet in præsentia virgines, quæ Patauij ad S. Matthiæ vitam degunt, atq. hinc perquàm simile vero est, quod vulgò opinantur, illas esse Buconenses. Sed Vẽdanum repetamus, cui ex tabulis iam S. Michaelis, iam S. Ioannis dumtaxat, iam S. Ioannis, & Michaelis vna appellatio est. Beatis Alberico, & Stephano vita functis, alij deinde siue Eremicolæ, siue Monachi (vtroque etenim nomine vocitabant) ad annum vsque 1380. incoluerunt, cum Raymundus Patauinorum Episcopus, cui pariter atque alijs eum in Episcopatu antegressis in Vendanos imperium est, dirutum planũ Cœnobium perspiciens, & omni regularis vitæ obseruantia destitutũ Oliuetanorum integritate cognitã, Ioanne etiam, qui Prioris munere Patauij S. Benedictum moderabatur, ea in re Francisci Carrariensis Patauinæ Reipublicæ Principis Procuratore, & permittente, & assentiente, nobis Vendanas ædes attribuit. Et F. Michael Pratensis, qui Bononiæ in S. Michaelis de Busco Priorem agebat, maximi Præsidis iussu cum socijs viginti eodem anno, quo die S. Agnetis natalitia sunt, Vendæ possessionem inijt. Cernitur hic pretiosus, piusque thesaurus dignissimum pignus, hoc est, quem paulò ante significauimus Ioan. Baptistæ digitus. Tenet fama, & Bernardinus Scardeonius affirmat, alterum dexteræ digitum esse, quem Latini indicem nominant, quo Redemptorem Mundi cupidæ multitudini indicauit, illis vocibus, Ecce agnus Dei. Theca argentea custodiunt inaurata, & quidem honorabili & 4. Cal. Sept. magno mortalium eò pro religione confluentium numero ex multis inde passuum millibus ad venerationem exhibetur, exponiturque. Quo & loco & tempore Venda tanto pignore cohonestata sit, notum haud cuiquam est. Nullum siue antiquius, seu verius est monumentum; quàm quod Historiæ superius adscriptæ & ferè ducentesimum ante annum conscriptæ conditor testatum facit, Digitum illum talem prorsus scilicet, videlicet Ioannis, habitum, & debita veneratione affectum. Ac si eidem scriptori fidem esse volumus, asserenti, & sua tempestate homines ita opinatos S. Michaelis nomen, quòd antea templo Vendano fuerat in S. Ioannis appellationem commutatum, cum eius digitus illò delatus sit, & cum eo nomine appellatum Cœnobium post annum seculi duodecimi quartum ex tabulis ipsis apparet, iam inde cum Ædes tam claro, tamque insigni munere exornata est annos amplius 400. effluxisse dicendum est. Est demum Vendano Monasterio Parœcia, & Archipresbyteratus titulo in eo-

Episcopus Patauij dat Vendam Oliuetanis.

Seruatur hoc loco digitus dexteræ S. Io. Baptistæ.

dem, quo de toties meminimus, vico Bucconio, qua à Paulo III. anno Domini 1536. donatum est.

De Monasterio Pistoriensi. XIV.

Auctores Cœnobij.



Vo sunt, quibus Pistoriensis Cœnobij fabricationem adscribamus, Petrus Gulielmi Guidotti, & Bartholomæus Frāchus ex optimatibus Pistorij Prothonotarius Apostolicus, & S. Stephani de Prato Præpositus. Petrus non insciente, vt conijcio, quin cōsentiente Bartholomæo anno à Virginis partu 1380. 3. Non. Iunias, & F. Antonio Pistoriēsi, & F. Marco Volaterrano, qui huic negocio publicè à Cōgregatione destinati, dono dedit agellum sex terræ modios complectentem Pistorij in loco, qui populari vocabulo, Ad Stallonem, prouincia imposita Oliuetanum, & S. Benedicti nomine Cœnobium extruendi, ante biennium inchoandum, quod proximè factum est 5. Cal. Sept. Ioannes Florentinus Episcopus solemni ritu primarium lapidem consecrat, & collocat. Bartholomæus verò, qui ea in re non immeritò Princeps existimatur, quem de suo crediderint, cum instituendū, tum ad exitum vsq; perducendum curasse, Romæ cum ageret, anno Domini 1383. dotalem Censum assignauit ex nonnullis prędijs constantem, quorum alterum in Vico, cui nomen Castellarium, alter verò vbi Canapale, & iugera aliquot, fructibus tamen viuo sepositis. Idem Episcopus optimè de hoc Cœnobio meritus est. Etenim quæ ad sacræ fabricationis initium pertinerēt rite peractis, *deuotè considerans* (ad uerbum reddo quę in suis tabulis Præses, quod aliàs factum est, vt posteri quanti nos fuerimus intelligant) *quod idem Ordo inter cæteras sacras Religiones, quasi Sol in Dei templo refulgens respicientium ad eum mentes illuminat, & quietis vmbraculum tribuit sub mundanæ miseriæ sarcina fatigatis, virosque producit Deo deuotos, ac pudicitiæ nitore præclaros, currentes sub sanctæ Religionis obseruantia in huius sæculi stadio, vt beatitudinis æternæ comprehendant; Ac verisimiliter sperans, ac planè confidens, quòd per eorumdem fratrum solertiam, sollicitudinem, & circumspectionis industriam, ac obseruantiam exemplarem, Hospitale S. Mariæ de Osnello Pistoriensis Dioec. in quo propter guerras, & occupatores iurium, & bonorum illius retroactis multis temporibus Hospitalitas seruata non fuit, & in suis ædificijs, bonis, & iuribus multipliciter est collapsum, suum pristinum in conspectu Dei, & hominum recuperabit decorem, & multiplicibus in spiritualibus, & temporalibus proficiet incremētis,* Oliuetanis iūgit. Per antiquū Xenodochiū est, & à sūmis Pōtificibus, alijsq., aliqua tamē varietate, annū ante quadringētesimū nominatur. Alexander IV. anno 1257. Hospitale S. Mariæ de Asnello, & 1283. Hospitale S. Mariæ de Bella, & Sancti Osnellę; alibi, in strata publica constituti, appellat. Honorius IV. anno 1287. Hospitale vocat S. Mariæ de Sancto Osnello ord. S. Augustini. Plures tabulæ testantur aliquot ibi vixisse Canonicos: Ædes S. Mariæ de Aglana, & S.

Xenodochium S. Mariæ de Asnello. Aedes S. Mariæ de Aglana, & S. Petri de Seiano.

Petri

Petri de Sciano animarum procuratione adiunctâ in Pistoriensi, quæ à Monasterio tranquillè possidentur excipiuntur, à Sinibaldo Lazzario clarissimo viro (iure Patronatus obtinebat) eo conuento, vt in Monasterio aliquot præterea alerentur Monachi, qui anniuersario, eoque tamen præcipuo cultu Assumptæ Virginis, & S. Petri Apostoli celebritatem venerarentur, & in vtraque Aede semel in hebdomada sacra fierent, vt in diplomate Nicolai Quinti Nonis Ianuarijs edito.

De Monasterio Quartano. XV.

Subobscura quædam nactus sum de origine huius Monasterij. Plerisque conditor Alphonsus quidam Episcopus Giennensis Hispanus, vt docebimus. Extat tamen, Augustinenses aliquot, atque ni fallor, ex Hispania oriundos Ioannis Castellæ Regis tyrannidi se subducentes Genuam applicitos à Pontifice (annus erat Christianus 1383.) sibi S. Hieronymi titulo Cœnobium facultatem impetrasse fabricandi, nulla Præsidis mentione in literis, quas Historiam omnino complectentes huc transtulimus.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Sancio, & Turibio de Serra fratribus domus S. Mariæ de Agnago Ord. S. August. Palentinæ Dioc. Sal. & Apostol. benedictionem. Sacræ Religionis sub qua deuotum, & sedulum exhibetis Domino famulatum promeretur honestas, vt votis vestris, illis præsertim, per quæ diuinus cultus augeri, & vestra religio propagari valeat, fauorabiliter annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quòd dudum iniquitatis filius Ioannes, qui pro rege Castellæ, & Legionis se gerebat, & gerit propriæ salutis immemor deliberasset, & asseruisset se & gentes regnorum Castellæ Legionis velle, & debere maledictionis alumno Roberto olim Basilicæ duodecim Apostolorum presbytero Cardinali, nunc Antipapæ, qui se Clementem Papam ausu temerario nominare præsumit etiam post, & contra processus per nos contra ipsum Robertum, & sequaces, & fautores suos, eique adhærentes factos, & solemniter publicatos, per quos eumdem Robertum tanquam hæreticum, & scismaticum puniendum sententialiter condemnauimus, tanquam Romano Pontifici ....adhærere, ac fauere, & eiusdem Roberti Antipapæ mãdatis obedire; vosque attendentes quòd in domo S. Mariæ de Agnago Ord. S. August. Palentinæ diœcesis, cuius tunc tu fili Sanci Prior eras propter tyrannidem dicti Ioannis, qui personas Ecclesiasticas compellebat de facto ad obediendum præfato Roberto nõ poteratis, prout nec potestis, salua conscientia, commodè remanere, vos duo, & quidam alius eiusdem ordinis professor ad ciuitatem Ianuensem in nostra & Sedis Apostolicæ obedientia persistentem transtulistis. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, vos cupiatis in dicta Ciuitate vel Diœc. Ianuensi vnum Monasterium eiusdem Ord. & sub vocabulo S. Hieronymi, in quo possitis altissimo deuotum reddere famulatum fundare, & construi facere cum Ecclesia, campanili,

Litera asfirmantes Augustinenses a se quosextruxisse.

campana, cœmeterio, ac domibus, & alijs necessarijs officinis, pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum, vt vobis faciendi præmissa de spirituali gratia concedere dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati vobis fundandi &c. construendi, seu fundari & construi faciendi huiusmodi Monasterium cum campanili &c. in loco ad hoc congruo & honesto &c. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum. Nonis Augusti. Pontificatus nostri Anno quinto.

EPiscopum verò altera ex parte auctorem fuisse tabulę fideles efficiũt; quibus eodem anno 15 Cal. Ianuarias libris centum & mille Quarti possessionem comparat, Sangenesiorum dicebatur, in ædificationem Cœnobij, eumque institutorem asserit idem Pontifex, quinto post anno, quàm literæ datę sunt, approbato consilio, vt Monasterium ab ipso conditum, inquit ille, nostræ adiungatur Congregationi. Censendum igitur, Augustinenses illos, facta sibi ab eo, qui Petri vicem, excitandi potestate Monasterij, cum ex inopia, vel ex alia re voto celerius fungi non possent, Antistitem, & ipsum, quantùm ex tabulis perspicio, eidem Regi concedentem desęruienti, Genuam interea excendisse, vbi sodalibus inuentis, tam piam, sanctamq; prouinciam vehementissimè aggressus est. Quę ne per Episcopum quidem absoluta esset, nisi imperio suo Pontifex, hac videlicet ratione, opem attulisset. Testamentarios executores insserat Gasparonus Aliornus Astensis, alijque nonnulli Genuenses, maximam pecuniæ uim hominibus, locisque egestate laborantibus distribuere, libras quidem centum in capita, in loca verò ducentas. Cum nescio quis Pontificem admonuit, inchoatum Quarti Monasterium, non tamen absoluendum, non dotandum, nisi largiter per aliquem subueniretur: Pontifex Ioanni, qui Genuæ S. Stephani Cœnobio Abbas præerat, id oneris iniunxit, tantùm vt niteretur, vt, nihil obstante Testatoris voluntate, duo millia librarum ex ea pecunia in fabricationem, dotemq. Monasterij S. Hieronymi insumerentur. Ita factum. Illorum deinde familia constituta cum Priore, qui pro more imperaret. Verum non diu mansit, nedum numero aucta est; quinimo, vita excedente Sancio Priore, & superstite solùm F. Innocentio, cũ nullus esset, qui hoc vitæ genus amplexaretur, Episcopus & Innocentius nonnihil extimescens, ne diuino cultu prorsus destitueretur Monasterium, adeo vt aliquam piorum virorum speciem inducere cogitauerint, qui ea memoria illustriori sanctitatis fama apud sapientes viros inclarescerent. Oliuetanis igitur animum adiecere; Voto faciliùs potiturus Episcopus ipse Senas haud grauatè profectus est, idque negocij cum summo Cœnobiarcha communicauit. Is, qui sedem spectarent, & contemplarentur, misit, F. Stephanum Pandolphinum Pisanum Priorem Aniani, & F. Victorem Volaterranum Lucæ Abbatem. Constitutum autem, vt acciperent. Dum hæc aguntur nihil cessans Episcopus Pontificem de applicatione Abbati S. Stephani demandata literas exorauit. Abbas anno proximè consequenti, ad M. Oliuetum F. Ioannē de Miranda Hispanum socium Episcopi delegauit,

Traditur Oliuetanis.

Oliue-

Oliuetanoque Præsidi dandas curauit, vt Quarto quàm maximum Monachorum numerum celeriter destinaret. Prior decernitur F. Nicolaus Pisanus Visitator, atque vnà septem Monachi, qui cum ceteris Genuensem viam ingrediuntur. Vbi eò ventum est, Abbas S. Stephani, qui pro Pontifice exequitur, præsentibus Monachis, ac multis Genuensibus, qui religionis ergò conuenerant; 15. Cal. Sextilis, quo die anniuersaria sacrosanctæ Eucharistiæ celebritas agebatur, nouum Monasterium possidendum tradidit perquàm honorificè. Tres autem sodales S. Augustino antehac deuoti hic quoque vitam agitantes in ordinem nostrum adscripti, Vnus Monachis, alter Conuersis, tertius Oblatis, siue, vt nos loquimur, Commissis aggregati. Neque verò tantùm Episcopo gaudium id, quod summopere concupiuit, assecuto, Collegij operam Deo perfectè nauantium, & in sede sua institutionem, siue his singularem illius erga se charitatem perspicientibus, vt longè maiorem sodales non perceperint luctum, ac tristitiam, amisso post nonnullos dies religiosissimo Antistite. Morbus inuasit (laboribus ea in re susceptis) Augusto ineunte apud Genuenses, vbi breuissimum condidit testamentum, quo iure hæreditario in sua omnia Oliuetanis permisso, expositoque humationis loco pro ara Sacelli S. Mariæ in S. Hieronymi, 14. Cal. siue, vt alibi, 16. Cal. Septembris animam efflauit. Vesperi Quartum effertur, & postera luce, cum Carthagenæ Præsul, qui & sacris operatus est, & Procerum Genuensium plerique interessent, statis Deo precibus adhibitis, & funebri officio, quod aiunt, persoluto, sub Aediculæ solo, nullo ornatu, nullo argumento collocatur, vt hodie nihil extet præterea, quàm quòd præter tumulum dextrà sacrarium ingredientibus in marmore parieti inserto leguntur hæc verba.

Migrat è vita Auctor Cœnobij.

Hic iacet Reuerendus Pater Dominus Alphonsus de Vadatera, Natione Hispanus, qui disperso Patrimonio proprio propter Deum, relictoq. Episcopatu Geennense, vt pauper Christum pauperem sequeretur Eremiticā vitam duxit. Tandem Ianuam veniens Eleemosynis sacellum sub vocabulo B. Hieronymi hanc fundauit Ecclesiam, quam regi obtinuit per Venerabiles Monachos Ordinis M. Olineti. Demumq. migrauit ad Dominum. Anno MCCCLXXXVIII. Die 19. Augusti.

Tanti Præsulis obitu non mediocrem suscepere Monachi sollicitudinem deiecti spe retinendi Monasterij. Quapropter Prior Nicolaus Optimatibus Vrbem repetituris Cœnobium etiam atque etiam commendauit, recordationem, & patrocinium deprecatus. Humanissimè respondetur, Deum castissimè colant, animis ne cadant, sese necessaria omnia suppeditaturos. Tres ideò prouisores eligunt, Iacobum Scarampum, Ioannem Centurionem, Lucianum Spinulam, quibus Monachi quæcumque in Cœnobio desiderentur, exponant. Quamobrem anno insequenti, missi, qui incolerent, Monachi duodecim, & propter singularem Nobilitatis beneuolentiam continenter floruit Regularis disciplinæ obseruantia. Centesimum post annum, quàm hæc peracta sunt ab orbe redempto

Genuenses tres à nobilitate eliguntur, qui Quartanū iuuēt Cœnobium.

Adijciuntur sacrae Aedes. dempto 1488. Presbyter Gregorius Guertij Clauarensis Curio S. Ephemiani de Serreto (de Cerreto, alibi) in Plebe, & Potestate Sexti intra Genuensem Diœcesem, cum mirifico Quartanos Cœnobitas amore complecteretur, eorumque misericordia caperetur, qui, quò sese reciperent, non habebant, vel per ocium cessaturi, vel pristinam valetudinem recuperaturi, cogitauit de Aede sacra attribuenda, id quidem Innocentium VIII. exorauit, Prid. Calend. Febr. Humilitatis deinde, & pietatis studio, quod instanter petijt, in nostram familiam adscitus est, infimi tamen ordinis operam nullo discrimine pollicitus perpetuò collaturũ, quam pro officio cæteri præstare consueuerãt. Aedem S. Mariæ de Planis in vico Teralbo, Potestate Bisanij, & Plebe S. Martini secundùm viam Romanam, dextrà Quarto Genuam contendentium obtinent nostri hoc iure. Ranutius Gatus Florentinus, qui Genuæ æuum traducebat anno Christi 1315. Aedem illic primùm Hospitalem, mox templum prope excitandum curauit; vbi, quò coleretur hospitalitas, diuinumq. Officiũ ageretur, duobus Monachis Sacerdotibus, totidemq. Clericis, vltra agros, quos eodem loco possidebat, libras in annum Genuenses quinquaginta assignauit. Verumq. detulit auctoritate Porchetti Genuensium Archiepiscopi Monasterio S. Venerij de Portuvenereo. Annis aliquot exactis habuisse Benedictinas comperio. Verum, vnde nescio, Pio II. Pontifice, deleto Monastico instituto, templum in commune redigitur, adeo vt, cum vacaret, modò in hunc, modò in illum Sacerdotem conferretur, quod quidem sanè incommodum Monasterio Portuvenereo, quare Innocentij VIII. fide implorata anno à Christi natalibus 1489. causæ cognitio Priori S. Matthæi Genuæ demandatur. Er-

Cõtrouersia inter Oliuetanos Portuveneros, et Quartanos. go disceptatur. Monasterium S. Hieronymi, quod à Genua, & à Planis, quam Portuvenereum, propius aberat, multa perpessum est, multumq. erogauit. Euicere tamen anno 1493. 12. Cal. Apr. Portuvenerij, & ad susceptorum pro ipsis laborum compensationem Conuentus S. Venerij Aedem cum locorum aliquot emolumentis in S. Georgio Socijs Quartanis dimisit, atq. etiamdum obtinetur. Ad hæc alind Hospitium tenebat in Regione S. Donati ædificatum, & à Iacobo Flisco cum quinquaginta locis in S. Georgio traditum anno Domini 1458. At anno 1471. cum Sixtus IV. Ciuitati expetenti permisisset, vt ex vniuersis minoribus Hospitijs vnum corpus efficeretur, penderent autem à maiori, quod erat Pammatonium, à Monasterio alienatur. Hic loci eò iure Abbas potitur. Tertio quoque Anno Autumnalem circiter S. Michaelis celebritatem ad Vrbem profecturus, ibiq. futurus cum Priore S. Bartholomæi de Riperoso Ordinis Carthusiani in aliquo templo ante aram Deiparæ sacram, & nobiles duos viros idoneos, & Deum timentes designaturus, quibus ex prouentibus librarum 4210. quas hac lege in S. Georgij

Reliquiæ, quæ in hoc templo asseruantur. Ioanninus Goascus Alexandrinus reliquerat anno salutis 1423. indigis puellis collocandis, & quolibet triennio Abbati, ac Priori ratio reddenda pecuniæ distributæ. Quòd spectat ad sacra, quæ hoc templo asseruantur,

tur, multa sanctorum ossa illustrium & insignium, sed cum satis magna non sint, non est cur referam. Afferam dumtaxat, in æreo vasculo vnum conspici mēbraneū inuolucrū prisco charactere inscripto. *Digitus S. Brigidæ habitus ab Episcopo Alphonso huius Monasterij fundatore.* Qua de re scribendum occurrit, in illis regionibus vulgò creditum, fuisse olim, diuq. māsisse S. Brigidā, & ad quartū lapidis iactū à Monasterio est domiciliū, quod, veteri traditione acceperunt, inhabitasse, idq. spiritū ducente Episcopo eam sacris confessionibus expiante, & Eucharistiæ ferculo reficiēte. In Icone Altaris, quod sanctissimæ Triadi dedicatum est, è viuo expressa cernitur meditantis in modum, & iam iam scribentis ante librorum pegma effigies. Seruatur quoq; in sacrario Caliculus argenteus, quem fama est, eam confecisse, vt ex eo, cum Dominico Corpore vesceretur os ablueret. Quibus coniecturis adductus planè existimo, quem diximus verum esse digitum piæ illius fęminæ, diuinorum arcanorum participis, dignum propterea, quem omnes religiosissimè colant, venerētur. In ædicula demum Dominorū Passani cernitur Christus Cruci affixus è ligno ad communem propemodum magnitudinem accedens, qui sculpturæ peritissimis tanti est, vt augustum, & diuinum habeant. In summa est veneratione non Genuensibus modò, & cæteris illius tractus incolis, sed remotissimis quibusque salum enauigantibus, & in ijs regionibus mercaturam exercentibus.

S. Brigida diu apud Quartū.

De Monasterio Fabrianensi. XVI.

QVantùm cæteris Benedictinum institutum persequentibus, & æquitate, & exemplo nostri Progenitores antecesserint, cùm ex multis huius nostræ Historiæ locis accuratus lector intelligere potuit, tum ex ijs, quæ modo de prima Monasterij S. Catharinæ Fabrianensis conditione afferenda sunt planè intelliget. In tam multis, qui fluxis hisce, ac interituris rebus nuncium remittentes disciplinam à Monachorum Coriphæo Benedicto propositam susceperunt, numerantur Siluestrini. Duce vtuntur S. Siluestro Auximate, qui Aede, supra montem à Fabriano duo circiter millia passuum, cui Montisfani appellatio est eidem S. Benedicto posita sanctissimum vitæ genus traducendo magnam sibi gloriæ famam collegit, multosq. ad sui imitationē, & exemplar pertraxit, quos quidem, Sancto dum vita fuit, plerumq. Montefanenses, eo autem inter superos recepto, Siluestrinos nuncupabant. Haud longè tamen abfuit, cum adeo in posteris illa vitæ continētia remitti tur, vt quod ex tabulis fide dignis cognitum habeas, circa annum humanæ salutis 1300. Ioannes Fabrianensis, vnusq; ex illis studio melioris vitæ incensus secessum aliquem à summo Cœnobiarcha Deo commodiùs, quàm cum cæteris sic degentibus liceat, vacaturus petijt. Voti compos tandē factus accepit (sic legitur. Aquonam, nec reperire, neq. animo consequi

Congregationis Siluestrinæ initium à S. Siluestro Auximate Fabriani.

F. Ioannes Siluestrinus Fabrianensis secessum à summo Pref. fide petit, et impetrat.

datum

datum est) Prioratum S. Laurentij de Laureto in Santanatoliensi, harum ædium caput, S. Antonij ibidem, S. Catharinæ de Brucettis sub Fabrianū, S. Mariæ Vallis pauperis de Camerino, & S. Antonij de Gualdo, ex his S. Catharinæ comparando sibi domicilio idoneam existimauit. Verùm cū nec sibi eo in loco ex quotidianis illorū temporū incursionibus, prælijsque pro voto, ac religione commorandum videretur, ab eo, qui apud Camertes Episcopum agebat, Benedicto Fabrianensi, & à Monachis S. Blasii (cur ab his nescius omnino) impetrauit, vt, vbi Castrum vetus situm est, eò illam tranferret in quasdam domos, quibus à fœmina quadam Co mitissa filia Rainaldi Rigocij donatus fuerat; atque ita præstitit. XII. cal. Martij, quo die Cineralia agebantur à Christo nato 1392. in S. Catharinæ honorem templum inchoauit, tantaq. solertia, & industria vsus, vt non modò paucos intra menses absoluerit, sed etiam haud exiguo Monachorum numero ædibus propè excitatis, supremum fastigium imposuerit. Boni verò Fabrianenses ardentissimum hominis studium conspicati Elecmosinas, & quæ desideret magna subsidia suppeditarunt. Quidam popularem vitam degentes (vndecim videlicet Fabrianenses, vnus Assisinas) qui integritatis, virtutisq. in eo elucentis exemplo inflammati, sub eius imperio cultui diuino mancipati sunt, suas illi fortunas impertiuntur, tantoq. operi ad exitum vsq. perducendo insigniter opitulātur. Post hæc cum Episcopo agit, vt Prioratus titulo è S. Laurentij sublato S. Catharinæ locum nuper ædificatum honestaret, vnde supradictæ Aedes dependerent. Mox tamen S. Laurentij, & S. Antonij Santanatolienses ab ipso sodalium consensu Montefanensibus muneris loco delatæ, qui pro ijs nescio quid retulerunt, quo vendito, pretium in ædificationem Cœnobij collatum est. Ioannes verò quod præoptabat, consecutus sibi ipse nihil satisfecit, vt pote cui incertum videretur, Cœnobium, procedente tempore à suo discessu, & in diuinis, & in humanis nulli fundamento innixum, diu permansurum. Hæc igitur sæpius meditatus, sæpius collocutus Benedictinæ alicui Congregationi, in qua priuatis legibus custoditis, perpetuò maneret adiungendum existimauit. Oliuetanorum illa tempestate nomen increbuerat tota Italia perhonorificum, propterea iterum atq; iterum Ioannes ad Montem vsq. Oliuetum processit Patribus supplicatum, sub sanctissimo suo imperio S. Catharinæ Monasteriū se, suosque socios assumerent. Annuit deniq. petenti Antistes, & Pontifice literis approbante, anno Seruatoris 1396. III. cal. Martij ad omnia conficienda misit F. Laurentium Perusinum Priorem Montis Morcini, & F. Ioannem Vrbeuetanum Visitatorem, aliosque comites Oliuetanā sectantes disciplinam. Religiosa, eaq. incredibili charitate recipiuntur. Anno 1397. XII. cal. Febr. sic inita possessio. Expectabat cum Monachis prope valuas in templo Prior Ioannes, cum Laurentius, & Ioannes ingressi ad aram maximam progrediuntur, illi autem psalmum, siue hymnum nescio quem ad Cęlitum opem implorandam præcinentes eòusque pariter procedunt. Ibi statis quibusdam cæremonijs seruatis vouit Ioannes

Templum S. Catharinæ fabricatur.

Iungit Oliuetanis.

nes cum suis procumbens obedientiam,& perpetuam in eadem disciplina pro legibus Oliuetanis constantiam,& nigro siue cinereo,quo vtebātur,habitu deposito,candidum piè receperunt, sacra interim æde laudibus,precibusq. ad Deum adhibitis vtrinque personante,domesticis non tantùm,sed externis,qui,& die Dominico,& S. Agnetis nostræ Congregationis Præsidis celebritate,magnificentiùs,quàm vnquam antea,propter eam rem à nobis excepta, eò fama commoti, in S. Catharinæ pulchrum quid spectandum esse, conuenerant, pia quadam animi suauitate,& lætitia triumphantibus. Religiosa demum pompa exhibita, Ioannes Vrbeuetanus ex comitibus quatuor retentis, reliquis ad sua Cœnobia dimissis pro summi Antistitis imperio,Prioris dignitatem gessit. Qui verò supra Prioris officio defunctus fuerat Ioannes biennio post mortale hoc ærumn sanctissimè confecit anno 1399. V. cal. Febr. Dicendum modò est de singulari Clauellorum inter Fabrianenses clarissimorum, hodie,quod audio, posteritate carentium, in hoc Cœnobium ante, & postquam ad nos peruenit, beneficentia. Etenim cum ageretur humanæ redemptionis annus 1396. Gualterius Clauellus Pistrinum,quod vulgò de fouea duplici mola instructum cum Valcheria,vt loquuntur, & Clauastro,alijsque extra Fabrianum,& Vinetum ad portam Suburbij, & anno 1397. suadente Mitarella Mercenaria coniuge à Monteuiridi alia tria pistrina labem tamen perpessa in fundo Fistularum dono transmisit. Clauello autem de Clauellis,qui pro Ioanne acerrimè stetit aduersus Canonicos S.Venantij, ædificationem prohibentes,gratiam Monasterium habet non vulgarem, cuius opera Iacobus Abbas S. Victoris de Pleberosaria in Camerinensi Abbatia decederet nobis traditurus, Ab Innocētio VII. diplomate anno Christi 1406. XIV. cal. Martias ære suo impetrat. Quanquam multa quidem ea de causa subiuimus, quæ persecuturus, quemadmodum accepta sit repetam ab origine. Dominabantur olim in Fabrianenses Clauelli, & anno fortasse restitutæ salutis 1406. Clauellus igitur,quod & demonstrauimus, cum sodales nostros præcipuo amore complecteretur,& ad eos cuperet Abbatiam traduci, cum Abbate Iacobo ita locutus est,vt satiùs ducens gratum facere, voti compotē fecerit, assensus,vt cum Pontifice ageretur, obtentumq. sit, vt extincto nomine Monasterii cum omnibus agris,quos in Castro Pleberosario habebat S. Catharinæ Cœnobio,plura autem,quæ alibi possideret,sed in Fabrianensi,ipso Abbate,Monachisq. exposcentibus, Parœciæ S. Blasij in eodem castro,veteri quondam S. Victoris membro, cum Abbatialis dignitatis appellatione,relicta animarum cura,qualis ante hac fuerit, adiungeretur. Cæterùm, siue Clauello,vel Abbate vita abeunte,siue aliunde annis aliquot interiectis, anno datæ salutis 1417. Alter Abbas S. Blasij,nescio quemadmodum progreditur,magnam nobis litem intendit,Pontificem appellans,eiq. referens,quicquid pro nobis factum, iniquum, surreptitium,Popularium Procerum impetu,nullo interposito colloquio, nedū voluntate Abbatis, Cœnobijq. S. Victoris explorata, proinde vniuersa

Ioānes cū socijs Oliuetanā nouet disciplinam,omissa Silnestrina.

Monasterium Fabrianense splēdet beneficentia familiæ Clauellia de Fabriano.

Abbatia S. Victoris de Pleberosaria Clauellorū opera nobis attribuit.

Lis oritur de hac Abbatia inter Abb. S.Blasij,et Oliuetanos.

Z iure

iure antiquaret, & in pristinum restitueret. Altera à parte sese nostri tuebantur, ea in re nullam iniquitatem, nullam vim intercessisse, sed quam res ipsa postulabat sinceritatem, integritatemq; itaq. literas à Pontifice probatas non adulterinas producere, ad decimum vsq. annum, nunquã Cenobitis S. Blasii vltra id temporis mussitantibus, possedisse. In Vrbe igitur ab vtrisq. non leui dispendio tres circiter annos disceptatum. Vbi non possum non efferre bonitatis, moderationis, opum despicientiæ in Oliuetanis argumentum. Epistolam legi à F. Ioanne Vrbeuetano Pręside maximo ad Priorem conscriptam, quæstiones hasce, & cõtrouersias, per curias, & tribunalia discursus haud satis quidem decere Cęnobiticam disciplinam, efficeret propterea litigia conquiescerent, vel ipsius Monasterii detrimento, ex stabilibus, mobilibusq. quę magis placuerint Blasiano Collegio concessis. Ad summam anno virginei partus 1421. III. non. Quinctilis ita compositum S. Catharinæ Monasterium Abbatiam retineret, relinqueret autem S. Blasio *quandam domum voltatam cum solo, & ædificio ipsius, cum vno tenimento iuxta ipsam, & omnes possessiones laboratiuas, & sodiuas, & pratiuas, & syluatas, & conatas, & arboratas, quas dictum Monasterium S. Catharinæ habet, & possidet in vocabulo Rogni, & in baylia Roccbinedij, & in baylia Mostani dicti districtus, & diœcesis in perpetuum.* Anno ante sexcẽtesimo variis hęc Abbatia nominibus appellatur, *Monasterium S. Victoris, qui est fundatum* (ita nimirum) *aut ordinatum in loco, qui dicitur Victorianum, in fundo Victoriano. Iuxta fluuio Sentino in loco, qui dicitur Victoriano, quod ædificatum est de chesula Victorianum in ipso Monasterio de S. Benedicto, & S. Victore in loco, qui dicitur Victorianum in territorio Camerino Castri Plarosarij, Planrosariæ, Perosariæ, seu Castri Petrosi.* Recentiùs, *Monasterium S. Victoris de Clusis.* Innocentius VII. in diplomate addit, *ex eo quòd in vasta nemorum solitudine situm est, vix aliquis in Monachum recepi curat.* Curiali Ecclesiæ in Castro superiori titulo est S. Paulus, legi ut Abbatiæ portionem anno Virginis parientis 1319. Obtinetur adhuc Monasterio, aiunt, simplex Sacerdotium initio commemoratum S. Antonii extra Gualdum in Nucerino. Aedes Valpauperis cum fundis aliquot eodem ferme tempore Archidiaconatui S. Mariæ de Camerino dimissa, à quo pro ea alia accepta sunt in Fabrianensi. Summam in re Oliuetana vicem F. Hieronymus Fabrianensis anno 1517. sustinuit.

Victores deniq. sũt Oliuetani

Varia Abbatiæ S. Victoris nomina.

De Monasterio Bedagiensi. XVII.



Ta nostros obseruabat Balzarinus Pusterlius Patricius Mediolanensis, vt anno ab orbe redempto 1400. nobis hoc Monasterium extruẽdum curauerit Bedagij (uicus est quatuor millia passuum à Mediolano) nomine indito Carthusiæ, siue S. Mariæ de M. Olíueto, anno autem 1407. III. id. Maij hæredes instituit omnium possessionum, quas obtinebat Videserti, vt è fructibus percep-

Balzarinus Pusterlius Auctor huius Cęnobij.

tis,

tis,& suscepta Cœnobij ædificatio ad suprema duceretur, & quotannis Oliuetani Anniuersarium pro illo funebre officium celebrarēt, septimū, trigesimum,& hisce singulis diebus in Eleemosinam tritici sex modios in optimum panem excoctos, & quatuor cicerum staria erogarent. Et vt æqua sese coniuges honestarent erga nos munificentia, eius vxor Vrsina Vicecomes Matthiæ Mediolanensium Principis filia,dicitur in Laudensi ad Cassinas,siue ad possessiones ab Aqua totidem amplius bona ac prædia reliquisse. Vnus è Bedagiensibus nomine F. Ioannes anno 1488. Generalatum gessit. Regitur hodie Cœnobium à D. Angelo Maria Alchisio Mediolanensi Theologo, qui Procuratoris generalis,& Visitatoris officio functus anno 1608. in altissimo Oliuetanæ dignitatis gradu collocatus est.

Vxor etiā multa largiter donat.

De Monasterio Pratensi. XVIII.

Bartholomæus ille Frāchus Prothonotarius Apostolicus, quē Cęnobium S. Benedicti in sede patria traditum est instituisse, erga nos eiusdem munificentiæ exempla edidit,& Prati. Moriturus enim alterum nobis Monasterium titulo S. Bartholomæi,siue in oppido siue foris extrui iussit,inq. illius propterea,& ædificationem,& sustentaculum mille aureos ab hæredibus erogari. Annus igitur excurrebat à parta salute 1406. cum F.Honuphrius Arretinus, & F. Franciscus Pratensis in eam rem deputati, Præside Pistoriense non abnuente, florenis quadringentis à sacris Deo virginibus olim S.Margaritæ de Saccis Prati earum Monasterium extra oppidum, cum adiacentib. campis,& possessionibus coemerunt,&, nulla interposita mora,Oliuetani quatuor, cū Vicario F.Vgolino Bononiensi, inducti, quemadmodum primus Prior renunciatus anno Christi 1408. F.Nicolaus Perusinus. Nihil præterea,quod de hoc Monasterio commemorem, nisi annum ante trigesimum,quā hæc elaboro,qui annus ab humana redemptione 1617. Hieronymum Pazzium Florentinum S. Stephani insignibus honestatū, Episcopo approbante,conditum S. Hieronymo Oratorium in Montemurlano,& aureis octingentis Florentiæ in mōte,vt loquuntur,pietatis, dotatum,oneribus ex locorum interuallo grauissimis impositis, Monasterio muneris loco trāsmisisse. Pratenses Oliuetani summos in hac Rep. Pręsides habuerunt, F. Michaelem anno 1375. F. Matthęum 1378. & F. Vitum anno 1540.qui maximo etiam Proabbatiatu inter nostros emicuit 1534. D. Philippum Guilliccioniū Abbatem, qui anno 1577.D.Vito Florentino subrogatus est S. Marię Nouæ Florentiæ Hospitalis præposito. Sed Francisco Duce anno 1580. vita functo, Ferdinandus frater iniuriam nescio quam à Philippo prætendens, diu hominem cōflictatus, vt ad Oliuetana domicilia iterum redierit, & anno 1601. diem obijt Visitator, & Abbas Saccorum.

Bartholomæus Frāchus Proth. Apostolicus nobis ædificat.

Hieronimus Pazzius Florētin' de hoc Cœnobio bene meretur.

Viri inter Pratenses ornatissimi

D. Philippus Guilliccionius Pratens. Abbas,& S. Marię Nou. Flor. Hosp. Præpos.

De Monasterio Veneto. XIX.

PLuribus in locis, quos circa Venetias miraculo similes ambientes pro insulis è fluctu maritimo emergentibus rerum natura parens de industria seruasse mihi videtur, vt post multa sæcula pijs, ac religiosis maribus pariter ac fœminis, qui, vel, quę in ipsis à rebus humanis trāsfugientes domicilium collocarent, placidissima fierent oblectamenta, sanctissimiq. recessus, obscurus ille non est, qui S.Helenæ Monasterium sustinet. Franciscus Sansouinus conditum affirmat anno partæ salutis 1420. ab Alexandro Borromeo inter Florentinos opulentia, & generositate illustri, qui Venetiis agens in hac Insula S. Helenæ Constantini Imperatoris parenti sacellum construxit, cuius corpus Venetias annō Christi 1112. delatum Constantinopoli in Aede quadam repositum, inde ad Carmelitanam anno 1208. in hanc postremò in eius honorem consecratam translatum. Quę quidem omnia à Sansouino allata, veritati omnino non consonant, Alexandrum precipuè Borromæa stirpe oriundum Monasterium instituisse, cuius annum supra quingentesimum à Christi natalibus millesimum, & sexagesimum, vetustissima scripta meminerunt, haud falsum tamen, Sanctæ Helenæ, ut narrabitur, sacellum posuisse, atque hinc hallucinatus est Sansouinus. Pertinuit olim pleno iure ad Episcopum Castellanum, cum quia eius Diœcesis finibus comprehenditur, tum quòd anno Domini 1174. Xenodochium (Xenodochio enim, non Monasterio interdum nomen est) ære suo Vitalis Michaelius Castellanorum Episcopus excitauit, dotalique censu stabiliuit. Is igitur planè regebat, eoque titulo anno 1233. leginus Canonicorum collegio adstipulante, Prioris, qui tunc temporis præerat, liberè, atque integrè dimisisse potestati, ipsi, eiusque in locum substituendis circumiectam paludem in ducentorum passuum vndecumque latitudinem fodiendi facultatem dedisse, ita tamen; vt qui Ecclesiæ Castellanæ præficeretur, quos Monachi Priores eligerent, & ipse idoneos haberet, & per dies octo quot annis duas egregij vini ampullas reciperet, & tertio quoque anno ad S. Helenæ celebritatem inuitaretur. Ad annum vsque 1397. nec quod pluris referat, nec quod operæ prætium sit perscribere occurrit exploranti. Hoc igitur anno Thomas Talentius condito testamento iussit Procuratores in Castellana, siue Turcellana ditione locum eligere, vbi extrueretur, vel extructum esset Monasterium, tradere autem Montoliuetensibus, & septem millia aureorum impendere, duo nimirum, vnde Cœnobium construeretur, eamq. in speciem, quæ Monachis gratior esset, reuocaretur, & ornamenta, libros, calices, aliaque vtensilia necessaria pararentur; quinq. verò, vnde ad duodecim saltem Monachorum victum, cultumq. ex quibus septem sacra facerent, prædia, ac possessiones Venetijs adiacentes eme-

Alexāder Borromæ' ex Franc. Sansouino cōditor huius Cœnobij.

Sansouin' hallucinatur.

Vitalis Michaelius Episcopus Castelli excitat S. Helenæ Cœnobium.

Thomas Talentius compat Oliuetanis.

emerentur. Eosdem pariter libris omnibus (amplius ducenta fuerunt volumina) donatos voluit, & in armario conditos vinculis ferreis colligatos, à Priore clauigero custoditos, nullo vnquam nomine amouēdos; Monasterio exportandos, cuius in Aede Procuratoribus mandauit, vt corpus tumulo commendarent. Supremum edidit spiritum humanæ restitutionis anno 1403. 10. Cal. Dec. Dum hæc geruntur Gregor. XII. Venetus honestissimo Coraroruni genere procreatus Oliuetanæ familiæ amantissimus cum Senis moraretur, quoniam Prior S. Helenæ Prioratu S. Andreę, qui ad Canonicos Regulares Augustinenses spectauerat, qualis & S. Helenæ exornatus fuerat, fortassis Talentij legato cognito Prioratum vacantem Oliuetanis imperat adiungi, si quis in S. Helenæ Conuentu superfit, posthac vel disciplinam Oliuetanam suscipiat, vel ad Augustinense institutum aliò diuertat, idque eiusdem sęculi sexto præscribens. Pontificio ea de re allato diplomate F. Hieronymus Perusinus, qui summam apud Montoliuetenses potestatē obtinebat, anno subsequenti postridie Non. Octobres ad Monasterium recipiendum cum syndicario & Procuratorio munere misit F. Laurentium Perusinum M. Oliueti Maioris Priorem & Vicarium. Venetias aducto data possessio, finesque circumscripti, passus nimirum vndecumque ducenti pro beneficio, quod ab anno 1223. Castellanus Episcopus præstiterat. Inde Oliuetani, quæ ante decimum annum Thomas Talentius, vti supra demonstratum est, reliquit, aureorum septem millia postulare. Ad summum inter Venetos consilium relatum est, an S. Helenæ Monasterium illud sit, quo de Talentius in testamento meminit, cui aurei illi numerentur. Inter amicos, qui nostra tuebantur, & Aloysium Loredanum, & Ioannem Balbum nobis aduersantes S. Marci æquè ac Talentij Procuratores magna fuit controuersia Principis tamen Michaelis Stenij opera, eaque adhibita animaduersione, Talentium, cum adhuc spiritum duceret, hoc Monasterium ore suo appellasse, & periucundum sibi futurum indicasse, à Pontefice idcirco Oliuetanis attributum; alijs præcipuè exponentibus, aureos hic non erogatos, vt satis omnino fieret testatori, Bononiam cū libris omnib. in quoddam studentium Collegium transferendos, vnamini omnes deliberatione sanciunt, vt prima Thomæ voluntas expleatur, *melius esse habere Venetiæ conuentum tam Nobilium Fratrum, & Monasterium prædictum, & celebratione diuini cultus fulcitum*. Et Oliuetanis propterea septem millia aureorum enumerentur. Intra verò annum 1411. Talentiani marmoreum capulum, vbi Talentij, & 1416. Margaritæ coniugis, quæ mille prętera & sexcentos aureos ad nostros transmisit, & prope virum condi voluit, corpora collocata sunt, perquam eleganter ædificant. Vsurpatur oculis sublime positum in ipso aditu ad sinistram, hoc epigrammate.

Bibliotheca Monasterio à Talentio relicta

Thomas Talentius & Margarita coniux tumulo marmoreo includuntur.

Hoc iacet illustri conclusus marmore Thomas
Qui de Talentis clarus, sed clarior altis
Artibus ingenij iustis, clarissimus autem
Moribus & vita proprio testatus vt ære

Hanc

Hanc maris incoleret sedem sanctissimus Ordo
Montis Olivети, meritis nunc congrua sumit.
Suffragium fer sancta tuo precis Helena sancto
Facque parens horum concrescant agmina fratrum

Alexander Borromæ Cœnobiũ maximè exornat. Sacello S. Helenæ cõstruito.

Alexandri autem Borromæi Florentini generis claritate spectabilis in Venetum Montoliuetense Cœnobium munificentia longe Talentium, & quoscumque de nobis posthac bene meritos antegressa. Cum fratre enim Valtarij, & Arquati Comite Sacelli in S. Helenæ ædificationem constituit, in quo sanctissimum Diuæ corpus honorificentiùs seruaretur. Anno itaque 1418. 5. Cal. Dec. F. Petro Franciscano Spalatrensiũ Archiepiscopo, (vt mos obtinet) supplicante F. Andrea Bononiense Visitatore, alijsque Olinetanis inspectantibus sacræ huic structuræ summa celebritate manus admouentur. Suprema tandem imponitur, persolutis omnino aureis supra mille quingentis quinque & viginti. Eadem aduersus Monasterium seruata beneuolentia Alexander aureos centum & quinquaginta in singulos annos suppeditabat, eamque ipsam, vltima quoque rerum confecta linea, probaturus anno Christiani orbis 1427. ante aram eius, quod extruxerat, Sacelli, tumulo condi iussit, curatores suos possessiones in Patauino comparare, vnde annui exciperentur aurei ducenti, ex ærario Veneto tot mutua accipere, ex quibus annuus cẽsus cogeretur quadringentorum aureorum, eosq; Monasterio attribuere, vbi sodales quinque & viginti Sacello suo perpetuùm inseruirent. Præterea mille & quingentos aureos in aliorum cubiculorum, quæ iam ipse fabricatus est, ædificationem conferre, ac mille pariter de suo in alterius horti, quod veteri adiungerent, constructionem erogare. Sacram præterea donauit Aedem Rhytmicis, eisque membraneis codicibus, calicibus, thuribulo, & cruce argentea (ducentorum aureorum pretio, auctore Sansouino, singulari illa quidem artificio) ornamentis, alijsque rebus cultui diuino necessarijs, ea tamen lege ne vspiam, præterquam in Sacello S. Helenæ tractarentur. Naturæ satisfecit vir Oliuetanæ Reipublicę studiosissimus, tumuloque commendatus humi ante aram S. Helenæ; Adhæc illud mihi in certissimis positum est, prẹter argentum, prærer fortunas, quibus Monasterium viuens locupletauit, aureorum amplius duodecim millia, & quingentos pluribus locis eius procuratores ad Oliuetanos transmisisse. Eo quidem in Cœnobio nihil est, cuius facies Borromæis insignibus spectabilis non sit, eiusque gentis incredibilem propemodum beneuolentiam, & pietatem non testificetur. Etenim cum ab Alexandro discedamus, Galeatius quoque Borromeus cum anno post restitutam salutem 1436. inter cętera ad templum, quod tunc temporis instaurabatur, extruendum aureos centum & quingentos suppeditasset, vestibus nostris coopertus, eodem, quo consanguineus olim Alexander, tumulo mandari voluit. Verùm cum id consilij Alexandro fuerit, vt diurnis, nocturnisq. Psalmodijs opera in Sacello suo nauaretur, atque illud testatum fecerit denunciata quadringentorum aureorum in singulos annos prouenientium

Galeatius Borromæ in Oliuetanos munificus.

tium iactura sodales nostri, quibus onus videbatur haud facile sustinendum incumbere in duabus eiusdem templi sedibus officia diuina persoluendi, Procuratores adeunt Alexandri, qui ad Cœnobium accedentes, omniaque sedulò contemplantes, ita cōstitutum voluerunt, cum vnum idemq; corpus Aedes, & Sacellum conficiant, Oliuetanos vel in hac, vel in illa Sacra pro voluntate, & absque vllo discrimine peragentes, Botromæum largitorem voti compotem proculdubio reddituros. Situm autem hic est, vti iam diximus in ara huius Sacelli S. Helenæ corpus honorificentissimo loculo inclusum. Facies tantum apparet, reliqua enim plumbeo sarcophago continentur. Ad pectus cuiusdam seruat Græco artificio cruculam (Felici Astolpho scribente, qui anno 1609. librum in lucem protulit, quem Miracula Crucis inscripsit) palmarem propemodum, atque illa salutaris patibuli pars est, quam adseruatam secum perpetuo gestauit. Lignum siue à temporis diuturnitate, siue ab alia causa nigrat, vt hebenum primò aspicientibus videatur. Quæ, & quando pretiosissimæ hæ reliquiæ huc aduectæ, repositæque sint, nullum aliud extare vel scriptum, vel monumentum affirmant, præter illud, quod legitur in tabella, quæ S. Imperatricis loculo custoditur. *In Cronicis Andreæ Dandulo quondam Ducis Venetiarum continetur, qualiter sub anno Domini 1213. Duce Petro Gyano, quòd quidam Aycardus Canonicus eiusdem loci Regularis occultè abstulit corpus Sanctæ Helenæ Reginæ Matris Constantini Imperatoris de Constantinopoli, in quo iacebat Monasterio dedicato nomini suo; quod Venetias transtulit, & in suo recondidit Monasterio, vbi nunc habetur in magna veneratione à fidelibus.* Euoluenda itaque sunt Cronica Danduli omnia penitus cognituro, quæ tamen neque amicis, neque hactenus mihi reperire datum est. Est re vera conspicuum ex Sansouino Sacrarium, solum enim totum est Encausticum cæruleo pariter, & candido colore, exquisito opere vermiculato, paucis quibusdam Tetragonis, & faciebus, vt loquitur, bislongis, & in singulis inuicem Tetragonis nigra Aquila exculpta est, & titulus Gallorum Charactere, quo vna tantum vox refertur, *Iustinianus*, cum Ioannes & Franciscus filius Iustiniani, quorum cineribus ibi data quies est, Equites, ijdemque Senatores condiderint. Sacri pariter abaci spectaculo dignissimi eodem studio, & artificio potissimùm tessellato elaborati à F. Sebastiano Ruiniate, & F. Ioanne Veronensi Oliuetanis, siue tātum à Sebastiano, cū in eorum angulo hęc pauca legerim, *Extremus hic mortalium operum labor F. S. de Ruigno M. Oliueti, qui 3. Id. Sept. diem obijt* 1505. Odeum quoque nec minus spectabile est, ait Sansouinus, in cuius subsellijs tessellatis extra foliorum designationem, & prospectus in quatuor & triginta subsellijs totidem Orbis terrarum primarias vrbes, vt vt illæ sunt, admirabili prorsus opificio, & venustate & quidem per eumdem Sebastianum descriptæ sunt. Ex hoc Cœnobio Parœciales Curiæ tres dependent. S. Viti & Modesti de Spinea in Taruisino anno Christi Natalium 1493. ab Alexandro VI. adiuncta, S. Michaelis de Viraga, & S. Mariæ de Orgiano Archipresbyteratus, vtraque in Vicentino

Seruatur hoc Cœnobio Corpus S. Helenæ.

Sacrarium est sanè cōspicuum.

Odeū perquàm celebre visitur.

Tres curias, vel Parœcias abunet.

Cõsuetudo Patriarchæ Veneti huc accedēdi Ascēsionis Domini festo die.

centino anno 1560. à Pio IV. attributa. Mane die festo Domini in Cœlum ascendentis huc quotannis aduehitur vetustissima consuetudine Patriarcha Venetus cum presbyteris aliquot. Descendenti Abbas occurrit cum sodalibus crucem præbet reuerenter exosculandam, donat fasciculo rosarum. Inter hæc aquæ situla cōsecratur. Vbi sacris operam dedit vel per se, vel per alios initis, perystilium intrat. Ibi à nostris extructa mensa, strata torale cum mappulis sex interuallo dispositis, quasi ad accubitum, tribus phialis aquæ plenis, & totidem cyathis, parique numero patinis, in quibus castaneæ nudatæ corticulis, arentes, crudę, tandē sellis loco positis, Præses de more mensæ benedicit, cum suis accumbit. Inde surgit, sumitque sibi patinam cum castaneis, alteram dat Aedituo suo, tertiam in Pęotam (nauis vocabulum) mittit ad remiges, quibus etiā à Monasterio tria, eaque satis magna vasa vinaria. Dein secum aquam, vt supra diximus, consecratam afferens, qua in despondendo Adriatico vtatur Duci obuiam procedit, qui Myoparone (Venetis Buccentorio amplissimo nauigio) cum clarissimo Collegio vehitur, eò cum pompa proficiscenti. Dicuntur hæc omnia fieri, vt sedes, in qua Cœnobium positum est, à Præside Veneto accepta significetur. Numeramus è Venetis Abbatem Generalem D. Marcum Capitaggeranum ann. Domini 1584. Indidem de gente Natalia rei Oliuetanæ hodie fęliciter imperitantem habemus D. Prothasium, quem triennio præterito Vicarium generalem, alijsque superioribus Abbatem, & Visitatorem in summo dignitatis loco hoc anno 1620. publico plausu constituunt Oliuetani. Alterum etiam nobis Sol Venetus genuit Vicarium generalem anno salutis 1539. F. Benedictum Bembum.

Sunt Veneti duo Ab. Gener.

De Monasterio Neapolitano. XX.



SI dignum nihil esset, quod de hoc Monasterio Historiæ nostræ monumentis insereretur, quæ & plurima nouimus esse, quod tamen ex Congregationis Chronico didici, præcipuo sanctissimæ Virginis consilio, & imperio obtentum, illustrando satis esset, & exornando. Clarissimum Equitem Comitemstabilem, eoq. in Regno Prothonotarium Gorellum Auriliam integerrimæ Virginis studiosissimum (primùm quæ Chronographo enarrantur recitabimus, inde sexcenta alia, de quibus ille nihil attulit, subijciemus) cupido cepit Cœnobium Deiparæ Virgini, quod per nostros administraretur, in Vrbe Neapolitana excitandi. Quamobrem missi à summo Antistite, quem id summis precibus Gorellus rogitauerat, qui Equitis consilium ediscerent, aliquot ex nostris; bono quidem animo esse intelligunt, sed pro Monachorum numero, quos cupiebat immorari, perpauca collaturum. Leniter à nostris commonitus, tam exiguo censu, quem pollicitus fuerat tantam sustinere non posse familiam, paulului excandescens,

Auctor huius Monasterij.

Accipiam,

Accipiam, inquit, nigros Benedictinos, quando mecum candidi non conueniunt. Re igitur interturbata, illi continuò ad hospitium, postera die Neapoli ad Præsidem redituri. Ecce tibi eadem nocte Gurello, & coniugi quiescentibus, Dei Genitrix visa est facie truculenta dicere. Tu nigris Monasterii meditaris, at ipsa Albos volo, rebus modo tuis prospice. His dictis, abijt è conspectu. Vterq. quàm maximo terrore excitati, quæ viderint, quæq; audierint referentes, dimittunt continuò, qui perquirant, domumque inuitent quanta possent contentione Oliuetanos, quibus deductis, & de viso multa cum religione edoctis; Quanta, inquiunt, probitas vestra sit, vosq. Dei famulos, & gloriosissimæ Parenti addictissimos didicimus, ad vestrum itaque Præsidem recurrentes, mittat huc Monachos, dicite, quos si minus pro meritis, at certè pro viribus honorificè excipiemus, &, quod re vera cōtigit, humaniter habebimus. *Virgine imperante restituit.*

Ad extructionem Cœnobij (nihil vltra è Chronico, sed aliunde) anno salutis 1409. agitur cum Abbate Montis Cassini, vt ager (*situs extra mœnia ciuitatis Neapolis, vbi dicitur ad Ampuoro consistens in ædificio dirupto, quod vulgariter nominatur Hospitium quōdam Ducis Andreæ, quod tenebat à præfato Monasterio; necnon viridarijs, seu terris mensuræ modiorum &c.* Alibi sic lego. *In loco vbi dicitur Anforo iuxta portam Burgi Corrigiatarum S. Mariæ de Scotellis, sub, seu prope montem S. Herasmi iuxta viridaria, & alia ædificia derupta, & ruinosa ipsius Monasterij, &c.*) væneat, vbi, aiebat Gurellus se ad mille aureos insumpturum. Henricus Tomacellus Neapolitanus Abbas insignia cum Cœnobitis beneficia accepta antehac, vel posthac ab Equite accipienda secum expendens, nulla mercede exacta Gurellum agro donandum, socijs non abnuentibus decernit, eo tamen onere, vt qui eo in loco per singulos annos versentur Oliuetani census nomine Monasterio Montis Cassini annua S. Benedicti celebritate, cereum proferant bilibrem. Protinus autem iussis eo in situ fabris dimetiri, atque eruere fundamenta; cumque in ædificatione maximam quāq. pompam exhibere vellet, Proepiscopum, quem Pontifex Ecclesiæ Neapolitanæ Rectorem, & administratorem renunciauerat, Nicolaum Episcopum Theanensem exorat, ut sacrum, eumdemque primarium lapidem nouo templo constituat. Annuit Episcopus, & Aurilia, atque è prima nobilitate non paucis, qui ad religiosissimum spectaculum coierant, associantibus, ad locum deueniens, candenti marmore consecrato, ligniq. salutaris forma consignato, & Romanis omnibus adhibitis cæremonijs, descendit cum Gorello, piumq. lapidem collocat, templo, & Monasterio imponendo, ex sententia fundatoris S. Mariæ Mōtis Oliueti indito nomine. Sibi, & hæredibus patrocinij iura perpetuò constantia reseruat. Rei argumento iubet esse libralem cereum ab Oliuetanis, quos præter Commissos, ut uocant, aliosq. familiares administros destinabat quatuor, & uiginti in Purificatæ Virginis festo ibidem celeberrimo die sibi, posterisq. deferendum. Sermo fuit post hæc de prouentibus Cœnobio attribuendis. Primùm quidem utensilibus omnibus ornaturum pol- *Area datur à Cassinensibus.* *Prouentus assignantur.*

licetur in ſingulos annos uncias ſupra centum, tribus ac triginta in præſentia conſtitutis. Stantes dein fortunæ tranſcribuntur. *Domus in monte Poſylipi pertinentiarum ciuitatis Neapolis cum curti, palmento, & viridario ſitis in capite montis cũ iure, et actione cuiuſdã piſcinæ iuxta bona Capoblanci &c.* Alia quoq. duo domicilia ibidem poſita. Aliud prætcrea *in caſali Spullazi, &c.* & quæcunque eo in monte obtinebat. Alia prædia cum adiectis ædibus in plaga maris Ciuitatis Neapolis ad Monaſterium S. Claræ quędam pertinentia. Domicilium in villa S. Ioannis Tudunulli cum agro adiacente. Neapoli Domus ſiue Taberna *in regione portus, vbi dicitur Alomiragliato iuxta &c.* Altera *in platea Logiæ Ianuenſium iuxta &c.* Domus, ſiue Officina olim Ioannellæ Minutulæ Comitis Auellini *in Borſaria magna, et in ruga aurifabrorũ iuxta &c. Alterã in maritima magna Ciuit. Neap. etc. Item in pertinentijs Auerſæ in villa Sauignani quoddam feudum, quod dicitur feudum Sauignani conſiſtens in diuerſis bonis, præſertim de mo vna magna cum turri, curti, puteo, palmento, & alijs ædificijs dirutis ſitis in eadem villa cum Iardeno retro dictam domum modiorum octo, vel circa iuxta forum publicum, ſiue porcorum &c. Item quædam domus, ſeu taberna, quæ dicitur La Franchicia ſita ibidem, quæ eſt franca, & exempta ab omnibus cabellis, & iuribus curiæ regis dictæ Ciuitatis Auerſæ, & alia bona ad dictum feudum ſpectantia, prout in archiuijs curiæ regiæ continetur. Item inſtituit ius vſusfructus recolligendi, percipiendi, & habendi vncias annuas 30. ſuper poſſeſſionem terræ Echiæ iuribus redditibus & prouentibus eiuſdem terræ ſitę extra ciuitatem Neapolis iuxta Monaſterium & Eccleſiam Sancti Spiritus iuxta bona Monaſterij S. Mariæ de Cappellis iuxta &c.* Ipſius tamen Echiæ proprietate ſibi, nepotibusque reſeruata, vt, cum tot ſtabilia commoda quandocumq. eſſet in Neapolitano eodem, annuo triginta vnciarum cenſu Oliuetanis traderentur, poteſtas exigendi ab Echia ad Auriliam, & ſucceſſores referretur. Hæc aguntur XV. Cal. Martias anno 1411. Quo ſanè ſub tempore à Prępoſitis noſtris eò dimittũtur cum F. Antonio Neapolitano Priore nouem ac decem Oliuetani. Proximò anno Gurellus Caietæ XV. Cal. Quinctilis in morbum incidens teſtamentũ eo ordine inſtituit. Imperia liberis partitus, vt inferius prodetur, legatisq. piè nonnullis, Vxor Clementia Echiana poſſeſſione, vncijs triginta Montoliueto, quod ſupra, ſubtractis, frueretur, ducentis & quinquaginta vncijs, quæ penes eam, alijsq. quingẽtis à Vigiliarum Comite recipiendis Oliuetanum Cœnobium aſſurgeret, & ſi quid ſupereſſet agri tantùm pararetur, quantùm annuas vncias triginta redderet, demandauit. *Item legauit dicto Monaſterio quamdam Starſiam, quæ vulgariter dicitur La Caſa Blanca, necnon etiam quamdam aliam Starſiam, quæ dicitur Lu Cutugnio, ſitas & poſitas in pertinentijs Auerſæ cum iuribus &c.* Naturæ conceſſit, vt opinor, ex eadem valetudine Generoſus Eques, dignus re vera cuius non ſolum memoria Oliuetanorum intermoriatur nemini, verùm etiam cuius pietas non vulgaris, & in diuino cultu mancipatos munificentia omnium memorię, æternitatiq. commendetur. Sapienter idcirco factum, vt aliquot ab hinc annis, per Ædis Oliuetanæ magis, magisq. illuſtrandæ

lustrandæ occasionem, ad aræ maximæ sinistram non indecorum Gurello Epitaphium marmori incideretur.

D. O. M.

Gurello Auriliæ Neapolitano huius regni Logothetæ, ac Prothonotario summæ apud Ladislaum Regem, ob fidem eximiam auctoritatis, adeò vt septem filios Comites viderit, Senex fortunatissimus, idemq. pientissimus, qui Aedes has construxit, patrimonio donato. Ordo Oliuetanus pietatis ergo F. C.

Magnificè de eo Scipio Mazzellius, eumq. toga, & armis maximè insignem auctor est locupletissimus. Equidem crediderim Principē potius, quam Equitem iure appellandum. Quandoquidem ex hæreditatis partitione, quam quinque filijs habuit (reliqui duo, si septem, fortasse abierant) quantis opibus diuitijsq. circumflueret, fit ne Principis nomine dignandus intelligitur. Qua re legentis ni fallor, seruiturus voluptati, quę in hanc sententiam testamento perscribuntur, ea ipsa commemoro. *Dominus Petrus Comes Cayaciæ eius filius habeat Ciuitatem Acerrarum cū omnibus alijs, quæ habet, & possidet. Item Dominus Robertus comes Burgentiæ habeat Terram Salæ de Prouincia Principatus citra cum omnibus alijs, quæ habet, et possidet. Item quod Dominus Raymundus Aurilia eius filius habeat Terram Consiliani de S. Mauro cum omnibus alijs, quæ habet, & possidet. Item quòd Dominus Ioannes Aurilia eius filius habeat Terram Octauiani, cum omnibus alijs quæ habet, & possidet. Item quòd Dominus Bernardinus Aurilia filius suus habeat, & habere debeat Terras Baroniæ Pociliam* (vel *Reciliam*) *necnon & Casalia, quæ fuerunt Domini Nicolosij cum omnibus alijs, quæ habet, & possidet.* Neque vnius dumtaxat Gurelli splēdida illa, quam accepimus, in Monasterium munificentia emicuit, sed quatuor eius filij Petrus, Albertus, (vel *Rupertus*) Ioannes, & Bernardus (vel *Bernardinus*) tanto sese parente genitos præstiterunt. Anno enim à natalibus Christi 1414. III. Non. Apriles tabulas emittunt, quibus testatum faciunt Patrem pleráque condidisse in Monasterio Montis Oliueti, se immobilibus, tot commoditatibus, quot aureos octingentos redderent in annum, ditaturum; recepisse, & quæ supra enumerauimus, ab eodem donata; & communem mortalibus viam ingressurum ius triginta vnciarum, quarum singulę ex communi pondere, caroleis argenteis sexaginta constarent, ab Echia exigendarū, & pręter quinquaginta quingentas præsentes reliquisse ad absolutionem Cœnobij, & tamen Echianas vncias triginta ad duas, & quinquaginta producunt, annorumq. septem interuallo, in Oliuetani operis molitionem vncias mille, & quinquaginta hæreditariæ iacturæ pœna erogaturos, eodemque tempore hortum Monasterij S. Claræ, aut certè quātùm ad viā nescio quam faciendam opus habuerint, empturos pollicentur. Frater itidem Gurelli nomine Vrbanus, cum annus ab orbe redemptō 1419. decurreret, quæ præcipua fuerat in Monasterium religio mille aureos dono transmisit, & vndecimum post annum instituatm ex asse hereditatem. Nemo itaque est, quin intelligat, quātùm Aurilio generi gratiam

Aurilia quoque filij de Oliuetanis bene merentur.

Vrban' Aurilia Gurilli frater in Oliuetanos munificentissimus.

Aa 2 habeat

habeat amplissimũ Cœnobium, quòd præclara adeo, & insignia collocauerit apud nostros beneficia. Quamquam longè munificentissimum erga nos sese præbuit Alphonsus Aragonius Regio, & quidem Neapolitano diademate insignis, præ conditionis dignitate, qua subditum Auriliam, vel opum splendore, generis claritate summa apud Regem auctoritate nobilem antecellebat. Quo erga nos animo fuerit, quibus explicem, verba non suppetunt. Duplicem tantæ beneuolentiæ causam accipio. Fuit Alphonsus Ferdinandi hoc nomine primi Regis Neapolitani filius, &, regno successurus, Dux Calabrorum. Cum itaque per Etruriam anno 1476. iter faceret, & nostris, quod superiori libro relatum est, Generalibus Comitijs interfuisset Monachorum ex varijs potissimùm, atque inter se dissidentibus locis, ac gentibus proficiscentium, ibiq. quod plerumque ex re qualiscumque tumultus, seditiones, schismata, odia, & alia non dissimilia turpia admodum, & indecora exoriri solent, ut aliquem ad supremum inter suos dignitatis locum, eligerent, coeuntium, probitate, moderatione, charitate, & tranquillitate animaduersa, tantum inde uoluptatis, ac delectationis hausit, ut eam de nobis opinionem conceperit, quam nunquam dimissam, quotidie magis exauctam, cum primùm sceptro assumpto regiam administrationem aggressus est, apertissimè declarauit. Insignem adeo Regis pietatem hinc affirmant promanasse non pauci. Alphonsus per æstatem aliquando Monasterium ingreditur eo murmure, ac strepitu, quo Regem frequentissimo familiarium numero stipatum, quisque coniectare potest. Monachus aut, voce nostra, Commissus ianuæ tutelam gerens, cum vultu ad modestiam rectè composito assideret, nihil prorsus loquebatur, adeo vt à Rege altiori voce, qua temerè, vt plurimùm populares Religiosis ædibus sese inferentes consuescunt, vbi Prior, quid Monachi, & si quid simile, interrogatus, nunquam responderit; sed digito, ori admoto, nihil effatus Regem cum familiaribus progredi passus sit. Rex admiratione captus obuiũ Priorem rogitauit, vnde ianitor tàm rudis, tàm inurbanus. Prior, cognita re, hominem purgat. Horam taciturnitatis ex instituto præscriptam, quã ne violaret, Monachus, cui iure debuerat, nihil retulit, Cœnobitæ attamen cæterà satis pio immoderatæ simplicitatis, & nimiæ asperitatis gratiam faciat. Accidit pergrata Regi singularis illa in sacris legibus retinendis constantia, adeoque probata est, vt ex eo tempore in Oliuetanos, quasi impẽsiùs amet, omnem curam, omnem cogitationem intendat, M. Oliuetum sæpius petat, cum eis non modò, vt maneat, sed & ad mensam parcè comedat, surgens autem, vel, qui priùs accũbentibus ministrauerant, cibum capientibus operam præstet, vel, quod adhuc in more positum est, librum aliquem pietatis hortatorem perlegat. Egregia tanti Principis erga nos beneuolentia eò maiorem faciat admirationem necesse est animo id agitantibus vnius anni, vel paulò ampliùs, curriculo, quo regnum obtinuit, nulla fide, suspiciosum ideo, & turbulentum, vniuersas fermè Abbatias in sua ditione vacantes à Pontifice nobis tradu-

Vnde tanta Alphõsi II. Regis Neap. erga nos beneficentia.

Cœnobia ab Alphonso Oliuetanis attributa.

tradendas curasse, aut non vacantes, vt Abbates nobis deferrent Commendatarij, perfecisse. Ita Galatinia, Liciensi, Butuntina, Castellonia, Barolina, & Rhegina (hæc duo posteriora absunt, qui tamen, haud scio) potiti sumus, & præclara ab illo cum in his, tum in alijs iam acceptis, beneficia, magnosq. prouentus consecuti subiectorum præsertim fortunas ex rebellione, aliovè facinore ad fiscum deuolutos adiungente, id quod Historiam nostram perlegenti pluribus in locis erit pro explorato. Quare sodalibus nostris verè dictum existimauerim, à Rege pronunciatum aliquando, sese nobis tot Cœnobia paraturum, vt per Italiam euntibus ad caupones nunquam diuertendum foret, quod certè non dubito, quin intra regni sui cancellos exequeretur. Cœnobium Neapolitanũ repetamus. Sub anno 1494. III. non. Ian. Primum à Rege donum commemoratur duo molendina.

Quid præcipuè huic Cœnobio donauerit Alphõsus.

VNum in flumine Vulturni ciuit. Capuæ situm, et positum cum eius piscaria, & domo, & iardenis ex vno, & alio latere, alterum verò situm in flumine Sauonis propè limatẽ pertinentiarum Ciuitatis Caleri, quod habebat olim Antonectus sicarius cum Iacobo de Transo cum eorum iuribus redditibus &c. ad molendina ipsa spectantibus quouis modo; Quæ quidem molendina legitimè sunt aperta, & deuoluta nobis, & nostræ curiæ (inquit ipse) *propter demerita ipsius quondam Antonecti Sicarij olim ipsorum molendinorum detentoris, & possessoris &c.* Anno 1495. IV. non. Ianuar. addidit. *Hostariam nouam super molum paruulum consistentem in nouem membris, duas apothecas sitas iuxta prædictam Hostariam cum cameris super eas, quas nuper ædificari fecimus, per Nicolaum Franciscum de Consilio. Item census duc. 20. quem nostra curia singulis annis habet super apothecam &c. sitam iuxta prædictam hostariam, & apothecas. Census duc. 13. & gr. quinque quem nostra Curia habet super territorio palmorum .... concesso Leoni mercatori de Massa. Census duc. 13. & tar. 4. quos Christophorus &c. debet soluere pro territorio palmorum 24. in præfato loco. Census duc. 13. & tar. 4. quos Gregorius &c. pro territorio palmorum 24. in eodem loco censuato. Territorium Marinæ incipientem à dohana salis vsque ad parietem Sancti Andreæ, in qua est porta Marinæ magnæ consistentem in circa cannas 94. Territorium Marinæ maximæ positum à tergo portæ Petræ piscis longi cannarum 28. incipiens à pariete eiusdem Petræ piscis vsque ad parietem domorum, quæ fuerunt quondã Santi &c. cum potestate ædificandi, & fabricandi iuxta muros ciuitatis vsque ad mare tantum, quantum extendit se caput parietis domorum prædicti Santi, & ædificandi super loco, in quo venduntur pisces, & quantum extendunt se columnæ &c.*

POstera die tres pagos Apranum, Piponem, Tiberolam cum alijs agris prædijsque nobis de industria comparatis his verbis donatos voluit quæ summam erga Cœnobium pietatem, & amorem nõ vulgarem præferre, & spirare quodammodo videntur.

Alphonsi

Alphonsi Regis erga Deum pietas, & liberalitas.

ALphonsus Dei gratia Rex Siciliæ, Hierusalem &c. Vniuersis, & singulis præsentium seriem inspecturis tam præsentibus, quam futuris. Regium profectò munus est, & à plerisque principibus factitatum, vt quando in alios benemeritos liberalitatem exercuit, multò magis in Ecclesias obsequenter gratificationis euidentiam impartiatur, & humano, & debito satisfaciat instituto. Egregia Religio, ac Pietas in illam confirmatur, & ad alias etiam charitatis diffundatur exemplum. Volentes itaque cũ veneranda Ecclesia, & Monasterio gloriosæ virg. Mariæ M. Oliueti Ciuitatis nostræ Neapolis ord. S. B. piè ac liberaliter agere, & reuerenter in aliqualem desiderij nostri satisfactionem procedere, vt in eo Deo famulantes cunctis futuris temporibus solutis omnibus curis, ne victum quærãt, solo Deo inseruire, & diuina officia celebrare valeant in remissionem peccatorum omnium progenitorum nostrorum, & pro salute animæ nostræ, & omnium Christi fidelium, tenore præsentium de certa nostra scientia consultò, & deliberatè, motu proprio, ac piè eidem venerandæ Ecclesiæ, & Monasterio S. Mariæ M. Oliueti in perp. Casale Aprani pertinentiarum ciuitatis nostræ Auersę, quod fuit, & tenebat Antonellus de Petrutijs regiæ curiæ deuolutum propter eius crimina, excessus, ex delicta cõtra Serenissimum Ferdinandum Regem patrem, & Dominum nostrum nostræ f. r. qui fuit sententialiter condemnatus supplicio mortis, & bonorum cõfiscatione, prout ex forma sententiæ contra eum latæ euidenter apparet, donamus &c. Item Casale Piponi &c. Item Casale, seu Villam Tiberolæ &c. In Comitatu Auersæ &c. A nobis empta &c. Cum hominibus vaxallis, angarijs, parangarijs, vaxallorumq; redditibus, castris, fortellitijs, banco iustitiæ, mero mixtoq; imperio, & gladij potestate, ac cognitione primarum causarum ciuilium, ac criminalium, & signanter cum Starcijs, quas emimus in territorio de ciuit. &c. Starciam Modiorum 15. & pas. 69. secundum mensuram ciuit. Auersæ passuum 900. pro quolib. modio in Villa Gariglian pertinentiarum ciuit. Auersæ. Mod. 8. & pass. 850. in eodem territorio iuxta &c. Mod. 8. & pass. 115. in loco vbi dicitur à S. Lorenzo Mod. 14. & pas. 240. ibidem Mod. 2. & pass. 846. iu dicta Villa Aprani. Mod. 9. & pass. 402. in ter. Villæ Garigliani. Mod. 2. & pass. 600. in ter. Villæ Casælucis, Mod. 6. & pas. 863. in ter. Villæ Garigliani. Mod. 10 & pas. 874. in loco qui dicitur Villanoua. Mod. 4. & pass. 250. in loco qui dicitur, à lo borgo de S. Lorenzo. Mod. 3. & pass. 740. in loco vbi dicitur à S. Lorenzo Mod. 7. & pass. 115. in territorio Villæ Garigliani. Mod. 5. & pass. 700. ibidem. Mod. 10. vbi dicitur à limigno pass. 656. in territorio Villæ Casælucis Mod. 5. & pass. 810. in loco, vbi dicitur ala Stanza. Mod. 4. & pass. 470. in loco vbi dicitur la lemete. Mod. 3. & pass. 283. in territorio Villæ Casælucis. Mod. 13. pass. 554. in pertin. Villæ Garigliani, &c. Datum in Castello nouo &c. die 3. Mensis Ianuarij millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto. Regnorum verò nostrorum anno secundo.

Alphõsus sibi fuga consulit in Siciliam.

QVa regia quidem, neque ab vllo vnquam Principe profecta munificentia nobis exhibita, spes omnis intercidit alia de Alphonso in posterum accipiendi. Etenim, cum didicisset Carolum VIII. Galliæ regem descẽsum in Italiã adornare arma sibi illaturũ, & à subditis, quos duriùs asperiùsq. tractauerat, magnopere extimesceret, Regnũ Ferd. Calabrorũ Duci filio, quem populares vnicè diligebãt, reliquit, & ad Siculos sese

recepit,

recepit, vnde quę proximè ſequuntur, literas conſcribit, quas qui videat, legatque & aduerſa amantiſſimi de nobis benemeriti Principis fortuna nihil ferè commoueatur, vel perturbetur, ferreum crediderim.

Reuerendis in Christo fratribus noſtris deuotis, & fidelibus Montis Oliueti. *Perche hà piaciuto à Dio di ridurci à queſto ſtato, che ci trouamo, pregamo le Riuerenze loro à noi cariſſimi, che, come in preſentia ci amauiuo, così in abſentia vi ricordati di nui, e per la noſtra ſalute in tutte le loro deuote Orationi, che ſe à Dio piaceſſe di ridurci nel primo ſtato, vedereſſiuo, quanto meglio ſeria lo fine della bona voluntate noſtra verſo queſta Santa Religione dello principio; in tanto non poſſendo ad altro che tenerui nella noſtra bona memoria, non mancariti in tutte le voſtre Sante Oratione ricordarui di nui. Datum Panormi. Die 15. Septemb. anno M. CCCCLXXXXV.*

Rex Alfonſus. & orate pro me.

DVos è noſtris fidiſſimos ſibi reliquæ vitæ comites adſciuiſſe refert, atque alterum profectò F. Michaelem Volaterranum ſuum in fęlicitate Sacerdotem extitiſſe, ſuoque aliquando fato ingemiſcentem pronunciaſſe, ſeſe, non tam quòd regno exturbatus, quam quod ſublata inde Oliuetanos beneficentiæ commoditas, irritaque Oliuetanæ familiæ, longè magnificentiùs, quàm factum ſit amplificādæ vota ceciderint præcipuo dolore contabeſcere. Naturæ demum concedit in Sicilia Mazariæ, vel Meſſanæ. Cineres ſarcophago incluſos ſuperior habet Pſalmodica ſedes in ſumma Æde Meſſanenſi, quos anno proximo intuitus, eoque in obtutu aliquandiu defixus ex eorum, quæ attulimus meditatione à lacrymis temperare non potui, eiuſque manibus à Deo ſempiternum ocium, & perpetuam beatitatis lucem non deprecari. Carolus ingentibus copijs Neapolim aggreſſus, Ferdinando ſegniter prohibente, rerum continuò potitus eſt anno 1495. menſe Februario. Et ipſe quoque Ferdinandus cum triremibus quatuordecim inornatis, & imparatis, fuga Siciliam petijt. Cæterùm à Carolo, qui expugnata Neapoli in Galliam reuerſionem fecit, illius Principes Regni complures ex immoderata Gallorum dominatione deficientes Ferdinandum reuocant, Galliſque exterminatis in priſtinum regiæ auctoritatis locum reſtitutus eſt, quem cùm menſes octo, dies verò quatuordecim obtinuiſſet, neceſſitati ſatiſfecit. Sciendum autem eum in tot, ac tantas, quantas Regem ex repentino hoſtium aduentu, futurorumq. malorum formidine regno excedere coactum ſubire potuiſſe ſuo quiſque animo finget, miſerias ærumnaſque coniectum, Neapolim regreſſum ærario exhauſto, publicis, priuatiſque vectigalibus perturbatis, diſſipatis, argenti grauiter admodum laboraſſe penuria. Quare Montoliuetenſes (ſiue precibus illius, ſiue ſponte ſua in gratæ voluntatis ſignificationem acceptorum beneficiorum recordatione admoniti) Tiberola ex ijs, quos diximus, pagis altero Lanzalao Mormilio, qui inter Neapolitanos honeſto loco natus eſt, aureis bis mille

E Sicilia noſtris literis appellat.

Oliuetani Ferdinando Alphōſi Regis filio pagi [illegible]tione opitulantur.

mille ſeptingentis vendita Ferdinando ſuppetias ferunt. Nonnulli pagum Alphonſo Regi in calamitatibus ſubleuando alienatum,& in codicibus neſcio quibus,qui in hoc Cœnobio adſeruantur, ingentes ad eum, eaſque ſępius pecunias tranſmiſſas legi dictitant. Equidem nihil vidi. Alias profectò præter Tiberolanas. Quod verò de Ferdinando expoſitum eſt, cum ex ipſius verbis paulò poſt relatis planiſſimè conſtet, exploratiſſimum eſt. Sed quia nemini prioris beneficentiæ partes attribui paſſus eſt,atque vt animo non minus, quàm ſanguine regio nobilem ſeſe oſtenderet, (ſiue aliunde fieret) anno Chriſtiani orbis 1496. 7.id.Febr. ſcio, cum dixiſſet ſe impulſore, & petitore venditam Tiberolam ſubijcere.

Nos conſiderantes(ſubdit) *deuotionem,& affectionem dictorum Prioris,& fratrum erga nos,& ſtatum noſtrum. Et volentes cum eiſdem benignè,& gratioſè agere, vt benignum, & gratum Principem decet Priori &c. in æquiualente excambium,& pro excambio dicti Caſalis,&c.& pro pecunia &c. infraſcripta bona tenore præſentium noſtra ex certa ſcientia deliberatè, & conſultò, de materia ſuper ijs noſtri aſſiſtētis Conſilij deliberatione habita damus,donamus etc. Molendinum vnum macinans ſitum, & poſitum ſubter palatium Podij Regalis pertin.noſtrę ciuit. Neap.iuxta &c. Quod Molendinum conſtrui,& ædificari fecit Sereniſſimus Rex genitor noſtęr, & cum territorio campeſtri eidem Molendino coniuncto circa modiorum ſex ſito ibidem, &c. Quod Molendinum in præſentiarum infra vnam noctem, & vnam diem tumulos decem frumenti macinare aſſeritur,&c. illud totum &c.damus,donamus, & gratioſè concedimus in perpetuum Priori, fratribus Monaſterio, & Conuentui præfatis à nobis maiori gratia dignis. Item conſignamus duc. 10.tar.4.gr.4. cum dimidio de carlenis argenti &c. Cenſus emphit.&c. Quem ſoluere debet, &c. quolibet anno pro quadam domo nuper ædificata in Molo paruo &c. Item duc.11. &c.cenſus &c. pro quadam domo ibidem, &c. Item duc. centum, & decem ſupra introitibus maioris fundici, & dohanæ dictæ ciuit.&c.*

Ferdinãdo IIº Regno Neap.ſuccedit Fridericus Princeps Tarent.

PRæclarius quoque gratæ mentis officium Regia familia dignum extitit, quod modo poſteritati commendandum eſt. Præmittenda tamen ad cognitionem nonnulla. Ferdinando II. (annus erat à Chriſto nato 1496.) Fridericus Tarentinorum Princeps filius Ferdinandi Primi,& auunculus ſecundi ſubrogatur. Verùm Carolo VIII.nulla prole ſuſcepta vita functo, Ludouicus Dux Orlienſis ſanguine coniunctiſſimus ſucceſſor, Ferdinando Rege Catholico adiuuante, Fridericum eo animo, eoque impetu aggreſſus eſt, vt Rex,cum ſe hoſti excipiendo non eſſe intelligeret,in Aenariam Inſulam Neapoli proximam vniuerſa cum familia ſeſe abdiderit,non modò tandem in deditionem venerit, ſed humaniſſimè à Ludouico habitus, in eum hæreditaria quæque iura contulerit, & ab Orlienſi Ducatum Angioinum annua triginta millia aureorum conſtitutione acceperit. Ibi verò cum ſupremum præpotenti rerum

rum conditori spiritum intra annum 1504. 5. id. Septembres reddidisset, Isabella coniux, quàm Pyrrus de Baltio Altamuræ Princeps, & Dux Andri genuit ex quibusdam fœderis conditionibus, quòd inter Ferdinãdum, quem diximus Regem Catholicum, & eumdem Ludouicum percussit, ex Gallia necessariò dimittitur. Misera ad discessionem compulsa, &, quò in tanta calamitate perfugeret, inscia, Ferrariam demum tenuit; Ab Alphonso Duce Estensi genere proximo liberaliter accipitur. Huic igitur Heroinæ audiui non rarò, qui dicerent Oliuetanam Congregationem indignissimæ fortunæ miseratam, Aragoniaque stirpi optimè de se merenti gratiæ aliquid relaturam, in singulos annos ad obitum vsque, qui anno partæ salutis 1533. contigisse memoratur, aureos trecentos attribuisse. Qua de re, cum nihil inuenerim, & forte fortuna præter eius Epistolam Generali nostro Præsidi gratias agentis, quæ Bononiense tabularium euoluenti obuia fuit, nihil reperiatur, vt potè dignissimam, quæ nobis perpetuò seruetur, & legatur, exscribo. *Isabella uxor Friderici Regina Neapolis.*

Reuerendissime in Christo Pater, & amice noster Carissime. Per lo Reuerendo Padre F. Ioanne Priore di S. Giorgio hauemo riceputa la litera di V. S. Reuerendissima Paternità, per la quale hauemo inteso con quanta pia Carità la sacra Religione vostra si sia commossa ad hauere commiseratione della depressa, & infelicissima fortuna nostra, in volere subsidiare noi, & poueri figliuoli nostri commemorandoni li beneficij riceputi dalla Casa di detti nostri figliuoli, e più cumulatamente anco hauemo intesa la relatione fattane per lo predetto Padre F. Ioanne in nome della Sacra Religione, e della Reuerendissima Paternità vostra. Circa questa materia certo, Padre Reuerendissimo, questa tale demostratione di 300. *Ducati l'anno in questa nostra calamità n'è stata tanto al proposito, che n'hà parte leuato l'acerbissima mollestia dell'animo, quale stà in continuo trauaglio non solo di mantenergli con qualche reputatione, come figliuoli di Rè, ma come li possiamo sustentare del vitto. Ringratiamo la potentia Diuina, il glorioso S. Benedetto, & ipso Deo, e la Sacra Religione insieme con la P. V. con quell'affettione, e pietà possemo. Iddio, e S. Benedetto ci presti gratia di meglio conditione, acciò li possiamo vsare gratitudine a tanti meriti, raccomandandone continuamente alla predetta Sacra Religione, & alla vostra Paternità Reuerendissima, & à sue deuote Orationi. Datum Ferrariæ 29. Iunij M. CCCCXI.* *Habes Isabelle Regina ad Ab. Gen. Oliuetensis et gratiantes literas.*

Deinde alterius manu (Reginæ puto) scriptum.

Patre pregate N. S. ci presti gratia di ritornare à Casa nostra, che se li Signori nostri antepassati fecero benefitio alla Sacra Religione, noi hauemo animo farcene maggiore per la noua obligatione n'hauete imposta.

Di V. P. figliuola spirituale. la infelicissima Regina Isabella.

Matthæus de mandato.

SEd Neapolitana repeto. Montoliuetense Cœnobium Aedem nullam obtinere legi, præter ius quoddam in S. Thomæ Apranensem sistendi Anuersano Episcopo sacerdotis. Egentes puellæ septem ex lega-

to Pompeij dela Noia, qui propterea anno 1571. Sacello suo annuos attribuit trecentos & triginta aureos, reliquas verò ex perpetua lege Scipionis Villaguti Abbatis mille aureorum sortem anno 1613. transmittentis, Abbati quolibet anno collocandæ. Rationem eligendi, aliaque adiuncta recensere possem, sed scribenti nescio, an legenti grauius, & molestius accideret. Templum vel antiquitate admirandum singulari Patrum industria eam conciliauit speciem, & magnificentiam, vt pluribus eisque recentioribus non inuideat, & religione, quæ limina ipsa attingentibus non vulgaris inijcitur, alijs Neapolitanis minimè cōcedat, cum præter diuinas laudes statis diurnis, & nocturnis horis illa Monachorum frequentia decantatas, sacrosancta fidei mysteria vicies, & amplius singulis diebus peragantur. Varijs, eisq. speciosis Hieronymi Cotineolani, Ioannis Francisci, cui Factoris cognomento fuit, Georgij Vasarij, aliorumq. præstantissimorum artificum picturis mirum in modum illustratur. Sunt pariter admirationi vel leuiter contemplantibus candida marmora Hieronymi Sanctacrucij Neapolitani, Ioannis Rolaui artificio graphicè elaborata. Sed præter hæc in Amalphinorum Ducum ædicula miraculo simillima omnibus videtur Dominici Natalis tabula, (opus, aiunt, Donatelli) implicita præsertim exultantium Cœlitum chorea spectabilis. Ita quoque Zographiæ non ignari pluris faciunt monumentum cum iacente adolescentula, & conopæo imposito, quæ omnia ex marmore figurata, opere subanaglyptico, cuius operam vtiq. admirabilem æmulatur epigraphe, vt fama loquitur, à Pontano egregio vate luculenter scripta, eaque est, quam adnecto.

Multa in téplo visuntur insignia.

Quisquis hæc legis, summissiùs legas, ne dormientem excites.
Rege Ferdinando orta Maria Aragonia hic clausa est.
Nupsit Antonio Piccolomineo Amalfiæ Duci strenuo,
Cui reliquit tres filias pignus amoris mutui.
Puellam quiescere credibile est, quæ mori digna non fuit.
Vix. anno XX. An. Domini M. CCCCLX.

Occurrunt præterea admiratione dignissima in Alphonsi regis Sacello Christi exanimati effigies, & piæ mulieres circumsistentes, & alia fictilia lineamentorum & magnitudine, & ductu promemodoum spirantia simulacra, & regia præsertim Alphonsi, & Ferdinandi filij capita. In eo verò, quod à Tolosanis extructū, duo & viginti subsellia à nostro F. Ioanne Veronensi artifice præstantissimo, vt in Raphaele Vrbinate Vasarius testatur λιθουργῶς confecta. Ampla quidem fuit hucusque structura Monasterij, & quæ octoginta admodum Monachos caperet, sed neque forma, neque amplitudinē, neque commoditate excellens. Proximè D. Ioannes Abbas vetere, haud tamen penitus exciso, vt cœnaculum in primis Vasariano, & quidem egregio opere illustratum cōseruaret, nouum instituit; quo præfuit triennio duplici grandem perfecutus est molem ædificij. Inter Neapolitanos vixere non pauci nominis celebritate clarissimi. Tres Episcopi, F. Marcus Coppoleus Episcopus Montepelosanus,

Viri inter socios Neapolitanos illustres. Episcopi.

nus, de quo nihil prætereа lectum est, quàm anno 1527. fato extinctum F. Indicus Daualus Episcopus Aquinensis. De illo nihil vidi, nisi Oliuetanę Congregationi anno 1501. nomen dedisse, Episcopum à Paulo III. anno 1536. creatum, & anno 1538. spiritum duxisse. D. Ioannes Matthæus Castaldus Episcopus Puteolanus, cuius opera Io. Baptista Frater Monasterium S. Mariæ in Monte Nucerinum ædificandum suscepit. Abijt autem cum annus ageretur humanæ redemptionis 1585. Summi quinq. præsides F. Hieronymus ann. 1417. & 1431. D. Matthęus Anuersanus anno 1544. D. Placidus anno 1556. D. Cyprianus anno 1568. & D. Ioan. Baptista Anuersanus anno 1587. Proabbas vnus tantùm Generalis, D. Stephanus Anuersanus anno 1584. D. Iacobus Nouariensis Abbas titularis annos circiter duos & viginti in hoc Monasterio Vicarij locum exercet. Maximam vitæ partem in precationibus, Aedisq. diurna, nocturnaque celebratione consumit. Sacris quotidie operatur. Domo pedem nunquam effert. Illo lenius nihil, placidiusque fieri potest, quem maiores æquè ac minores diligunt, metuunt. Fabulam consummat anno 1578. D. Ignatius Latini, Græci, Hebræique sermonis peritissimus, Platonicæ sapientiæ propugnator accerrimus. Quandiu nescio, Aquilæ apud se habuit, Domina Austriaca. Annis proximè transactis naturæ in hoc Monasterio concessit D. Alexander Archirotus Abbatiali titulo cohonestatus annum agens vigesimum supra centesimum ad vltimam vsque ætatem optima corporis habitudine, & valetudine vsus, si quis audiat, admirationem faciente. A Confessionibus fuit Bonæ Polonorum Reginæ, & Barinorum Dominæ. Ex ea annuam quingentorum aureorum pensionem accepit, libro inscripto. Protulit alia nonnulla, eruta præsertim ex operibus S. Augustini, de quibus, ac de illo pariter cum multa animaduerterim, perierunt, neque vlla spes est recuperandi. Attamen hanc breuiorem mentionem omittere nolui. Imperat hodie Monasterio D. Horatius Amorosius inter sacros nostræ familiæ oratores egregius.

De Monasterio Ferrariensi. XXI.


Erraria Vrbs in Italia amplitudine, ac nobilitate insignis annum à Christo nato circiter 400. condita eodem (quod aiũt) tempore, & modo, licet alio, eoque minus fausto progressu, quo Venetiæ, in locis palustribus, & Padum attingentibus, siue aliorum sententia, Viguentiæ à Ferraria, quæ hodie extat, passus.... Vtcumque sit, pro comperto est, Ferrariam olim stetisse, vbi Monasterium S. Georgij, Ferriariolam multis inde seculis appellatam, siue quasi exiguam Ferrariam, siue, Auctore Gasparo Sardo, à præcipuo quodam Foro, quod Romani, victis, eiectisq. Insubribus, Gallis, alijsque populis, ibi instituerunt, homine delegato, qui inter finitimos, quæ vnquam in-

Vrbs Ferraria quo sæculo, quo loco, ædificata sit, et vnde appelletur.

tercederent litigia diiudicaret. Fora, hæc loca dicebantur, vt forum Sempronij, Iulij, Liuij, Cornelij, Lepidi, & alia id genus, atque hoc forum Alienum nũcupatum est, vt Cornelius Tacitus testatur, & colorib. expressum (Sardus ipse inquit) illa Italiæ Geographia vetus adeo, vt Venetiæ nondum excitatæ appareant, quam in concilio Basiliensi acceptũ Venetæ Reipublicæ Legati ad Iacobum Zenium Patauinæ Ecclesiæ Antistitem dono miserunt; seu à flumine Ferrariolo ad Cosandolum decurrente, ita vt prospicientibus triquetra Insula videretur, Pado, Sandalo, Ferrariolo fluminibus circumdata. Vrbis summa ædes fuit S. Georgij. Marinus Sabellus Cardinalis anno Domini 657. primus Episcopatum gessit, Marino Oldradus sufficitur, Oldrado S. Maurelius; quo de infra referetur. Septimo à Christi Natiuitate ineunte sęculo Apostolicæ sedis imperio Vrbs in alteram fluminis ripam transfertur locum tutissimum, ac munitissimum. Multa iam excitata ædificia mœnibus cinxit Smaradus Exarchus Rauennæ, Estensis dein familiæ Principes egregiè auxerunt, munierunt, ornarunt. Sedem Episcopalem vltra Padum primus transtulisse dicitur Griphon, qui, vt lecta fidem faciunt monumẽta duobus Canonicis S. Georgij, *in qua (Ecclesia) Ferrariensis Episcopatus sedes olim viguit* per multas piè tribuit facultates, quas inter, Palatium cum Sacello S. Thomæ, Decimas Conæ, ac Cocomari cum Ecclesijs S. Mariæ, S. Nicolai, S. Michaelis de ripa Padi, & S. Mariæ de Fossanoua cum possessionibus.

Canonici Lateranenses habent hoc Cœnobium.

Canonici deinde regulares Augustinenses in S. Georgij ædes admissi, quibus Alexander III. anno restitutæ salutis 1177. præterea, quæ scripsimus, confirmat Aedem S. Mariæ sacram in Polesenio, toto adiuncto Polesinio S. Lucæ, & Innocentius IV. anno 1245. allatis ædibus Aedem S. Dionysij adscribit.

Cedit in cõmendationem.

Traditur Oliuetanis.

Anno 1414. in Commendationem concesserat Iordano Vrsino, & Petro S. Angeli Cardinalibus, Nicolaus tamen Estensis, qui Marchionis titulo in Ferrarienses dominabatur, summa in Oliuetanos religione compulsus egit cum Pontifice, vt eis Cœnobium S. Georgij permitteret. A Ioanne XXIII. qui Pontificiã tunc temporis dignitatem sustinebat, haud ęgrè impetratum est, dato Bononiæ diplomate Idibus Septemb. 1414. nullo tamen Cardinalium detrimento, quibus viuentibus certam aliquam pensionem quotannis numerari iussit. Anno insequenti 7. Cal. Iun. Thoma Pirondolo Rauennatum Archiepiscopo, & Petro Boiardo Ferrariensi Episcopo præsentibus in Cęnobij, suorumque membrorum possessionem venere Procuratores à summo Olinetanorum Præside dimissi, F. Andreas nimirum Bononiẽsis Prior S. Michaelis in Busco, & F. Franciscus Riccius Patauinus cum socijs.

Ecclesiæ Monasterio subiectæ.

Ex ijs, quas memorauimus Ecclesijs, illas adhuc retinet Monasteriũ, S. Mariæ & S. Nicolai de Cocomaro, S. Marci (alias S. Mariæ) de Fossanoua, & S. Michaelis de ripa Padi, quod idẽ est ac Lagusellũ; De S. Maria ĩ Polesinio, deq. S. Dionysio nihil habeo, nisi eadem illa sit fortassis, quæ S. Sinesij dicitur in villa Conensi, quam lego Priorem S. Georgij annis Domini 1462. & 1519. concessisse; Ad Monasterium spectabat S. Lucæ vltra Padum, vt propterea

rea sacrorum ibi curatorem, eà tamen pactione, collocaret, vt festo die S. Georgij, tres lucios decem omnino librarum ad Cœnobium deferret, & matutinis horis, Vesperis, maximisque sacris interesset; sed anno ab orbe redempto 1544. Hercule Ferrariæ Duce petente, ac Pontifice annuente ab Oliuetanis dimissa, S. Mariæ de Vado familiæ Augustinensis Sancti Saluatoris adiungitur, eà conditione, vt in singulos annos Prior Augustiniensium Sabbato maiori sacrum è S. Georgio laticem peteret, mulcta indicta cerearum centum librarum, census nomine aureum deferret, Prior verò Oliuetanorum, quo die S. Lucæ natalitia celebrantur, eò accederet sacris solemnibus operaturus, vel impeditus, Vicem mitteret. Abierunt etiã nostri (qua de causa incertum) anno Redemptionis 1436. Ecclesia, & Xenodochio S. Alexij in vico S. Saluatoris, nobis attributum, eousque retinuerant. Domus præterea Hospitalis, & Monasterij nomine S. Maurelij in compito Misericordiæ anno Domini 1440. 3. Calen. Apr. ex testamento Bartholomæi Petri Borassonis instituta, qui quidem vita excessurus mandauit, vt ad excipiendos pauperes in Hospitium suæ ædes verterentur, & propterea quatuor admodum lecti instruerentur. Tenet insuper Monasterium S. Mariæ in Salice Oratorium intra Curiam S. Georgij in eàdem regione Misericordiæ ab Hercule Strozzio Patricio Ferrariense anno 1503. suo partim, partim alieno ære emendicato ab Idibus Iunijs anno superiori, cùm illa Deiparæ Virginis effigies primum edidit, miraculum controuersijs inter Oliuetanos, & Herculem excitatis, Monachi liberè potiuntur anno humanæ reparationis 1516. Modò relinquitur, vt de ijs, quæ insignia, ac illustria in Aede S. Georgij reperiuntur, breuiter enarremus. Alterum est Corpus S. Maurelij Ferrariæ Episcopi, & Martyris, quod in Sacello collocatum est ad dextram Aræ maximæ. Alterum verò ad læuam eiusdem aræ conditum Corpus B. Alberti Episcopi itidem Ferrariensis. Annus quidem 1419. agebatur postridie Non. Ianuarij cùm Padus Monasterium præterfluens frequentissimis, insuetisque pluuijs auctus erupit adeò, vt Oliuetanorum ædes fluuialibus vndis mergerentur, ibique fœda illuuies plusculos menses constiterit, vt proinde per Cœnobium, & præsertim ad triclinium, quemadmodum F. Matthæus Rontus Venetus tradit in perbreui Historia, quã, quæ sua memoria contigerunt posteris commendauit, cymbulæ subueherentur. Ea inter incommoda nihil ad tolerandum difficilius, quàm quòd corpora SS. Maurelij & Alberti in subterraneo quodam specu recondita, vt vix locus sub maximo Sacello assignaretur, aquarum inundatione demersa, cœnoque obruta intelligerentur aliquo tamen periculo, ne sacra illa pignora alluuione putrescerent. Vt inuenta aliò transferantur, nemine dissentiente decernitur. Nonis ergo Maijs, in quem diem Sancti Maurelij festus dies incurrit ad Sancti Georgij Episcopus, Clerus, Marchio, ac omnis fermè Nobilitas in ordinem procedentes, quos innumerabilis planè ciuium, & agrestium multitudo sequebatur. Antistites, alijque primates ad nobilissimum

Digniss. ma quæ in hoc Cœnobio asseruata.

Padi inundatio.

F. Matthæus Rontus Venet. Oliu. Historicus.

SS. Maurelij & Alberti corpora.

sacellum, quò Sanctorum Præsidum latere dicebantur corpora accedentes ponte extructo subierunt. Diligenter exquirentibus sese tumulus ostendit. Plumbeas capsulas cubito longas, & occlusas continet. In altera characteres plumbea lamina incisi legebantur. *Hic est Corpus S. Maurelij Episcopi Ferrariensis, & Martyris.* In altera verò. *Hic est Corpus, siue ossa B. Alberti Episcopi Ferrariensis, & Confessoris.* Hinc vtraq. arcula supra maximam aram collocata, Præses, qua decebat pompa, sacrificat. Tam præclaræ inuentionis fama euulgata eo die, & sequentibus sanctos cineres veneratum innumeri pene mortales aduolant, atque illi potissimùm, qui varijs morborum generibus tentarentur, quibus Sanctorum Pontificum meritis verosimile est, pièq. credendum Deum præpotentem singularia beneficia tribuisse. Ea ne proposito longiùs Historia producatur silentio prætermittam ab alijs præcipuè in lucem prolata. Vnum illud apponam, vbi tam multos annos Sanctorum ossa quieuerant, inde postquam amota sunt, purissimum laticem emanasse, quo hausto, siue adsperso, aliquo morbo laborantes, cumulatissimum sanitatis beneficium consequebantur, Arca deinde in altaris modum figuratur, in qua S. Maurelij corpus statuitur, capsa adhuc marmorea B. Alberti cineres, vt modo visuntur, custodiente. Albertus, quod habent nonnulli, patria Brixiensis, gente Pandonius fuit, sentiunt alij Placentia oriundum. Certissimum tamen est, summum Ferrariæ Sacerdotium obtinuisse sanctitatis laude præcellentem. Legi egoquidem in Tabulario S. Georgij eius codicillos testamenti in eodem Monasterio scriptos Idibus sextilibus anno ab humana reparatione 1274. Monasterio, apud quod sepeliri iussit libras, quingentas relinquit, quibus fundo coempto Prior, & Canonici anniuersario pro eius anima parentarent sacrificio, illo vtiq; additamento, argentum suo labore comparatum, ab Episcopatu non contractum. Euolat ad superos, quod aiunt, XIX. cal. Sept. postridie eius diei, quo codicilli in Monasterio, vbi & decedit adscripti. Efferunt ad S. Georgij tumulo mandandum. Indigenæ præcipua Episcopum veneratione prosequentes ad principem Ædem confertissimi. Duo quidem ex miraculo omnibus inspectantibus eueniunt non dubiè credenda, Scribæ Chirographum testiũ confirmatione in memorato Archiuio fidem faciunt. Alterum Dominico Calceario, qui toto quadriennio ad nullum prorsus opificium dextero brachio vsus est. Alterum verò Elisabethæ, cui sex ipsos menses dextera manus è collo pendet operando planè inutilis, certissima enim sanitatis fide sacrum corpus attingentes exoptato beneficio afficiuntur. Nihil autem, quod de hoc Monasterio dicatur, reliqui est, quam anno salutis 1598. his ædibus hospitio exceptum per noctem Clementem VIII. qui ex Vrbe aduenerat Ferrariensis Imperij, quod in sedis Apostolicæ potestatem, Alphonso II. Duce Estensi vita functo, concesserat, Pontificia, & Romana pompa, ac maiestate possessionem aditurus. Sapientissimum à Ferrariensibus Antistitem Generalem accepimus. F. Nicolaum Rouerellium, de quo copiosè admodum primo libro, tres maximos Proabbates, F. Mar-

Inuentio.

De B. Alberto.

Viri è Ferrariensibus ornatissimi.

F. Marcum anno 1477. & 1493. D. Baptistam anno 1550. D. Benedictum anno 1559. Ferrariensem quoque habere possumus D. Iacobum Carpensem Principem Abbatem anno 1476. & 1492. Proabbatem verò 1461. & 1473.

De Monasterio Ariminensi. XXII.



Nter eos, qui fortunis, opibusq. suis rem Oliuetanam mirum in modum amplificarunt, si minùs primum, postremum certè sibi locum non vendicant Malatestij Ariminensium facilè Principes, Carolus in primis filius Galeotti, & Gentilis. Ille cum suæ ciuitatis principatum obtineret, sedisque Apostolicæ summam in Flaminia vicem gereret annum circiter 1417. vel paulò ante ædificationem suscepit Monasterij in suis agris, & speciosi Collis vertice, quem Montem Scolchæ appellabant (*in loco, vbi Episcopatus Scolchæ esse solebat*, legimus in tabulis, Quid autem his verbis denotetur, me pariter fugit, & Ariminenses, quibuscum aliquando communicaui) cuius ædes Mariæ sacra Annunciatæ Virginis nouæ de Scolca titulo diceretur. Carolo cōsilium fuit, vt è monumentis colligitur, pios quosdam viros S. Pauli primi Eremitæ instituta profitentes ex familia Augustinensi, quos maximè coluit, & obseruauit, eò inducendi, facta à Pontifice Romano potestate eos in S. Laurentio de Monte, quod iam obtinebant collocandi, sed etiā, quod suo loco narrabitur eiusdem rogatu Abbatia S. Gregorij, & S. Spiritus Valetudinario attributo, quæ loca per sese aptissima prouentus, quā vbertimos proferendo, ea tamen tempestate diruta propemodum. Paulinis in S. Laurentio commorantibus, breui ad nouum Virgineæ Annunciationis Monasterium deducendis, anno decurrente 1418. omnia sua bona, duo præsertim oliueta Matris studio consita, quicquid denique apud S. Laurentij, ædes siue in Scolca Princeps Malatestius possideret amplissimè donauit eò potissimùm (quod tabulæ ipsæ notum faciunt,) vt singulis Hebdomadis in Deiparæ Virginis honorem pro Matre, & pro pinquis vita functis semel atq. iterum sacrificarent. Iam ex Cœnobitis nonnulli Scolcam incolebant cum tam hinc, quàm è S. Laurentij vniuersæ Cōgregationis decreto, annexisq. bonis decedere coacti princeps Monasterium repetituri. Cur abierint, nihil prorsus legi, natu tamen maximos narrare audiui eos perpaucos Hunnos plerumque, ac Germanos Italicam vitæ rationem ignorantes, nec percipientes, in Germaniam reuocatos. Ergo Martinus Pontifex humanæ restitutionis anno 1421. Hieronymo Arimini Episcopo, misit vt Canonicè non impeditus Paulinis copiam faceret discedendi, eorumque domicilia, ac templa, vel Carthusianis, vel Oliuetanis, siue quibus Carolus, qui ea de re literas ad Pontificē, voluisset, pro ea, qua valebat, sapientia transderet. Carolus Oliuetanos nominauit, eorumque Generalem Antistitem literis certiorem fecit, qui

Carol. Malatestius ædificat.

Datur Sodalibus S. Pauli primi Eremitæ.

Paulinis abeūtibus inferuntur Oliuetani.

re ma-

re maturiùs deliberata, syndicos, & Procuratores eò delegauit, F. Hieronymum Perusinum, & F. Petrum Neapolitanum, qui possessionem adirent, quæ data per Episcopum eodem anno XVI. cal. Nouemb. Quibus confirmandis anno 1417. Nicolai V. acceptæ literæ, quibus adscriptũ erat, ad Scolchense Monasterium tanquam supremum esse posthac referenda templa S. Laurẽtij, & S. Gregorij, nec non S. Spiritus Xenodochiũ. Carolus verò tanta, tamq. insigni in ordinem nostrum munificentia non contentus vlteriùs progreditur. In Codicillo, quod moriens edidit anno

Donegalia. Domini 1429. donauit præterea Oliuetanos Lati fundio Donegaliensi tam vltra, quàm citra Lusium, prædijsque Roncofreddensibus. Ad superiora regredior. De ijs, quæ adiuncta loca habent illustriora, & præstantiora. Ac primùm de S. Laurentio in Monte narratio est.

De S. Laurentio in Monte. Pertinebat olim ad Benedictinos, Prioratus an Abbatiæ titulo prorsus incertum; illud satis, Monastica disciplina iam obsoleta in Commendationem transiisse, & anno ab orbe redempto 1396. Franciscum nescio quem S. Susannæ Cardinalem, vt vocant, Commendatarium, Pontifice non inscio, abdicasse, qui Caroli Malatestij precibus Paulinis attribuit, & 1402. per eumdem Carolum Abbatiam S. Gregorij, nec multo post S. Spiritus Xeniam domum adiunxit.

Abbatia celeberrima S. Gregorij à S. Petro Damiano excitata. De Abbatia referamus. Ea & propter antiquitatem, & propter conditoris sanctimoniam, adnumerãda mihi videtur inter illas, quæ adhuc extant, illustriores, & clariores. Erigit anno à salute parta 1069. S. Petrus Damianus Monachus, atque egregius Eremita, de quo cũ multi multa tradiderint, nos tamen, quod in vetustis huius Abbatiæ monumentis aliquid excepimus, quod alij fortasse nõ attigerunt, ne tantus vir, & itidem locus ab ipso extructus digno honore, meritisque laudibus fraudetur, ea breuiter afferemus, quæ nos legendo consecuti. Petrum Rauennæ procreatum incertus nemo est; De cognomine inter scriptores

Cognomen S. Petri Damiani in dubio est. diffidium. Nonnulli inter quos Segnius Canonicus Regularis, existimãt eum obscuro, honesto tamen loco natum, & à Damiano fratre educatũ, ab eo cognomen accepisse, deinde Petrum Damianum, vel Damiani appellatum. Proditum ab alijs, Alphonso Ciacconio in primis, Petrum Honestorum progenie satis clara editum, vt is Petrum Honestum nominet filium, non fratrem Damiani: Peccatorem cognominatum, Ciacconium, Segnium, & alios auctores habeo. In hac scriptorum varietate, tabularum, quas Petrus ipse subscripsit, & inferiùs adducam auctoritate fretus,

De S. Petro Damiano, multa. eum statuo circa Annum Domini 1060. floruisse, dictum autem Peccatorem, non quòd ex Peccatoria esset familia, sed quod, vt suo loco clarius ostendam animo ita demisso fuit, vt nullum aliud cognomen, quàm Peccatoris assumpserit, eoque literas subscripserit Audijt in re Monastica Romualdum Camaldulensium institutorem, & primus fontem Auellanam habitauit, vbi cum magna Monachorum, vel Eremitarum frequentia multos annos extraxit, dum Stephanus IX. Purpuratorum Collegio aggregauit. Cardinalis personã biennio, & paulò supra sustinuit, tacitus .n. cum animo considerans ad animæ salutẽ multò magis Solitudinẽ conducere

ducere Cardinalatu spōte sua deposito ad Monasteriū reuertitur. Cū ad eū quotidie maior fieret illorū concursus, qui Petro Doctore, Deo nomina darent, hominū saluti vehemēter inhians, loca exquirebat ad Monasticū vitę gen⁹ aptissima. Multa socijs excitauit Monasteria, & eremos, & ex his in Perusino, alijs ad Montem Pregiū, alijs verò ad Montem Regiū. Si Pregium cum illis legeris, existimes velim S. Nicolai de Pregio, quod ad Sodales Eugubinos attinet. Si verò cum his Regium, quid nā sit penitus ignoro, nisi Camporegium dixeris in Eugubino ad Perusinum pertinente, quod ab eisdem felicissimè possidetur. Alterum sibi, suisq. Petrus comparauit domicilium in agro Ariminense Morciani S. Gregorio consecratum, de quo sermo instituendus. Voluebatur annus ab orbe reparato 1069. cum Petrus Bennonis filius (vir, vt conijcio, opibus prępollens) prope Morcianum ad Conchæ profluentem Petro Damiano amplissimum obtulit prædium, in quo extruendum curauit Monasterium, & copiosissimo dotauit patrimonio, cuius donationis tabulas, quò meliùs appareat, transcribere placitum est. *Abbatia S. Gregorij antiquitas & origo.*

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ab incarnatione eius Millesimo sexagesimo nono, & sedis Domini Alexandri Papæ, anno octauo, die septimo, decimo mensis Iunij Ind..... Quoniam diuina inspirante misericordia, placuit iam dudum mihi Petro bonæ memoriæ Bennonis filio, omnia quæ mihi Dominus largire dignatus est sibi soli reddere, & ad vtilitatem seruorum sibi fideliter seruientium, & seruiturorū in perpetuum concedere, elegi vnum, quem inter mortales magis idoneum, & commendatione ad hoc opus existimare valui, cui omnia committerem videlicet Domno Petro Damiani sanctissimo Anacoritæ Patri nostro. Idcirco profitens profiteor ego præfatus Petrus consentiente libentissimè vxore mea Algunga, desiderio, & mente sincera seruire sæpe deuoui. Tibi prænominato Eremitæ infrascriptorum locorum dispositori, & per te in Monasterio S. Gregorij, quod tu ipse in nostro prædio ad honorem Dei iuxta fluuium Conca in loco, qui dicitur Fontana vecla voluisti ædificare, & Abbatibus, ac Monachis illi venerabili loco seruientibus, ac in perpetuum seruituris. Per hanc paginam donationis dono tibi partem meam de Ecclesia (erat hæc Murciani) *cui vocatum est Sancti Ioannis Euangelistæ, & Palatium meum donnicatum, & casas, & curtes, atque hortos quantacūque mihi proprio iure pertinent infra totam Ciuitatem Arimini, & in suburbio ipsius, simulque curtem meam integram ipsius Ciuitatis positā tam in plebe Sancti Laurentij, qui vocatur in Monte Apodiano, quàm in plebe Sancti Ioannis in Bulgaria, & in plebe Sancti Ioannis in Cella Iouis, cum mea quarta parte de Castro, & curte, qui vocatur Faitani cum suis appendicijs, & pertinentijs, seu in Plebe S. Viti, & S. Martini, qui vocatur Viburduclo, siue etiam in plebe Sācti Paterniani. Item concedimus Castrum Morzanum cum curte sua integra, & cum omnibus, quæ mihi in territorio Castri Conchæ in plebe S. Gregorij pertinent. Nec non & curtem meam de Fagnano posita in plebe S. Erasmi, cum omnibus alijs, quas proprio iure infra ipsam Plebem habeo, aut in plebibus Sancti Sauini, & Sancti Laurentij in Strata. Rursum concedo Castrum meum, quod vocatur Mons Dainus, &* *Tabula donationis Petri filij Bennonis S. Petro Damiano.* *Domnus Petrus Damianus sāctissimus Anachereta.*

aliud Castrum quod vocatur Cappole (vel Toppole) cum monte, qui vocatur Nurs cum curtibus suis. Item infra plebem Sancti Lauditij, & in plebe S. Laurentij...... Sicque etiam largior omnia, quæ mihi pertinent infra Ciuitatem Pisauriensem, & in toto comitatu ipsius, curtem scilicet de Fageto, & Monteclo, quod olim fuit inceptum ad faciendum Castrum à Corbone filio Morouti. Quin etiam dono meam proprietatem in præfato Monasterio de territorio Fertrensi, videlicet Castrum meum de Monte Magantum, qui vocatur Tinna russa, & montem Segizo, qui vocatur Florentino, & Monte Deodato, qui vocatur Casule, & tertiam partem de monte Cucco, & omnes pertinentias meas de Montibus, qui vocantur Gemini cum Curtibus, & appendicibus suis, & quartam partem de Monte, qui vocatur Bonio, &c.

QVo inscripto verba illa cum admiratione attendas, *Quem inter mortales, &c.* vnde firmissimum de sanctitate Petri Damiani educitur argumentum, qui adhuc viuens sanctissimus vocabatur Anachoreta. Post duos annos, currente scilicet anno 1071. Opizoni Episcopo Arimini Petrus concedit, ac submittit Monasterium. *Quia* (inquit Petrus Episcopum alloquens) *in vestra Diœcesi positum est, & quia vtile, & cõgruum vtrisque sanctis locis futurum esse putauimus, & commodius, ac modestius vestro patrocinio gubernari, & subsidio, ac defensione credimus subueniri, & munificentia quasi bonæ matris vestræ Ecclesiæ misericordia exaltari, qua de re hac omnia Deo auctore incæpimus, & sub hac spe perfecimus.* Hac subscriptione cõcessionem Petrus approbauit. *Ego Petrus Peccator Monachus consensi, & subscripsi.* Inde sequitur. *Ego Vngarus presbyter, & Monachus, atque Abbas Monasterij S. Gregorij, cõsens. & subsc.* addito duorũ Monachorũ, & Scribæ testimonio. Hinc, quod initiò dicebamus, efficitur, Peccatoris nomine familiam non iudicari, sed modestiam, sed humilitatem animi, cum vt videtur, præpositus fuerit Abbati S. Gregorij, literis ante Abbatem subscriptis, non Præsulis, non Antistitis, non alicuius præfecturæ titulo, sed Peccatoris cognomine vsus. Præterquàm quòd, si Peccatorio genere fuisset, verosimile non est, hominem à rebus humanis alienissimum sese illa, quę popularibus pluris est, appellatione decorasse. Idq. habeo dilucidiùs, quod Scriba, qui de more tabulas conscribit eum in fronte Petrũ Damianum appellat, qui cætera omnia confirmaturus se non Damianũ, sed Peccatorem vocat. His verbis Monasterium Episcopus in fidem recipit. *Ego Opizo Arimin. Episcopus, &c. spondeo & obligo in perpetuum de Monasterio præ dicto fundato iuxta Coucham in prædio bo. mem. Petri Bennonis, per Domnum Petrum Damiani Religiosum Anacoritam, & Præsulem, &c.* Præter hanc Abbatiam diximus Paulinis Carolum Malatestiũ Hospitale S. Spiritus impetrasse, quod non longiùs aberat Arimino ante quadringentesimum annum ad pauperes accipiendos, ægrosque curandos à Ventura Ariminensium Episcopo extructum. Diu Augustinenses tenuere, A populorum concursu eò pietatis ergo confluentium multa adipiscitur, quę Clemens IV. anno 1266. literis complexus est, quibus hæc inter alia confirmantur

Hospitalis Aedes S. Spirit' primò Augustinēsium, deinde Oliuetanorũ. Hodie non est.

firmantur. Arimini S.Bartholomæi, S.Ioannis de Hermenis, S.Trinitatis Ecclesiæ cum prædijs, & fundis, Plebs præterea S. Laurentij in via cum Sacellis ab ea pendentibus, decimis, agris, possessionibus, &c. locus ad molituram, quem apud plebem habebat ad flumen Themesim, Aedes S. Bartholomæi de Adomaria, & S.Martini in Archione, Oratorium S.Mariæ in Monterono cum Parochijs, Agris, & Fundis. In Diœcesi Anconitana S.Christophori de Fanalijs (siue Faualijs) cum ijs, quæ spectant, Ecclesia; Redditus annui pecuniarij, & cerei, quos percipiebant Arimini. Decimæ in plebibus S.Archangeli, S.Laurentij in via, S. Patrignani Scorticatæ, in ædicula S.Marini Lucianæ, & S. Andreæ Petrignani, prædia ac possessiones, &c. Nadaræ, in Plebe S. Petrignani, S.Laurétij Coringiani, S.Martini de Montabbate, S.Martini Cerreti de Monte Scutulo in Cæsenate, vbi Branchisium, aliaq. bona, quæ si vniuersa recēseam, legens fastidiret necesse est. Hanc Hospitalem sedem bellis, alijsq. calamitatibus, penè euersam Carolus summo in ea, quæ Deo condita sunt, studio incensus anno à Christo nato 1404. Bonifacio IX permittente, penitus demolitur, aliamq. reponit in Vrbe, qua Regio est S.Bartholi, cui Sacellum deinde S.Mariæ de Angelis Camaldulensibus olim adscriptum, vbi nonnulli ex præscripto S. Pauli primi Eremitæ viuentes, & in Ædibus S.Laurentij in Monte degentes residerent, coniungeretur. Quocirca eodem anno ædificatio instituta, vbi (quòd aiunt) hodie extat Scolchiorum Monachorum Hospitium ad vrbem, si quid opus fuerit, descendentium. Nullum in præsens Hospitalis vestigium. Quòd attinet ad sacra Abbatialia, & Xenodochialia loca, ex Abbatia possidēt hac tempestate Scolchij Oliuetani S. Andreæ de Casali, S.Michaelis de Morciano, S. Mariæ, & S.Luciæ de Musculo, & S.Leonis de Valisella ad Salodecium ædiculas Christicolis sacra procurantes. Ex Hospitale verò Monasterium accepit simplex S.Trinitatis Sacerdotium, & Parochiale S.Martini in Archione, quem locum hodie Arcionem, aut Arzonum. In plebem S.Laurentij in via, quam clariùs quouis alio adnexo tabulæ testantur, liberam Xenodochium obtinuisse, Scolchijs Monachis nullū, quod scio, ius est. Haud mediocrem tamen mihi affert admirationem Ædem S.Bartholi ab illis non possideri, & vacantem pro arbitrio non demandari, cum nos (quod fortasse non curauimus de S.Laurentij in via, & alijs, quibus eò non fruimur) ius nostrū sæpe in illa executi sumus, eiusq. collationes vidi à Priore, & Scolchio Collegio habitas annis à Seruatoris Natiuitate 1446. 1469. & 1487. De causa aliorum sit iudicium. Prædium in Cæsenate ad Brāchisium, qui locus inter veteres habetur Hospitalis possessiones, obtinuit sanè Monasterium, non autem Hospitalis causa, sed à Sigismundo Malatestio, qui à Xenodochio coemit, anno 1450. dono datum; Monasterio inde Roncofreddensi adiūctus est. Restat ut de Donegalia pauca persequar. Latissimè patet hic locus, quem si illius regionis more metiamur, cōplectitur sexcētas, ut loquūtur, tornaturas ī feracissimas septē diuisas possessiones. Quadringētos ante annos, & eò ampliùs fuit, & Tē- *Latifundium Donegaliæ.*

Cc 2 plum

plum S.Mariç sacrũ, & Sodaliũ couentus, cuiusnã Ordinis, uel Disciplinæ haud scio. Notissimũ quidem est per Alex.IV. Sodales Donegaliẽses F. Iacobo Arimini Hospitalis S. Spiritus priori, eiusque Cœnobio Augustinensi sese cum omnibus bonis subiecisse absolutissimam pollicitos Augustinensium constitutionum executionem. Migrant igitur Donegalia, non sine causa, bellis instantibus, cęlique inclementia perterriti. Sed non procul à Donegalia alterum in S. Iustinæ Curiæ finibus cæperunt ædificare Cœnobium, vt ex tabulis proximè scribendis innotescet.

IN nomine Domini. Amen. Anno eiusdem millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo. Ind. 10. die Martis 11. Mensis Maij exeuntis. tempore Innocen. Papæ IV. Cum Dominus Guido, & fratres, qui olim morabantur ad locum Donegaliæ imminente necessitate guerræ, & etiam infirmitate loci cum auctoritate Domini Algisii tunc Arim. Episcopi, de quo constat per eos, qui de capitulo interfuerunt auctoritati præstita, licet instrumentum de hoc non appareret, incæpissent mutare ipsum locum Donegaliæ in parochia S. Iustinæ in loco, qui dicitur Limata super possessione Dominæ Alticinæ vxoris quondam Rainerij iudicis ad supplicationem dict. Prioris, & fratrum, & intuitu, ac fauore religionis ampliandæ. Dominus Iacobus Dei, & Apostolicæ gratia Arimin. electus quod factum erat de ipsa mutatione confirmauit ex certa scientia dans, & concedens F. Matthæo fratri dicti loci nomine ipsius, & fratrum, & Prioris existentium, & futurorum in ipso loco plenam licentiam, & liberam facultatem ædificandi, augmentandi, & faciendi, & complendi ipsum locum cum Ecclesia, cæmeterio, altaribus, & campanis, & omnibus vtilibus, & necessarijs ad Ecclesiam, & Religionis locum &c.

ARiminenses Vicarium Generalem dederunt anno 1542. D. Ioannẽ Matthæum. Bonis literis deditissimus est, eiusque memoriam pluris habet. Ariosto libros duos adscripsisse tradunt. Varæ quidem, & per quã limatæ latino sermone inscriptiones præsertim in hoc Monasterio perleguntur. Illo per quam familiariter vsus est Iulius III. qui summopere hominem dilexit, in difficultatibus adiuuit. Elegantissimum quodq. in structura Monasterij bene quidem, & ratione ædificatum Io. Matthæo Abbati in acceptis referendum, in æde præsertim sacellum maximũ suo non tantum, sed etiam Georgij Vasarij Architectonicæ, & Picturæ scientissimi, suique amantissimi ingenio adhibito. In Icone eiusdem artificio Vasarij viuentes propemodum inspici dicunt Io. Matthæi, & Pij Quinti Ariminensis eo tempore Inquisitoris effigies. D. Cyprianus Abbas, & Visitator ante annum quintũ, & vigesimum optimè de hoc loco meritus, apud posteros dicitur, in ædificijs potissimùm, ex his in ædibus vniuersis Donegaliensibus. Sed D. Cyprianus Pauonius tam ætatis, quãm administrationis palmam inter cæteros omnes Abbates retulisse mihi videtur. Nondum tricenarius anno 1611. Roma, vbi tunc immorabatur, eò Abbas destinatur; anno 1614. in triennium confirmatur; factus præterea Visitator anno 1617. eòdem reuertitur, donec anno 1619. Paulus V. Episcopum legit Ariminensem, Petro fratre curante, quindecim, & amplius

Sodales Ariminẽses laude dignissimi.

D. Cyprian. Pauon. Oliuetan. Episcopus Arimin.

plius

pliùs annos Pontificijs Cubicularijs præfecto, Pontifici ab adolescentia inseruiente. Inter Monasticæ huic domui data incrementa Pauonius, vt pauca attingam in candelabra, lych[illegible]umque, argentea, Sacra insuper vestimenta, ædis ornamento comparata scuta mille quingenta, totidem penè, & supra in Roncofreddensem ædificationem, & multò plura in Murcianense templum à fundamentis erectum, aliaque ædificia, & consimilia, quorum commemorationem non cogito, erogauit. Ad hæc Monasterium, quo maximo ære alieno iampridem obstrictum erat, egregiè liberauit. Acuum hic decurrit D. Andreas Olphius Abbas Titularis, quinque, & octoginta annos natus deprecationibus, sanctisque pietatis officijs collocatos. D. Hippolytus Salodius, & Abbatiali ipse quidem titulo insignis, cum per aliquot annos Monasterium gubernauerit Theologiæ, & Mathematicæ professor eximius, qui anno præterito librũ typicis notis commisit, quem ea inscriptione signauit, Tabulæ Gnomonicæ, maximum sociis Ariminensibus honorem exhibet.

De Monasterio Villanouano. XXIII.



Nnus voluebatur Christianæ salutis 1401. cum Nicolaus Sũmariuius Æques, & Iurisperitus Laudensis scripto testamẽto Angelum fratrem, & Cardinalem ex asse hæredem instituens mandauit in cęteris, vt in Oppido suo Villanoua Laudensium finibus contento fundaret, erigeretque Aedem, & Monasterium Sanctis, Angelo, & Nicolao sacrum Oliuetanis, eisque tantum bonorum adiungeret, quantum suo censu è nostris aleret viginti. Legata Nicolai (qualis qualis causa fuerit) ad annum vsque 1427. non exhauriunt, cum Cardinalis in Vrbe ad S. Mariæ Nouæ F. Francisco Placentino Visitatori prædictæ Aedis, & Cœnobij iam instituti dotale oppidum Villænouæ tradidit cum domicilijs, intu forisq. constitutis, villa ipsa, prædijs, vineis, pratis, pascuis, syluis, saltibus, paludibus, aquis, & riuis secundùm flumina Lambrum, & Silarum, qui ex eo loco, qui de Bonattis dicitur, ad pontem omnium Sanctorum profluit, alijsque potestatibus, quam ad Cardinalem, vel ad Oppidum pertinerent. Palatium quoq. Laudense donauit iuxta ædem S. Martini, vbi templo ædificato, Oliuetani aliquæ permanerent, sacra peragerent. Propter hæc tam singularia beneficia Monachos pridie cal. Sext. Nicolao fratri, sibiq. quo die obiisset anniuersaria parentare iussit commemoratione, singulis Hebdomadis in Sacellis S. Mariæ de Niue, & S. Nicolai in Cathedrale Laudensi semel operari, quod si non exequantur palatio abscedant ad fores Xenedochii S. Blasio sacri in Laudę suburbiis ab ipso Monachis assignati pro ea, quæ olim exercebatur, hospitalitate, Eleemosinas egentibus distribuere, literis Apostolicis ea de re concessis. Anno subsequente summus nostri Ordinis Antistes Villænouę misit, qui possessionem ineant, cum, de quo superius

A Nicolao Cardinale Summariuio instituitur.

perius

perius incidit mentio F. Franciscum Placentinum Priorem huius Cœnobii declaratum,& F. Benedictum Hispanum in Cœnobio Romano Vicarium paulò post XI. cal. Sext. Cardinalis naturæ satisfecit. Haud diu fuit cum in Hospitio S. Blasii conditur, atque instituitur Monasterium, quo vndecim ferè sodales conuiuunt,& testatoris consilio miserorum publicæ inopia subleuatur. Verum anno redemptionis nostræ 1523. flagrante bello Insubria, fama est, milites eà iter facientes panem in capita postulasse, rei domesticæ prefecto denegante, duos Monasterium irrepentes, feno, straminiq. flammas iniecisse, cum extingui nõ posset, totum incẽdio absumptum. Eo quidem infortunio in Annunciatæ Virginis Cœnobium eiusdem suburbii sese receperunt Oliuetani. Sexennio, vel septennio ante ædificationem aggressus erat Placentinæ persimilem F. Philippus Villanus Laudensis, qui Prioris personam Villænouæ sustinebat, eòque altitudinis excreuerat, vt commodum esse posset Domicilium. F. Marcus Cremonensis sodalibus sex adiunctis Prior constitutus est Villanouanis alimenta subministrantibus. Et huius eadem, quæ superioris, fortuna. Etenim annum circiter 1524. turbata bellis ardentibus Insubria, milites in ipso Annunciatæ Monasterio commemorantes rabie, aliaue libidine cõcitati igne illato, omnia propemodum deleuerunt. Restitutũ tamen quã commodissimè potuit, post multos annos coluere iterum Oliuetani. Neque verò multum abfuit, cum supremo tandem excidio corruit. Anno post Christum natum 1554. Comes Franciscus Galarius Mediolanensis Laudensium moderator dirutis mœnibus ad SS. Blasii,& Bartholomæi regiones, vicosque Monasterio exitium significare. Nostri Mediolanũ cõfugientes literas impetrant gratissimas, vetitumque consilium Gubernatori non tamen meliori animo vsus paucis post mensibus negocio rursũ exhibito euersionem consequitur. Villanouani redeamus. Subditus est vicus ipse (cùm nusquam Oppidum existat) Villænouæ Pontificia non tantum procuratione, cum Parœciæ titulum templum nostrũ obtineat ab anno 1497. quæ antea Masalenghi continebatur, verùm etiam Cæsarea,& beneficiaria (feudum appellant) collatione. Id quidem ab Alexandro,& fratribus Raidientibus libris 800. anno 1483. cęptũ est. Ratumque habuit Ioannes Galeatius Sfortia Dux Mediolani cum iure Prætoris, vectigalibus, alijsque huiuscemodi. Post emptionem indigenæ fidem primùm iureiurando obstringunt in verba F. Ioannis Bedagiensis Prioris,& F. Iacobi Ferrariensis Oeconomi.


Monasteriũ in Hospitio San. Blasii erectum milites incendunt.

Monasterium Annunciatæ Virginis i suburbio Laudensi.

Feudũ obtinent sodales Villanouani.

De Monasterio Portuuenerio. XXIV.

Eugenius IV dat nobis Cœnobium Portuuenerii.



Summis Pontificibus, qui Congregationem nostram singulari beneuolentia complexi sunt, haud postremus Eugenio IV. locus est. Is præter alia, quæ humanissimè contulit, beneficia, nemine, quod sciam, quodque eius diplomata anno restitutæ salutis

lutis 1432. VII. id. Maias & 1435. VI. id. Feb. data commemorent, vel instante, vel expetente, sed planè ex animo, hoc Cœnobium nobis tradidit. Tradidit autē illo tempore, cū vltimo Abbate nomine Gabrielio viuis adempto, & nullo per ipsum triennium administratore, insignem rei cum humanæ, tum diuinæ iacturam fecerat. Restitutioni aptissimos intelligebat Oliuetanos. Sciendum tamen, sedem, quam hodie incolunt penè Oppidum Portuuenerium ad Spediam, eam non esse, quam Pontifex principiò detulit sodalibus nostris antiquissimam, aliorumque, quod refertur, membrorum caput, verùm in Tiro Insula, quæ non longo inde spatio disiungitur vocabulo S. Venerij, licet aliquando, vti annis Christianis 1017. 1127. & 1237. in primis dictum reperiatur. *Monasterium S. Mariæ, & S. Venerij, quod est constructum in Insula, quæ nuncupatur Tyrus.* Illud, in quo hoc tempore commoramur, nuncupamus propriè S. Mariæ de Gratia, vel de Gratiis, eratq. olim Eremus, quam inopes Eremitæ habitabant, ex quo nobis à Pontifice traditum est, qui quidem fidem facit, se illud S. Venerii Cœnobio apponere, quòd Oliuetanis illà iter facientibus, & ad ocium, & ad hospitium aptissimum sit. Fundum dono dedit Vregnanum, aut Visignanum cum ædificio, & circumiecto solo anno Christi 1406. Constantia Portuueneria Bartholomeo Cistercieñsi, qui S. Mariæ (quod vocant) de lo sedio in Vercellensi Abbas præsidebat, vt S. Mariç de Misericordia Cœnobium poneret, idq; proculdubio conficiendum fuit. Sit satis, ab Eugenio Eremum nominari, in qua nostri S. Venerio (qua de causa nescio) abeuntes esse cœperunt anno salutis 1470. Attamen ex ea tempestate scripta sic loquuntur sæpenumero, Sancti Venerij, non S. Mariç de Gratijs Monasterium. Sanuenerianum in Tyro fuit quidem, estque ex parte hac memoria iure humano, ac diuino celeberrimum, & multò maxima cum veneratione inuisendum propter S. Venerij Confessores reliquias, qui in proxima Insula Palmatia solam vitam exegit, Angelorum opera huic sepulturæ commendati. Fidei pleno scripto infra probabitur; Pontifex ipse illis verbis significat; *in quo corpus eiusdem S. Venerij, vt piè creditur, requiescit.* Hinc mirandum non est, tam multa consecutum, è quibus nonnulla, serie temporum seruata, minimis tamen omissis, in medium afferentur. Ac primum dictum volo, Monasterium libero imperio vti in tribus illis, quæ Portuuenerium attingunt, insulis Tyro, Tyrolo, Palmatia. In peruetusto codice de bonis consistentibus, à Marco Archipresbytero Ecclesiæ Nicolensis Præposito anno Christiano 1155. precio comparatas, memoriæ proditum est, Singrapham ipse vidi, qua confitetur libras 14. & dimidiam ære Mediolanensi de Alberto Abbate, cui in Tyro, Tyrolo, Palmatia vęnum ierant, & *in Vinera cum portu, & omnibus quæ eidem Insulæ pertinere videntur cultis, & incultis pascuis, piscationibus, portubus &c. Verùm*, si bijcit Abbas, *quia sanctorum Patrum Religio Ecclesias vendere omnino prohibuit, Ecclesias, quæ sunt in suprascriptis locis non emo, vel precio adquiro nomine emptionis sed exinde in singulis annis soluere debemus Domino Præposito & suis successoribus lib. 1. incensi*

S. Venerij Confessor.

Tres Insulæ liberè possidetur.

in

in Castro Arcula in festo Natiuitatis Domini. Verùm enim verò me non præterit multò ante in Insulis dominatum; Guido enim Marchio anno 1017. ad Cœnobium dono transmisit cum quibuscumque, vel ad piscatum, vel ad similia pertinentibus, & per Andream Episcopum Lunésem anno Domini 1125.(nisi adscribas 55.) omnia eius bona confirmantur, ac præcipuè Tyrus maior insula, *& vtraque circumiacentes aliæ cum libertate, & in portu, & in mari piscandi &c.* & omnes Ædes, & S. Andreæ de Fabiano nominatim. Qui tamen sub anno 55. emptæ sint, iudicent alij. Quod attinet ad ius, quod supra diximus piscandi ex anno 1569. per Nicolaum Solarium apud Portuuenerios pro Genuensibus Prætorem fertur sententia, locum Piscatorium in Palmatia, vbi Thunnos capere consueuerunt, quemque ipsi vulgò Calam appellant, eòusq. fuisse, & adhuc esse Monasterij S. Venerij. Huic profitebantur imperium conductores, Thunno dato; sed post multos annos exædificata turri, nullus capitur. Et quoniam in altera præsertim harum Insularum certis quibusdam téporibus Cuniculorum venationi opera dari solita est, vnde inter Abbatem, & Insulares multa sæpius dissidia excitarentur, obuiam itum cum hoc Decreto.

Portuuenerierum ius antiquum venãdi Cuniculos: pelles tamen essent Monasterij.

ANte pontile Capituli. Consules Rogerius de Castro. Lanfrancus de Alberico. Ansaldus Auriæ laudauerunt voluntatem Domini Alberti Abbatis de Tyro, hoc in eorum præsentia annuentis, & affirmantis, vt Commune Ianuæ, & Castellani ipsius de portu Veneris deinceps habeant omne ius vtendi venatione cuniculorum Insulæ Portus Veneris, & capiendi ipsos cuniculos, captosq; habendi, & faciendi quicquid velint sine cõtradictione nominati Abbatis, & successorum eius, & omnium de cætero pro ipso Monasterio, veruntamen pelles ipsorum cuniculorum Monasterio reddant. Laudauerunt etiam, vt nullus alius ipsa venatione perfrui possit, nisi quandoque fratres ipsius Monasterij per se, vel gratia alicuius sui amici. Laudauerunt etiam, vt omnes habitatores Insulæ nominatæ, qui nunc, aut de cætero ipsi Monasterio tenentur, aut tenebuntur de habitatione ipsius Insulæ pro eo, qui portu Veneris, aut in terram magnam veniant habitatum, non possint ampliùs infestare ipsius Monasterium, nec eam terram habere, nec tenere contra voluntatem eius, nisi huic laudationi præfatus Abbas, aut ille qui terram Insulæ eis locauit specialiter abrenunciauerit; hoc autem ideo fecerunt, quia de cuniculis supradictæ Insulæ frequenter oriebatur contentio inter nominatum Abbatem, & castellanos Portus Veneris, quam, seruata tam vtilitate communis, quàm voluntate prædicti Abbatis finierunt, vt supra laudantes. Præterea de habitatoribus prædictæ Insulæ magna contentio erat, quia cum in Portu Veneris, aut terra magna veniebant habitatum, nec terram insulæ volebant dimittere, nec inde præfato Abbati de ipsius iustitia respondere. Quod quia iniquissimum erat, & rationi contrarium, vt de tali mutatione loci debiti posset conditionem exuere. Laudauerunt, vt supra. Millesimo centesimo sexagesimo nono. 9. die Iulij Ind. 7. Ego Io. notarius iussu suprascriptorum consulum scripsi † Ego Otho iudex †.

Sed

SEd, vnde ad Insulare Abbatis dominium digressi sumus, eò redeamus. Anno 1050. Albertus,& coniux filia Vberti Comitis de Comitatu Parmæ Marchiones (sunt mihi Palauicini,de quibus in Castilionensi)sua quadam, vt aiunt,cohorte cum omnibus fundis, quibus in Corsica,in Fraxo vtebantur pietatis studio donant Monasterium. Annis deinde exactis templum S. Venerij rursus Vezanij restituitur, S.Venerio Tyrano, quod inferiùs perlegas,subijcitur.

† *IN nomine Dei summi omniumque Sanctorum. Statuerunt Seniores Vizanienses,videlicet Einricus Anulfredus filij Bellagarij consentiente matre eorum Domina Guaza,& Gerardus cum fratribus suis,scilicet, Opizio de Ardezione cum reliquis parentibus, & consiliarijs, vt readificaretur Ecclesia S.Venerij Christi Confessoris in loco, qui vocitatur Antonia dudum mirificè posita,sed nequiter à quibusdam peruersitatibus destructa, vbi idem Confessor priscis temporibus, vt in eius admirabili vita legitur, per manus Lucij Lunensis Episcopi eidem in Tyro maiore Angelicis manibus humatum diuinitus reuelato delatus existit. Cuique idem Antistes, sicut modernus Præsul Lazarus plurimarum terrarum dona concesserat. Tali videlicet ordine, vt perpetualiter maneat,seruiatur,& teneatur ab Abbatibus, & Monachis in Tyro fideliter degentibus,& Deo,sanctoq. Venerio militantibus. Neque concedatur, vt terra eiusdem Basilicæ à nobis in præsens,vel infuturum data,aut supra scripto Monasterio à fidelibus delegata,vt venundetur, aut traslatetur, vel infeoggetur,sed in sumptum, & vsum fratrum semper seruetur. Anno ab Incarnatione Domini millesimo octogesimo quinto. Ind.6. 4.Non.Nou.&c. Actum in Castro Vezzano feliciter.* *Templi S. Venerij Vezaniensis restitutio.* *S. Venerij Corpus ab Angelis mirabiliter tumulatur.*

ANno virginei Orbis 1231. hæc omnia,vt pote antiquitus Cœnobio apposita, Gregorius IX. enumerat. Præter insulas Palmatiam, Tyrum maiorem, Tyrum minorem. *Cappellam Sancti Bartholomæi de Donnicato, Cappellam Sancti Nicolai de Arcula, ius, quod habetis in Cappella S.Columbani, Cappellam Sancti Andreæ de Fabiano. Cappellam Sancti Antonini de Viuera. Hospitale de Cerbario cum Capp. & alijs pertinentijs suis. Capp. S. Venerij de Campetello. Capp. S.Iacobi de villa Cignano, cum curtibus, hominibus,& libertatibus eorum,nec non temporalibus iurisdictionibus,quas habetis in villa prædictâ. Terras de Albana,de Auernano, de Monte Bartario mediante decimarum de Portu Veneris, & de Càmpilijs, Tiscarias de Palmaia, & Tirũ, & Tirolom. In Corsica curtem de Faxo cum seruis,& ancillis,terris,siluis,venationibus,portis,aquis, ac omnibus ad eam spectantibus seu pertinentibus. Cappellam Sancti Gauini. Cappellam S.Marcelli. Cappellam S.Thomæ. Cappellam S.Quilici cum pratis,vineis &c.Cappellam S.Nicolai, & Capp. S.Ambrosij, &c.* *Multis,eisque sacris Aedibus Monasterium fruitur.*


De hic paucula nonnulla, quæ mihi tabularum lectione cognita sunt, commemorabo. S.Bartholomæi Innocentius IV.meminit anno 1247.& 1253.Prioratum vocitat, Martinus V.anno 1420. Ædem rusticanam, aliquando Pontremolensem,& Nicolaus V.anno 1448.nihil curantem. Huius extãt complures Abbatis collationes. S.Nicolai de Arcula Io.22.

Dd anno

anno 1325. in Genuensi, alibi in Lunensi Diœcesi constituit. Annus igitur à Virginis puerperio 1214. Matilda Carpiniensis cum viro Aldouino in homines, eaque omnia commoda, quæ Fabiani possideant, vt hodie loquuntur, homagium ad Cœnobitas Portuuenerios transmittunt, &, quod pertinet ad Ecclesiam, Canonicæ titulo honestatur anno 1249. annuis quinque solidis pro censu Io. Baptistæ Natalitio die persolutis. Domus, quam diximus, Hospitalis anno Christi 1217. in cõfinibus Massæ Marchionum in Cerbaria, siue Ceruaria prope flumen Frigidi, inter Frigidum videlicet & Burgum Auentię in loco, vbi dicitur Pons Martini Ferrarij, & etiam Cultrexaria, aliàs Calcaniola, Caraniola, Calcaiuola. Garsendræ & Andreæ Massano Marchionatu insignium ære fundatur, & Abbatis Tyrani Imperio submittitur, S. Mariæ Magdalenæ appellatur, proximum est templum S. Leonardi, & anno 1440. Episcopi Sudenensis, quem Pontifex delegauerat iudicium legitur, Xenodochium, vel ea tempestate dirutum, vti etiam S. Margaritæ Montiniosensis ex veteri memoria ad Cęnobium pertinere, ac iure obtineri S. Margaritæ cum additione de saltu Ceruiæ in Monte Tinioso cum bonis omnib. anno 1576. in nostram S. Mariæ de Gratijs Proepiscopus transfert Sarctianensis. S. Venerij de Capitello eadem est, quod animaduerti, quæ Vetianensis, de qua superiùs. Ita prodidit anno 1546. quadam excitata controuersia in Confirmatione Paulus III. S. Gauini in Corsica vndecimi sæculi anno 3. mentio est, addito, de Mala, siue Malla, siue, quod multò recentius est, de Belgoderio Balaniæ Marianensis Diœcesis. Aliæ quoque his iam dictis adnexæ, S. Marcelli de Clesana, S. Thomæ de Lioco, & S. Quirici de Rostino Consolarsiæ, siue Consoleuiæ in Sciensi, S. Nicolai, & S. Ambrosij, vbi Spaniũ dicitur, in Aleriano. Eugenius præterea anno Domini 1449. 9. Cal. Martias egenti Monasterio adiunxit Abbatiam siue Cœnobium *S. Venerij de Separano, vel Ceparana prope Castrum Bolani Ord. S. Bened. Lunen. Diœcesis, quod distructum, & dirutum existit, ac tanto tempore citra, cuius cõtrarij memoria hominum non reperitur, conuentu caruit, pront etiam caret de præsenti &c.* Literæ sunt apud nos datæ anno Deiparæ 1097. Insuper Oliuetani iure patronatus potiuntur in Sacellum SS. Martini, Augustini & Nicolai, quod Portunenere in templo S. Laurentij positum est, relictum autem à Martino quoddam Portuuenerio anno 1518. 6. Non. Maias. Tresaniæ S. Prosperi Parræciale Sacerdotium conferunt.

De Monasterio Patauino. XXV.

Quinque in Patauino Monasteria tenuerunt Oliuetani.



Atauij, atque in Patauino quinque fuerant Oliuetanis Monasteria S. Mariæ de Armenis, quod postea à M. Oliueto vocitarunt, in regione Omnium sanctorum anno Redemptionis humanæ 1348. S. Mariæ de Riperia, siue Pulueraria anno proximè consequenti, S. Ioannis in Venda anno 1380. S. Iustinæ de Patauio

tauio 1408. demum S. Benedicti Nouelli. Retinent hodie Riperianum, Vendanum, Benedictinum, de quo nobis modò agendum est. Prior igitur, & S. Benedicti Nouelli, vt aiunt, Commendatarius Franciscus Lignamineus Ecclesiæ Patauinæ Canonicus, & Eugenij IV. Cubicularius, qua erat in Montoliuetenses pietate adductus anno publicæ salutis 1442. Pontificem, vt Prioratum ad illos transferret, oratum voluit, exorauitque; Frãciscus artiũ cognitione, & morũ integritate tantùm valuit, vt Pontifici in oculis fuerit, Episcopatu Feltriense, deinde anno scilicet 1446. Ferrariense exornauerit. Purpurea quoque dignitate augendum, publicè sperabatur, sed intereà loci anno Seruatoris nostri 1462. Idibus Februarijs Romæ vitam cum morte commutauit, & in S. Mariæ Nouæ vestibulo pro voluntate contumulatus est. Bernardini Scardeonij in Historijs Patauinis sententia est, hoc Cœnobium cum S. Benedicto vetere B. Iordanum Forzateum excitasse, qui, inquit ille Prioris, & Abbatis officio diù vtrobique functus est. Sed à B. Iordano S. Benedictum Nouellum excitatum, Scardeonij pace dictum sit, à vero plurimùm distare arbitror. Quandoquidem quoties in tabulis illius memoriæ mentio est, quo B. Iordanus vitam coluit, toties Prior dumtaxat. S. Benedicti nominatur, nulla, aut Nouelli, aut veteris, appendice; sic ad annum post eius obitum quintum & vigesimum, aut trigesimum (moritur enim teste Scardeonio anno humanæ reparationis 1228.) nihil prorsus de S. Benedicto Nouello, at certè de S. Benedicto, cui nihil adiungitur, reperire possis. Ergo, vt, quemadmodum Scardeonius, alijque ea in re hallucinati sint, neminem prætereat, animaduersione dignum est, per tabulas, quibus studiosissimè incubui, exploratissimum esse, cum B. Iordanus viueret, S. Benedicto veteri scilicet, pariter Benedicti ædem sacram adhæsisse, cum Virginum domicilijs, cum peristylijs, alijsque, quæ à Monachis habitantur, ædificijs. Prædia, & supellectiles, vt Campanæ, & alia tum Ecclesiæ, tum cuiusuis generis instrumenta communia Virginibus cum Cœnobitis, vt Syndicus pro vtrisque transigat, ætatem ferè cõmunem ducant. B. itaque Iordanus duo hæc Monasteria, templaq. constituit, & in negotijs æquè Diuinis, ac humanis sanctissimè moderatus est. Cæterùm homine vita functo perdiù non stetit per successores quies & tranquillitas, nec non fortassis ex tãta cum propinquitate, tum etiam communione Monachorum & Virginum honestas. Ideo, & quod ad domicilium, & quod ad cætera spectat, segregandæ, seiungendæ. Anno igitur restituti Orbis 1259. Patauinus, Vicentinus, Adrianus Episcopi, quos ea ex re Pontifex curatores renunciauit, fundos antea communes ex æquo partiuntur, vt altera pars Monachis, altera verò pijs Virginibus attribuatur, nulla in scripturis huius distributionis allata causa, quàm crebras inter eos ex fortunarum communitate lites, & controuersias. Quarto autem post anno, vt ab omni suspicione improba opinione, & occasione maleficij Dei famuli, famulæque auertantur, Præsides ipsi has leges proferunt. In quinque passuum, quos Religiosis puel-

Frãciscus Lignamineus S. Bened. Noue. de Patauinio ad nos, volẽte Pontifice, trãsmittit.

Scardeonius refutatur sententiã B. Iordano Forzateo cõstructũ.

Duo conicta Monasteria Virorum, ac mulierũ.

lis vltra templum ad Peryſtilium, quod olim Monachorum fuerat aſſignauerint, ſpatio, foſſa cum aggeribus, & denſis firmiſque ſepibus, quouſque parietes ædificandi copia ſit, extruatur; ſeruata mulieribus Campanarum Turre, quicquid vltra quinque paſſus fuerit, nimirum ædificia omnia circum columnas, officinæ, Sacrarium, Sacella propè Eccleſiam *cum ſuppoſitis ædificijs* deruantur, excindantur, erutaque materie Monachi vtantur pro ſententia, librorum, campanarum, calicum, ſacrarum veſtium, rerumq. ſimilium, data quoque duarum, quas magis probauerint, nolarum optione, pars quidem ad Virgines transferatur, altera verò Monachis retineatur. Anno igitur Chriſtianæ ſalutis 1262. hoc eſt, à ſupremo B. Iordani diſceſſu ſexto & trigeſimo, Noui Monaſterij ædificationem aggrediuntur, haud procul tamen à Virgineo; propterea complures, & Virgines cùm primis, ne quid fabricentur, occurrunt, fabricæ nimiam cum earum Collegio viciniam muſſitantes. His ſuſurrationibus D. Padouanus, qui apud Monachos Prioris locum obtinebat, impulſus errore, ac dolo omnes liberaturus, quantum inter S. Benedicti veteris, eiuſque, quem tunc erigendum ſuſceperant interſit, dimetiendum curat, ac diſtare comperit pedes ſupra trecentos duos & ſeptuaginta. Verumtamen per Priorem S. Mariæ de Vantio, quem in hoc litigio Simon Cardinalis Legatus delegauerat, Virginibus ſiue alijs perſuadentibus conditione Cœnobij Monachis interdictum. Id ipſi grauiter ferunt, Priori Cardinalis voluntati latæque Epiſcoporum ſententiæ interdictum repugnare, coram obteſtantes ad Primicerium S. Marci de Venetijs prouocant, cui à Pontifice res ipſa demandata fuerat. Hinc nihil ampliùs fuit cum aduerſarijs negocij; & S. Benedicti Nouelli Cœnobio ſuprema imponuntur. Eius ſacra ædes anno Seruatoris noſtri 1267. Prid. id. Martij à Ioanne Epiſcopo Patauino conſecratur, neque ea tamen eſt, qua hodie vtimur, nupera enim, & Deiparæ anno 1464. conſtructa. His omnibus ſatis firmatum puto, S. Benedicti Nouelli ædificationem ad B. Iordanum minùs pertinere. Eò tamen accedat in eius tumulo, quæ Religioſæ Virgines multa pietate proſequuntur hoc Epigramma perlegi.

Templum conſecratur.

Tu Iordanus eras generoſa ex ſtirpe creatus
Forzatea, meritis quem noſtra tulere Beatum
Sæcula, feciſti hæc duo Templa ſacri Benedicti,
Rexiſtique Abbas, tuaque iſtic oſſa coluntur.

Vbi dubium nihil eſt illis duabus vocibus, *Feciſti hæc duo templa*, intelligamus licet, duo ſimul cohçiſſe tẽpla, cum vox illa *Hæc*, prçſens aliquid, non remotum deſignet, cuiuſmodi ſunt S. Benedicti veteris, & S. Benedicti Nouelli Monaſteria. Huic autem anno à Virginis partu 1479. Prioratum ſiue Cœnobium SS. Mariæ & Helenæ in Soleſinio Benedictinum Sixtus IV. adiunxit, Philippo, aiunt, Vrſino à quo olim tenebatur efflagitante, quamuis huius conſenſionis in diplomate nulla ſit mentio. Satis eſto ſodales Patauinos dare illi hoc beneficium. Decedit anno

SS. Mariæ & Helenæ de Soleſino Prioratus.

Redem-

Redemptoris 1492. & pro iussu in maximo sacello conditur, quod ipse ad S. Benedicti ædificauerat. Generalem vnũ an. 1566. Ciuitas nobis Patauina peperit, D. Hippolytum Calzium apprimè doctum, & præsertim Mathematicis eruditum. Vicarios Generales duos, F. Franciscum anno 1410. & D. Nicolaũ Oddum 1600. Hic Cœnobij clauum tenet hac tempestate, quem & nouennium ante tenuit. Honestis artibus antecellit, præcipuè autem Poesi Italica, quam fama tradit optimè cognoscere, idque paucis aliquot opusculis in lucem editis patefecit. Cœnobium quidem amplissimis ædificijs, atque insigni admodum bibliotheca proximè illustrauit.

Patauini Abbatem Generalē vnum, Vicarios duos habet.

De Monasterio Veronensi. XXVI.

EX omnibus, quas Res Christiana complectitur Abbatijs, si nullo alio, saltē antiquitate nobilissimā, clarissimam in dubio mihi non est, vnam esse S. Mariæ in Organo Veroēnsem; Mille enim, & ampliùs anni sunt, nimirum, paulò post obitũ S. Benedicti, cũ exædificatur. Ditissimus, & optimus vir instituit Abbas nomine Ferocius, qui anno post Virginis partum 585. hāc Abbatiam eo in loco condidit, quem Patriarchæ Aquileiensis ditio extra Vrbem continebat, quique vulgò dicebatur ad Organum, atq. ideo Solatio Episcopo Veronensi penitus consentiente Pelagium II. exorauit, vt illius omnino ius ad eumdem Patriarcham perpetuò reuocaretur, id quod proximum Diploma testatur.

Ferocius Abb. extruit Abbatiam.

PElagius vniuersalis Episcopus. Paulo dilecto filio Sanctæ Aquilegiensis Ecclesiæ Patriarchæ perpetuam in Domino salutem. Cum magna nobis sollicitudine insistat cura pro vniuersis Ecclesiis Dei, ac pijs locis vigilandum, ne aliquam necessitatis iacturam patiantur, sed magis propriè vtilitatis stipendia consequantur, conuenit nos recta mentis appetitione ecclesiarum ac locorum earundem stabilitatem, & integritatem maximè procurare, vt Deo omnipotenti sit acceptabile id, quod pro eius sancti nominis honore etiam, & laude, atque gloria studemus confirmare. Vnde quia postulastis à nobis, quatenus Patriarchatui sanctæ Aquilegiensis Ecclesiæ Cœnobium, quod Ferox Abbas extra muros ciuitatis Veronæ in loco, qui dicitur ad Organum construxit, & vestræ subiacet ditioni cum omni suo bonore, & suis pertinentijs totum confirmaremus. Inclinati vestris precibus, & per interuentum, atq; petitionem Serenissimi Constantini Imperatoris, consentiente quoque Solatio Episcopo Verronensis Ecclesiæ vobis, vestrisq; successoribus apostolica auctoritate concedimus, & per huius nostri Priuilegij paginam Cœnobium S. Mariæ ad Organum confirmamus, statuentes quoque ipsum vobis Monasterium cum omnibus terris, cultis, & incultis, seu decimationibus, cum omnibus intensilibus, vel appendicijs acquisitis, vel acquirendis, nec non ipsius loci Ecclesiæ..... Abbatis ordinationem, consecrationem sub vestro iure, atque Dominio, vestrorumq; successorum subiacere,

Est sub ditione Patriarchæ Aquileiensis, vt proximis tabulis constat.

atque

atque pertinere corroboramus, statuimus auctoritate apostolica censura sub diuini iudicij obtestatione, & anathematis interdicta, vt nullus unquam nostrorum successorum Pontificum, nullusque Episcopus, nullaque magna, vel parua persona, quamlibet ordinationem Abbatis facere præsumat, nisi vestro consensu, vestrorũq; successorum. Si quis verò, quod non optamus, temeritatis ausu huius nostri Priuilegij transgressor extiterit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, & Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, qui eorum vice fungimur, maledictum, anathematizatum, qui verò pro intuitu custos, & obseruator huius Priuilegij extiterit benedictionis, gratiam à nostra Sede, & à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur in sæcula. Scriptum per manus Laurentij Presbyteri S. R. E. Bibliothecarij. mense Maij ind. 3. Bene valete. Anno Domini 585. Anno 4.

Ego Pelagius Rom. Sedis Pontifex manu propria subscripsi, & confirmaui.
Ego Solatius Veronensis Episcopus manu propria subscripsi.
Ego Ferox Abbas huius Monasterij constructor subscripsi.

EO autem dignitatis, & famæ excreuit Abbatia, vt multis tum sacris, tum humanis facultatibus cumulata sit, vberrimis etiam amplificata Priuilegijs à Carolo Magno, Berengario, Henrico, Ludouico, Othone, alijsque, vt in eodem Cœnobio manifestè apparet ex libro Priuilegiorum, ac præcipuè in Pontificijs literis à Ioanne XX. datis legitur, etiã tum anno videlicet à restituta salute 913. hinc sacras permultas ædes pependisse, quas cum alijs adnexis numerat, firmatq. Alex. III. Diplomate Consistoriali ad Riuum altum anno Christiano 1177. Venetijs conscripto.

CAppellam Sanctæ Mariæ de Sorgada cum omnibus pertinentijs suis. Capp. S. Siri de Castro Veronensi cum omnibus, quæ ad eam pertinent. Capp. Sanctæ Sophiæ cum possessionibus suis. Capp. S. Donati de Murano cum omnibus appendicijs suis, Capp. S. Michaelis de Mizoli cum omnibus possessionibus suis. Obedientiã Sancti Petri de Lunico cum omnibus, quæ ad eam pertinent. Capp. de ponte marmoreo, & Capp. S. Siri de Aquilegia. Ecclesiam S. Mariæ Antiquæ. Ecclesiam S. Margaritæ, Ecclesiam S. Mariæ in Solario, & Canonicam S. Laurentij in Siciano. Ecclesiam S. Mariæ consecratæ. Ecclesiam Sanctorum Martyrum Faustini, & Iouitæ cum omnibus ecclesiis, & Xenodochijs ad Monasterium S. Mariæ in Organo, & S. Mariæ in Gaio. Curiam de Gaio cũ pertinentijs suis. Curiam de Sorgada cum omnibus appendicijs suis. Curiam de ponte marmoreo cum omnibus pertin. suis. Curiam de Sancta Sophia cum omnibus pertinentijs suis. Curiam de Siciano, Curiam de Maruno, Curiam de Codenola, Curiam de Lunico, Curiam de Mizoli, Curiam de Illaxio, Curiam de Arculis, &c.

Templa, et Sacerdotia, quam possidet.

DE rebus publicis, & popularibus forum agit hoc Monasteriũ in Oppidis, pagis, aut castris Gaio, Sorgadio, Roncanoua, Sezanio. Qua re mihi lectione innotuit, quod anno 1309. Omnibenius Abbas eisdem locis, veluti feudis *inuestiuit nobilem Militem D. Federicum natum olim D. Picardi della Scala ciuitatis Veronæ &c. adeo quod idem D. Federicus per se, vel per*

alium

alium loco sui plenam, & integram iurisdictionem valeat exercere, banna imponere, officiales, & Rectores constituere, cuiuscunq; generis condemnationes facere, & ipsas exigere à damnatis, atque sententias latas, seu ferendas per ipsum, vel per aliū loco sui executioni mandare, & exequi facere cum effectu, & generaliter omnem iurisdictionem ibidem D. Federicus in homines, res & bona valeat, exercere, & facere integre exerceri approbando, laudando &c. ad soluendum idem D. Federicus eidem Abbati, & successoribus suis, Monachis, & Capitulo dicti loci in signum, recognitionem feudi conditionalis quolibet anno in Festo Natiuitatis D. N. I. Christi vnam libram incensi, & vnum doplerium ceræ ponderis quinque librarum &c. Verùm, cum sensim Scaligeri, vt fit, omnia hæc plane occupassent, sibiq; Abbatiæ Vicariatus adsciuissent (annus erat restitutæ salutis 1389.) Abbas Galeatio Vicecomiti Virtutis Comitis Mediolanensium, & Veronēsium Principi supplicatum voluit, vt eius opera Abbatialia iura reponantur, Galeatius Veronensium Prætori in mandatis dat, Abbatis, reiq. Veronensis causis summo studio cognitis, quod æquum, rectumq. videatur, adiudicet. Igitur quæstione ea de re per Prætorem habita, pro Abbatia decernit, nimirum fuisse illi quidem ante hac imperium, ac potestatem, & futurum quoq; in posterum maximè Vicarios Sorgadum, & Sezanum dimittendi. Gaium, & Roncanoua non memorantur. Concessis verò à Pelagio, Ioanne, Alexandro Priuilegijs, quæ diximus, Abbatia Episcopo Veronensi nullo pacto subditur, id enim consilij illis Pontificibus fuisse video. Quocirca Ioannes in diplomate satis ingenuè, *Et specialiter Veronensi Episcopo interdicimus, &c.* Alexander *Prohibemus insuper ne liceat Veronensi Episcopo* &c. In Pelagiano illa præsertim animaduertenda, *consentiente quoq. Solatio Episcopo Veronensis Ecclesiæ* &c. cuius consensioni standum iure videtur successoribus. Itaq. vnus tantum Aquileiensis Patriarcha non alius est, vt aiunt, huius Abbatiæ Ordinarius, quod præter allata diplomata, apertissimè ostendunt multa huius potestatis acta, Abbatum electiones, consecrationes, & alia id genus, quæ summa cura, cum cæteris scripturis, in eiusdem Abbatiæ tabulario præclarè disposito custodiuntur. Adscribitur Oliuetanis per Eugenium IV. anno salutis nostræ 1444. Antonij Cardinalis Corari Nepotis Commendatarij nomine tenentis rogatu, aureis florenis octingentis (quod erat annui census dimidium) in singulos annos Commendatario sepositis F. Bernardus Scappius Bononiensis Prior S. Helenæ Venetijs, quem ad eam rem Syndicū renunciauerat Abbas Generalis F. Franciscus Bononiensis XII. cal. Decemb. per Veronensem Proepiscopum, mandato Pontificio, possessurus inducitur. Ius & hodie temporarium retinetur Sezanij, & Roncanouæ (Sorgadum ante multos annos venditur, estque in cōtrouersia) Vicarijs ad iudicium, ad reorum damnationem, ad alia similia peragenda constitutis. Quod respicit ab imperio Veronensium Episcoporum immunitatem, aduersus eorum potestatem, quandoque impetus nostra pro parte sustinetur. Præter iam numerata multis ante sæculis Abbatiæ subiecta sacerdotia, in quibus Abbates, & hodie partim iure suo funguntur, suppo-

Euge. IV. Oliuetanis adiungit.

sitæ

Pius IV. Curias duas, & Monasterium apponit.

Reliquiæ conseruantur maximè venerabiles.

Visu dignissima est Asella cum Christo insidente è trunco ficulneo. Vnde credatur aduecta, exponitur.

sitæ recentiùs anno Redemptoris 1562. à Pio IV. semel atq. iterum, Curiæ, siue Plebes S. Stephani de Malsesino, S. Mariæ de Monzanibano vtræque in Veronēsi, & Monasterium S. Petri de Villanoua Benedictinum in Vicentino, *conuentu carens*. Malsesinum obtinebat antea Ptolomæus Archiepiscopus Sipontinus, reliquas Torquatus Bembus procurabat. Seruantur ad S. Mariæ in Organo sacræ quędam, & insignes Reliquiæ thęcis duabus argenteis, duo pariter sacratissimæ Crucis fragmenta, duob, item æreis, auro tamen expolitis arculis S. Concordiæ Virginis manus, & brachium, S. Quirici martyris crus cum pede seruantur. Continet ara maxima loculo nuceo condita, quæ omnia longum sit enumerare, varia ossa Martyrum, Confessorum, Virginum grandiuscula; Altare vero Priuilegiarium in ampliori quadā arca mármorea veneranda custodit Cantij, Cātiani, Cantianillæ, Prothi, Chrysogoni, Anastasiæ mart. corpora, quæ, excisa Aquileia, quod aiunt, Gradum, eoq. alluuionibus, alijsq. calamitatibus dissoluto, Veronam transferuntur. Notabile illud quidem hoc loco cernitur, Asella miro artificio confecta, & ex solido ficus trunco insculpta cui Christus insidet bene precanti consimilis. Artificem non inuenio, hęc tamen traditione accipio. Ex illis, qui olim S. Mariæ in Organo Cœnobium possidebant, quidam Cœnobita, solitudinis, maiorisque asperitatis incredibili cupiditate inflammatus Abbatem conuenit, petitque, vt in locum voto defungendo aptissimum in Tridentino, haud longo tamen à Verona interuallo disiunctum secedere liceat. Morigeratur Abbas, aitque. Qui sciam, in solitudine quantum perfeceris? Vobis, inquit, ac multis non obscurè significabo, seseque ad Eremum confert. Cū temporis nescio quid præterijsset, Asella secundo Athesi aduecta, quæ omnibus coniectura est, præter fores templi, in fluuio tamen reperta est. Quo cognito, totaque vrbe diuulgato in S. Nazarii à Clericis reuerenter deportatur. Cæterùm posteræ lucis ortu, vnde primùm sublata est, conspicitur. Eòdem rursus refertur. Porrò cum tertiò illud contigerit, velle Deum, ad S. Mariæ in Organo collocetur, omnes intelligunt. Collocatur. Ea igitur omnium sententia religiosum illum Eremicolam suis manibus elaborasse, Athesi commisisse, ibique pro miraculo constitisse. Quapropter anniuersaria Olearum celebritate, palmis distributis, confluentis Nobilitatis, ac multitudinis illustrissima pompa Asella cū Christo imposito palmis, oleisque perornata circumdata tota Vrbe quàm religiosissimè circumfertur, campanis publicè personantibus, artificiosis ignibus vndique coruscantibus, cęterisq. adhibitis singularis lætitiæ argumentis. Festus autem hic dies, de Mulula nominatur.

Abbas Generales, & Progenerales Veronēses.

D. Honoratus Brognonicus Abb. poeta Veronens. egregius.

Abbates Generales duos Verona peperit F. Cyprianum anno post restitutam salutem 1534. & D. Hieronymum Cinerellum anno 1602. Sex verò Progenerales F. Ioannem anno 1469. F. Paulum 1536. F. Augustinum 1544. D. Cyprianum 1557. D. Innocentium 1564. D. Carolum 1568. D. Honoratus Brognonicus Abbas Romano atque Italo carmine, insignis. Annus huius sæculi decimus quartus sacrum, Thuscumque poema de

S. Fran-

S. Francisca typis impressum vidit, alterum de S. Benedicto Latinum optimo, quod aiunt, artificio compositum fato intra annum 1617. ad superum gloriam sapiente, non emisit. De F. Francisco Veronensi Oblato homine religiosissimo mentionem hoc loco faciendam existimo. Ab ineunte ætate ad vltimam vsque rerum lineam vitam agit nulla castigatione dignam. Nascitur in Veronensi ad oppidum nomine Zagum Hieronymo Castellio, & Gratia parentibus rerum egestate laborantibus. Etiam adolescens anno Christi Redemptoris 1555. Veronæ Pistori operam collocat. Interim S. Mariæ in Organo, quo mira animi inclinatione propendet, maximo, & celeberrimo sacrificio ante meridianis horis quotidie interest pro ara maxima manibus compositis, genibus inflexis. Ad mensem sextum ita persistenti Abbas D. Bartholomæus Veronensis religione perspecta, eiusque pistorio, & optimo artificio cognito, nullo deprecatore, Oliuetanæ familiæ habitum circumdat. Quadriennio pistoriam piè admodum exercet, quo tempore, precibus nocturnis expeditis, legere aliquantulum discit à Sacerdote, qui in sermonibus S. Bernardi ad sororem conscriptis rationem legendi, & elementa docet Franciscum. Anno autem 1560. sacrarij tutela accepta, cum frequentissimus mulierum conspectus animo plurimum detrimenti allaturus videatur, Vendanum petit domicilium, qua Ruani Eremicolæ vtuntur vitæ consuetudinem spectaturus, periculum facturus. Sed Verona repetita, hæc Abbati. Me sanctissima Virgo Montoliuetum accersit. Præside igitur Generali exorato, elutis animæ sordibus, & cælesti pane refectus, nihil, ne argentum quidem, aut vestes, præter eas, quibus indutus est, secum afferens ad Montem Oliuetum pedibus proficiscitur, vbi, breui illo tempore excepto, quo Trebij, laudabiliore vitæ genere instituto, annos septem & quadraginta integerrimè viuit, & anno 1618. ad superos euolat. Multa perhibentur sodalibus nonnullis de illius sanctitate proferenda. In expectatione sunt.

F. Franciscus Veronensis Oblatus vir maximæ religionis.

De Monasterio Brixiensi. XXVII.

SVmmus rei Monasticæ restitutor à D. Benedicto, quin Oddo Abbas Cluniacensis fuerit, nihil dubito. Is cum annus ageretur à Christi natalibus supra nongentesimum decimus tertius, sacro studio plenus, Deique gratia confirmatus Monasticam disciplinam, iam collapsam reparauit, excitauit, cuius vestigia cõplures Christianæ Reipublicæ Abbates persecuti in vnum omnes coiere; Congregationem à prima institutoris sede titulo Cluniacensem, eaque processit adeo, vt ampliùs duo Abbatiatum, siue Monasteriorum millia tenuisse dicant; Horum è numero extitit in Brixiensi S. Nicolai Rodengianum, supra quingentos annos constructum, & sanè opulentum. Vrbanus III. diplomate comprobat, quo multa anno 1187. constabilit, in

Congregatio Cluniacẽsis vnde genita.

Monasterium olim ad Cluniacenses pertinebat.


his ædem S. Geruasij, & Prothasij in Castronouo, S. Faustini & Iouitæ Rodengi, Ædiculam S. Mariæ Comezanij cum Decimis, iuribus, & possessionibus Rodengi, Cazagi, Paterni, Prouali, Isi, Runchi, Hormini, Cerasiæ, Pullauani, Ortij, Ciciagi, Cusirani, Sabbionaræ, Ragusæ, Ludriani & alibi: Inde anno 1445. nescius non sum, iure Commendatario Corradinum de Capreolo Socium Cluniacensem obtinuisse. Sed cùm quiduis potius, quàm curam, rectamq. Cœnobij administrationem promoueat, quamuis Monachus, nulla Monachorum disciplina; Eugenius IV. ea re cognita, & spe ductus, Oliuetanos, quæ singularis fuit illorum sanctitas, quippe qui multa Cœnobia, & pia loca restaurassent, pristinum splendorem illaturos, *ex eorum multiplicatis virtutibus ac fructuosis operibus*, eius sententiæ literas dedit, vt Prioratus S. Nicolai de Rodengo, cum obitu Commendatarij, vel alia ratione vacauerit, Ordine Cluniacensi antiquato, Oliuetanis attribuatur. Paucis verò diebus interiectis Corradinus apud Pontificem rursus in crimen venit, non modò Monasterij ædificia non sustineri, templum areæ, & equilis loco haberi, census omnes in ea, quæ factu non modò, sed etiam literis proditu indigna sint penitus conferri, Brixiensis Episcopus de his criminationibus quærere, & reum Corradinum Prioratu statim spoliare iubetur. Paret Episcopus, reumque factum amouit. Quod quidem grauiter passus Corradinus Sedis Apostolicæ fidem implorat. At Pontifex nihil audit, quin latam à Præside sententiam ratam facit, & Oliuetanos in Cœnobij possessioné vocari imperat, idq. factum anno à Deipara Virgine 1446. postridie Id. Nou. per F. Sigismundum Venetum. Interea loci Eugenio Pótifice mortuo, Corradinus ad Nicolaum V. successorem confugit. Simoni Episcopo in Palatio Apostolico Auditori negocium datur causæ recognoscendæ. Præsul, re iterum inquisita Corradinum (quinam ignoro) culpa liberum, & nulla vera causa Prioratu deiectum comperit. Verùmtamen cum Oliuetanis iam possidentibus in iudicio nusquam futurus Pontificem obtestatus est, aliquo modo consulat, æquum, bonumq. constituat. Pontifex illius honestate, & integritate perspecta, neque iniuriæ quidquam ex altera parte Montoliuetensibus irrogaturus in pristinum ius, titulumq. Prioratus restituit, quamcunque ea in re infamiam susceperit, abolita, patiturque ex annuis Prioratus redditibus mediam partem viuenti Corradino deferri, quam Oliuetani, illo deficiente, liberè accipiant. Adhæc, quò commodiùs pro conditione vitam ducat, Prioratui æternùm adiungit Sacerdotium Animarum curæ minus obnoxium S. Stephani Rodengiani, cuius prouentus pariter medij Monacho assignêtur. Præter hoc, & Comezanum, quod supra meminimus est etiam Brixiensi Monasterio Sacerdotium sacrorum procuratione solutum, siue Clericatus Sancti Stephani de Trezanio, & alterum non solutum Sancti Petri de Lograto, vtrumque in Brixiensi à Pio IV. traditum illud anno Domini 1563. hoc verò consequenti, eo tamen ex diplomate præcepto, vt ibi Sodalium conuentus constituatur. Tres equidem accipio, qui summam

Eug. IV. auget hoc Monasterio Oliuetanos.

Ecclesiæ nobis adscriptæ.

summam in Re Oliuetana vicem administrarunt, Brixienses F. Andream anno Christi 1482. D. Hieronymum anno 1556. D. Cyprianum 1593. *Praelatus Generales Brixienses.*

De Monasterio Mantuano. XXVIII.



IN aedibus S. Mariae in Credario, siue in Gradario versabantur sacrae Virgines Canonicorum S. Marci disciplinę, ac fidei permissae. Ex illis Virginibus duas, quas Mãtuanum vulgus Beatitatis honore concelebrat, quae annum circiter ab Orbe redempto 1294. vixerunt in eodem templo conditas affirmant. Locus tamen ignoratur. Habuerunt deinde Coenobium Canonici. Hi, cum paucitate sua, nec regularis disciplinae leges optimè seruare possent, nec diuinum cultum, qui iam deficere videbatur, sustinere, Ludouicus Gonzaga Marchio anno à Deipara Virgine 1453. petijt à Pontifice, vt Monasterium à Cęnobio S. Marci, vnde veluti membrum pendebat, sciũctum, priori Ordine suppresso, Oliuetano traderetur. Voti compos nobis attribuit. Eò, biennio exacto, primus F. Benedictus Cremonensis Prior delegatur. Cùm annus volueretur octauus supra millesimum, & quingentesimum Isabella Marchio rogat, nostrique per supplices literas Pontificem obsecrant, vt cum Gradariense Monasterium valde humescat, & Mincius saepenumero ex cęli intemperie tumescat, Monachorum plerique iaceant, eò quia per haec tempora nusquam sit, quò sese ad animos oblectandos recipiant, aliquem locum deferat Oliuetanis idoneum & accommodatum. Datur in perpetuum Paroecia, siue Plebs SS. Petri & Pauli de Guidicciolo in Marchionatu, & Brixiensi Dioecesi ex voluntaria in Pontificis manus depositione Aloysij Rudani Castrozifedrensis Rectoris. Maxima pro ara huius Ecclesiae lapidea rudis lamina ossa contegit viri inter Oliuetanos propter vitae sanctitatem celeberrimi Hieronymi Mantuani. Vixit, floruitque anno quintum & decimum saeculum claudente. Quo loco natus sit incertum est. Priorem quidem Gradariae, numerisque omnibus absolutum fuisse obscurum non est. Vixit eo tempore B. Osanna Andreasia Dominicana, eiusq. confessiones F. Franciscus Siluestrius Ferrariensis ad suae Religionis Generalatum postea sublatus audiuit. Is igitur Hieronymum virum religiosissimum agnoscens plena manu laudabat, suadebatque apud illum peccatorum sordes confessione abstergeret. Hieronymus Osannae confitenti multos annos aures praebuit, factus eorum omnium particeps, quae à superis didicit, & conscius arcanorum, quae communicata diuinitus. Cum autem Hieronymus aliquando Praesidum imperio Senis constitutus esset, Osannam tanta iactura grauiter maerentem Angelus consolatur, modò rediturum, eique se ritu Catholico semper aperiens adfuit morienti, eiusq. vitam scripsisse creditur, quam anno 1524. Hieronymo vita functo editam ferunt Bononiae; Quae apud me est, Franciscus, quem diximus composuit, cuius

Ludouicus Gonzaga Monasterium Mantuanum Oliuetanis assignat.

Addit Pontifex Plebi S. S. Petri & Pauli.


B. Hieronymus de Mãtua Oliuetanus.

B. Osanna Andreasia Dominicana.

exordio, hæc habet præ ceteris; *Putabam autem me unũ quidem (me excepto) esse, cui secreta huiuscemodi credidisset, sed offendi ea Religiosissimo, & integerrimo viro, cui fratri Hieronymo Mantuano nomen est, de Ordine D. Benedicti Congregationis M. Oliueti tunc Priorem agenti Gradariæ, cui plurimum fidebat, istæc penè omnia reserasse, narrasse quoque pleraque memoratu digna, & in primis quæ ad impetratam ab Christo passionem attinent.* Quo tempore decesserit neminem non præterit. Coniectura tamen est circa annum à restituta salutis 1515. F. Hippolytus Donesmundus Mantuanus Lignifer, Fráciscanus Mantuæ Ducis Theologus, qui Ecclesiasticã eius Vrbis Historiã conscripsit annis elapsis, Calicis figuram emisit, vnde arbor enata pro fructibus sanctorum, aut Beatorum, qui Mantuæ geniti sunt, imagines ostẽtat. Inter eos B. Hieronymus positus est, de quo secundo suæ Historiæ libro verba factum accipio. Auidissimè expecto. Viuens propemodum Hieronymi effigies illa quidem esse traditur, quæ picta conspicitur genibus flexis ante Virginem ex hac parte, ex illa verò S. Hieronymi per gradus, quibus in eodem Monasterio Gradariensi ad quietis locum ducimur. Adhuc viuit consodalis noster, qui paucis ab hinc annis lapide sublato monumenti vidisse testatur corpus intactum, vestes nondum absumptas, subcinereas tamen, & subobscuras. F. Philippus Vitellianensis Abbas Generalis anno 1514. ter autem Vicarius itidem Generalis anno 1496. 1500. & 1504. Mantuanorum numero adiungi potest. F. Bartholomæum pariter habent Vicarium Generalem anno 1414. & 1416. Mãtuanum Cœnobium superioribus annis D. Gregorius Capilutus Abbas exornat. Linguarum, disciplinarumque omnium cognitione excultus non solum inter Montolíuetenses, sed etiam inter populares famæ celebritatem obtinuit, & obtinet. Primum ex nostris affirmant in Vrbe magna auditorum frequentia, summa cum dignitate disputasse. Vincentio Mantuanorum Duci nonnullos annos Theologi operam præstitit. Moritur anno 1602. ornatissimis compositionibus relictis, manu tamen conscriptis, quas scientissimi viri pluris faciunt.

D. Gregorius Capilutus Mantuanus vir eruditissimus.

De Monasterio Asculano. XXIX.



Licet iam vltra centesimum quadragesimus annus ageretur, postquam B. Bernardus prope deletum Monasticæ vitæ genus apud Italos excitauerat, eiusque sectatores, quod reddita pluribus Abbatijs disciplina perspici poterat, latissimè diffudissent, suis tamen pro meritis amoris in se, & obseruantiæ faces aliorum animis adhuc subijcere. Hinc anno 1460. Ciuitas Asculana ad Pium II. ex composito legatos mittit, qui exoptare se in vrbe sua Religiosam aliquam bono exemplo familiam præcipuè Benedictinam, &, si placet, Oliuetanam, exponant. Et cum tunc facultas nulla sit Monasterij à fundamentis excitandi, orent, Virgines Clarienses, quæ immoderata viuendi disci-

Legati Asculani ad Pium II. pontifice astu[n]t de inducendis aliquo Oliuetanis.

disciplina male audiant, & Asculanis minus gratæ sint, à Cenobio S. Angeli Magni amoueat, & extra mœnia ad S. Mariæ de mulieribus, vbi eodem viuitur instituto, transferat, ædesque S. Angeli Oliuetanis permittat. Pontifici Senensi, & nostræ Congregationis Patri amātissimò magnæ voluptati fuit hæc petitio. Ad Epm Asculanum continuò mittit, illæ ne Virgines vitæ, quod profiteantur, præscriptum ita negligant, probè cognoscat, & perspiciat, ac publico Ciuitatis voto respondeat. Id executus Proepiscopus Virginibus, iubente Epo, diploma Pontificium denunciat. Illæ tandem Præsidum imperio obtemperantes egrediuntur, & primarijs viris, fœminisque comitantibus ad S. Mariæ de mulieribus demigrāt amplum sanè, quodq. omnes, quamuis duæ sint, & viginti, per commodè capiat, Cœnobiū. Adsunt interim Asculi F. Nicolaus Rouerellius Visitator, F. Petrus Camertinus, F. Alexāder Perusin. quos maximus rei nostrę Moderator cōsilii particeps iā factus, oratusque delegauerat. Hos igitur, quo de ante, Proepiscopus in possessionem mittit Cenobij, nullo re, nullo iure secluso, ea tamen additione, vt viuentibus in singulos annos Virginibus onera frumenti decem, vini triginta, olei duo suppeditentur, reliqua verò, quæ ad victum, cultumque pertinent (ea enim mens Pontifici) commune illud impertiat. Præclara aliquot iura hic mentione non indigna ad nos concedunt cum Monasterio. Sciendum igitur hoc Cenobium supra sexcētos annos ædificatū, quoniā anno salutis 1067. ibi fuisse Abbatissam cum Virginibus Benedictinis, bonisque prouentibus didici ex diplomate, quod à Bernardo Episcopo datum est, & à me producitur impolito illius sæculi sermone nihil immutato, vt non solum S. Angeli antiquitas ostendatur, sed etiam, quod affirmetur in promptu, & ad manus Antistitum huius Cenobij positum ex tempore posteris futurum, & voluptati, & vtilitati.

E S. Angelo Magno Virgines Francisc.? ad S. Marię de mulierib. transeunt.

Oliuetanis S. Angelus Magnus attribuitur non nullis conditionibus. Virgin. Benedictinæ olim ibi habitant.

IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Dum ab omnibus in cognitione est, sed à pluribus est manifestum, qualiter ego Domnus Bernardus Sacerdos Sanctæ Esculanæ Ecclesiæ Episcopus non immemor de Dei pietate ac prosperitate sanctæ Ecclesiæ hodierno die propria mea bona voluntate. Vna cum voluntate, & per consensum de praeordinatis sacerdotibus, vel canonicis meis, qui praeordinati sunt in officio praedicti Episcopi. Ego pralibatus Episcopus pro redemptione, & absolutione animae meae, seu successoribus meis. Concedimus, & confirmamus omnem ipsam decimationem de ipsis hominibus quod Sancto Angelo infra ciuitate & deforis, & in ipsa Pinea, & in ipso Marino, & in ipsa Plaie, & in Cerasie habet, & de omnibus hominibus, qui ad praedictum Monasterium pertinent, qui ille non fuerunt vsi dare neque ad Episcopatum, neque ad nullam Ecclesiam. Sed ego .... Domnus Episcopus acquisiui nō pugnando, sed tantū pradicādo. Concedo suprascriptus Episcopus, in ipso Monasterio Sancti Michaelis Arcangeli, qui ædificatum est intus infra ciuitate Esculana. Et tibi Domina Adelberda Abbatissa, & ad tuos successores, & ad ipse Monachae qui modo vel inantea praeordinatae sunt in seruitio Sancti Angeli, & regulam Sancti Benedicti custodiunt. Concedimus, & confirmamus ego suprascripto

Bernardi Episc. Asc. Tabula pro Monasterio ...

Episco-

Episcopus pro anima mea, & pro anima de successoribus meis in tali tenore omnem ipsam suprascriptam decimationē in ipso suprascripto Monasterio S. Angeli, & ad vos suprascripta Abbatissa, & ad suprascriptæ Monachæ dedi ego suprascripto Episcopus in tali tenore quod vos suprascripta, nec successores vestras non habeatis licētiam non vendendi, nec donandi, nec contracambiandi, neque per vllum ingenium in alterius potestate dandi, nec alienandi, sed in omni tempore in ius, & potestate de prædicto Monasterio, & de prædictæ Abbatissæ, & suprascriptæ Monachæ, qui ibi fideliter deseruiunt, & de ipsis frugibus, qui Dominus annualiter vobis exinde dederint scilicet, de ipsa decimatione de intus, & de foris faciatis quicquid volueritis ad vtilitatem ipsius Ecclesiæ, & vestræ sine omnia calumnia. Et censum soluere, ac dare debeatis vos suprascripta Abbatissa, & successores vestras annualiter in mense Augusto in assumptione Sanctæ Mariæ, aut in ipsa octaua, candela vna ad suprascripto Episcopo, seu per vos, seu per missos vestros. Pro ea verò ratione dedi ego suprascripto Episcopus ipsam suprascriptā decimationem ad suprascripto Monasterio, & ad suprascripta Abbatissa, & successores suas, & ad suprascriptæ Monachæ, & ancillis ancillarum Dei in perpetuum, qui Ego suprascripto Episcopus, vel successores meos debemus habere orationem vestram. Et vt audire mereamur Christi Domini vocem. Venite benedicti &c. Quod quidem si ego, aut successores, meos, vel quislibet persona, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate preuentus ea, quæ superius scripta sunt temerario spiritu violare præsumpserit. Et si illi non dederint ipsam decimationem, sicut mihi dederunt omni anno anathema sit, & cū Juda proditore, ac cum illis, qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, in æternis ignibus, crucietur, et pœnam soluere cogatur bisantios mille, medietatem in camera Regis, et medietatem in prædicto Monasterio. Et post pœnam solutam hoc scriptum maneat inconuulsum. si vos suprascriptæ in seruitio Dei manebitis, et habitationē prædicti Monasterij obseruaueritis, et quomodo superius legitur. Hoc factum est astantes clero, et populo cunctis laudantibus. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo septimo Ind. quinta, et mense Martio die vicesimo feliciter Petrus Notarius scripsi, et subscripsi. Domno Bernardo Episcopo iubente. † Ego Bernardus Secundus Esculanus Episcopus subscripsi &c. Ego Adelbertus Archi. cōsensi. &c.

Cœnobium ante nos opulentissimum. SEd per annum centesimum secundum, & trigesimum Cœnobii facultates plurimùm exauctas animaduerto. Etenim anno Christi 1199. III. Non. Iunias in literis ad Marsebiliam Abbatissam, eiusque sodales hæc omnia possedisse significatur.

In Ciuitate Asculana vineam positam iuxta Monasterium vestrū, & in plano sub eadem vinea, aliam vineam, quam tenet &c. ad censum. & in eodem plano quatuor mansos, & in eadem ciuitatem Ecclesiam Sancti Angeli minoris cum sua parochia, & per ipsam ciuitate 60. mansos. Tria molendina in Fluuio Castellano cum insula, quæ est inter Ciuitatem, & Molendina, & in plagias iuxta ciuitatem tredecim mansos colonitias, Ecclesiam S. Petri de Agnario (alibi de Aquario,) & ius quod habetis in Ecclesia S. Venantij, Campum manualem positum ad Sanctum Paulum, & terram de Monte. In Pinia Ecclesiam S. Pauli, & campum vnum. Ecclesiam S. Leonardi. In comitatu Esculano octo tenimenta. Ad Sextum Ecclesiam

siam Sanctæ Mariæ cum parochia sua. In Gemiliano Ecclesiam S. Sabini, Ecclesiā S. Siluestri ad Riuum sanctum. Castellum de vena Casulis cum quingentis sex agri-ta modijs terræ. In Villa de Cerasia Ecclesiam S. Angeli cum sua parochia, & terris. Ecclesiam S. Nicolai de Ciuitonico cum sua parochia, & terris, quæ incipiunt à Trasillata, & protendunt vsque in riuum de laruis, & deinde vadunt vsque ad verticem montis. In Comitatu Firmano Ecclesiam S. Petri ad Renconem cum sua parochia. Campum de Ratiliano, & campum de valle S. Martini. Ecclesiam S. Siluestri cum sua parochia, & campum iuxta prænominatam Ecclesiam. Campum de Posiano, & campum de Lisiano. In Lisiano sex mansos cū beneficijs suis sanè &c.

Ita quidem anno 1224. Honorius IV. & anno 1227. Gregorius IX. Ex his omnibus pauca sunt, vel nunquam fuerunt Oliuetanis. De tribus molis certum profectò est hac memoria Pontificem, & Remp. Asculanā obtinere, seruata dumtaxat Monasterio nihil pro molitione soluenti necessaria quæque commolendi potestate; Quamplura ipsius Ciuitatis decreta testantur, eaque præsertim, quæ anno 1343. postridie Idus Iulij, & anno 1377. 16. cal. Apr. Viuitur hic Benedictino more ad annum vsque circiter restitutæ salutis 1230. cum nescio qui S. Claræ, vel S. Damiani (vtroque enim nomine appellatur) disciplina infertur cuius (constat ex diplomate Alexandri IV. anno Domini 1256.) Gregorius IX. auctor est, anteaquam Pontificatum ineat. Erat vitæ genus asperum adeo, adeoq; durum, vt in primis nihil coctum sumerent, vinum non biberent, nudisque assibus sine stramine indormirentur, cui tamen anno 1247. Innoc. IV. quod in tam aspera viuendi conditione Virgines durare nō possent, satis moderatur ijs, quæ iam dicta sunt, alijsque, quæ breuitatis gratia amittuntur, piè relaxatis. Mihi quidem ipse persuadeo, viros pietatis studiosissimos earum bonitatis fama permotos alijs ædibus, rebusq. temporarijs ornasse, locupletasse, vt ex Ranaldi Præsulis Asculani scriptura cōpertissimum est. Is itaque anno à Virginis partu 1266. Illuminatæ Abbatissæ, eiusque consocijs, quibus supplicatum erat, *vt præfatum Monasterium situm infra Ciuitatem Asculanam cum terra posita circa ipsum, vineis, terris, & siluis de Plagis de Monte polo, campis, & vineis de Marino Pinea, & Cacabo, terris, & possessionibus, quas tenebant, & possidebant in Monte Elpori, & eius pertinentijs, & cum omnibus vassallis, & tenimentis, beneficijs, decimis, & possessionibus omnibus, quas, & quæ tenebant, & possidebant tam infra Ciuitatē Asculanam, & eius districtum, quàm alibi vbicumque cum Cappellis etiam, videlicet S. Angeli parui de Ciuitate prædicta, S. Petri de Aquario, S. Leonardi de Manno, S. Pauli de Pinea, S. Mariæ de Mongiano, S. Siluestri de Riuo sancto, S. Angeli, & S. Emigdij de Cerasia cum omnibus rebus, & iuribus pertinentibus ad easdem, & cū omnibus alijs, quæ tunc idem Monasterium habebat &c. ab Episcopali iure, & cuiuslibet alterius obligatione tam in temporalibus, quàm in spiritualibus pleno iure liberaliter eximere deberet.* permittit, ac deinde. *Nihil nobis, & Ecclesia Asculanæ Matri nostræ aliud in eodem, nisi duas libras ceræ iure sinodatico pro temporalibus reseruantes nobis, & nostris successoribus in assumptione B. Mariæ Virginis annis singulis persoluendas. Reseruamus etiam nobis, & nostris successoribus annonum*

Virgines Franciscanæ, vel S. Claræ Benedictinæ succedunt.

nonam debitam annis singulis persoluendam à dicta Ecclesia S. Siluestri, & cathedratica, census, siue seruitia annuatim soluenda à Cappellis prædictis, si qua nobis, & Ecclesiæ Esculanæ a 40. annis citra sunt exhibita, vel appareret. . . . exhiberi debere, & præstari annuatim à dicto tempore citra. &c. Pro spiritualibus verò reseruamus, licet sint in onus nostrum, videlicet dedicationem Ecclesiarum, altarium consecrationes &c. Reseruata insuper nobis, & nostris successoribus institutione, & confirmatione Cappellanorum, siue Clericorum Ecclesiæ S. Siluestri de Riuosancto, S. Angeli, & S. Emigdij de Ceresia præsentatorũ, siue præsentandorum, per dictum Monasterium &c. De Ceresia dicendum, Monasterium ibi non solum Sacerdotia illa, sed etiam ciuile, & criminale imperium tenuisse. Tabulæ fidem faciunt annis Christianis 1279. & 1280. editæ. Hæc igitur per Virgines primum Benedictinas, deinde Damianenses, vel Clarienses comparata sunt. Quid autem parauerint Oliuetani in præsentia videamus. Annus erat quarti, & decimi sæculi octauus, & sexagesimus, dies Idibus Nouembribus prænius, cum Paulus II. Prioratum S. Angeli de Volturino Benedictinum in Asculano à Melchiorio Piccolomineo Senensi Commendatario depositum tradidit. Loci huius peruetusti varia appellatio, de Bulderino ad Vulterinum, de crypta sita in monte Vulterino, de cruptis Esculanis, ad Baltorinum, de crypta Vulterina Ord. Eremit. S. Benedicti anno 1342. Erat anno 1216. Virginum Collegium. Templa multa subiacebant. Hinc Ranaldus, qui supra, Episcopus anno 1273. ab Episcopali quouis onere liberum faciens ædiculas includit; S. Laurentium prope ciuitatem Esculanam positum in loco, qui dicitur Carpinetus, S. Mariam Magdalenam, S. Franciscum de Scabellis, S. Mariam inter fuces, S. Crucem de Amatrice &c. Fuit planè Congregationis caput, quod ex diplomate perspicuũ est Ioãnis XXII. anno Christi 1333. conscripto, quo Mauri Prioris S. Matthæi Macchiani de Monte regali in Reatino, qui locus itidem ad S. Angeli pertinuit, in Priorem Generalem Eremitanum S. Benedicti de Vulturino creationem ratam facit. Huic etiam Prioratui ædes aliquas, & possessiones addictas amplius enumerat anno 1297. Bonif. VIII. literis ad Priorem, & socios datis confirmat. *Ecclesiam S. Laurentij in Plagijs siti prope ciuitatem Esculanam cum poss. & pertin. suis Eccl. S. Benedicti de Flaviano cum possessionibus, & pertinentijs suis. Ecclesiam S. Mariæ inter fuces de Monte, Eccl. S. Francisci, & S. Mariæ Magdalenæ Sitis in loco, qui dicitur Mons poli, cum omnibus pertinentijs earumdem Ecclesiarum, domos, grangias Siluas, hortos, terras, & omnes possessiones, quas habetis in valle Trunti in loco, qui dicitur, Fontanelle cum omnibus p. suis. Ecclesiam, domos ortos terras & possessiones, quas habetis in valle, & contrada de Nouero, Ecclesiam S. Mariæ de Cerro cum domibus, possessionibus, & pertinentijs suis, domos, hortos, vineas, siluas, & possessiones, quas habetis in Diœcesi Esculan. Aprutin. Reatin. ac Aquilina, & in territorijs, & pertin. earumdem &c.*

Oliuetani multa assequuntur, præcipuè sacerdotia.

Ex quibus pleraque ad S. Angeli de Vulterino attinebant iure S. Laurentij, qui paulò ante anno 1278. absolutus Prioratus nomine per seipsum gaudebat, & certè hoc titulo Nicolaus III. eodẽ anno tot ipsi bona stabilit

bilit, quot in hoc diplomate Bonifatij insuper leguntur, quot in scripto Ranaldi Episcopi anno 1273. non percensentur. Paucis hodie, quod scio, fruitur Monasterium S. Angeli Magni, quò ęquo iure pertinent. Tertio post anno quam nobis S. Angeli Vulturinij attributum est, anno nimirum 1471. ab eodem Pontifice cohonestamur ædibus S. Siluestri extra Montelparum nullius Diœcesis (Farfæ, alibi) S. Petri de Aquario, S. Pauli de Pinea, vel Pigna, S. Leonardi de Marino, S. Siluestri de Riuo sancto, S. Sabini de Gemiliano, S. Nicolai & S. Aemilij de Valle Castellana Ecclesiæ Præbendæ nuncupatæ Asculanæ Diœcesis. Quarum complures, nempe S. Petri, S. Leonardi, S. Pauli, S. Siluestri Ranaldus Episcopus anno 1266. supra recenset, & Nardinus Episcopus pariter Asculanus anno 1416. præter illas quatuor, hasce commemorat, S. Sabini, & præterea S. Mariæ de Sexto, S. Ioannis de Monte Cucco, & S. Venantij de Plagis, aut Plagijs, mihi alibi nusquam lectis omnes Monacho tradens eiusdem S. Angeli, cuius erant; sed fortasse quia nobis nunquam data possessio, cũ, quicunque fuerit, auulsæ sint, siue alia de causa nouis libris noua adiunctione vsus fuit. Nemo superstes, qui fidem faciat in hoc Cęnobio sedisse vnquam Præsidem Asculo oriundum. Annis præteritis præfuerunt duo ex Montelpero, quod non longè distat ab Asculo progeniti, varioq; laudum genere præstabiles. Alter est D. Venantius in re Theologica maximè exercitatus, qui Visitatorem agens migrauit è vita Neapoli, nepos ex sorore Gregorij Cardinalis Petrochini ex familia Augustinensi. Alter verò D. Adrianus, qui rerum sacrarum cognitione floruit, D. Michaeli Angelo viro inter nostros Perusinos, vt suo loco narrauimus, celeberrimo maximè charus, & iucundus, cui & ille per omne vitę spatium cõstantissimè obsequia præstitit. *Huc usque nullus in hoc Cœnobio Præses Asculanus.*

De Monasterio Neruianensi. XXX.



CRibellia Familia Mediolanensium nobilissima permulta olim oppida, & vicos obtinebat, & nostra adhuc memoria retinet in vico cuius nomen Neruianus à Mediolano 12. millia passuum disiunctus. Hic anno à Mundi restauratione 1465. agebat Comes Vgolinus Cribellius. Filius erat vnicus nomine Antonius charissimus Parenti, qualis vnica proles. In eo ornando, & augendo omnem cogitationem collocauerat Vgolinus. Equitis titulo decorauerat, in hoc vno intimis adeo sensibus defixus hærebat, vt opibus affluere superstitem vellet ad parem suæ fortunæ lautitiem, ac magnificentiam sustinendam. Non tamen virille quidem nobilis pium sacræ Religionis cultum intermittere præcipua quadam pietate Redemptoris Genitricem adorare. Integerrima. Virgo cumulatiore in Cœlo mercedem comparandi aditum Vgolino patefactura, quiescenti per noctem visa est nineis circundata vestibus, & tanquam exiguo monti insi- *Vgolinus Cribellius Comes Mediolan. Cœnobij Neruianensis Origo.* *Maria Virgo Comiti in somnis*

apparet, & peratq. ædificationem Cænobij. dens oleaginis vtrinque ramusculis ornato sic breuiter affari, Rem sibi longè gratissimam facturum in eius honorem sede aliqua consecrata. Comes viso, ac postulato perterritus, atque è somno excitatus, animi incertus, & cõsilij atroci curarum procella fluctuans, si (ita loquebatur) Monasterium ædificandum suscipiam quam plurimo stabit vsque adeo vt Natus, quem decedens locupletissimum mearum fortunarum hæredem constitueram, modicum sanè patrimonium aditurus sit, & non audienti grauissimum fortasse supplicium imminebit. In varia sensuum fluctuatione Mariæ imperium non exequebatur. Tanta erat cupiditas, tantus amor in puerum. *Iterum apparet.* Deipara iterum subhorrido vultu significat dormienti, vt templum extruendum curet. Animo magis magisque consternatus Vgolinus ad primam Auroram surgẽs summam in vico ædem S. Stephano sacram inuisit, ibique coloribus in pariete, quæ proxima nocte vidisset, exprimenda curauit, ac sępius per mensem sacra in posterum peragenda in ædis sacello fundos quosdam Parocho id suscipienti pollicitus. Ecce tibi tertium Cœli Regina sese obtulit pro merito indignantem, & suprema intentantem nocte somnum capiẽti. *Tertiò apparet.* Pro imperio, inquit, Vgoline templum construe, intra paucos dies vnico tuo, me magis, quod intellexi, tibi dilecto filio Antonio orbaberis. Quammaximo terrore correptus Comes non vlteriùs iræ Diuinę gladium exacuendum existimauit, seque putans denunciatas orbitatis minas restincturum prima luce experrectus literis clanculum Bedagienses Oliuetanos appellat. Et Generalem in primis Antistitem eò visitationis gratia diuersatur, vt de sumptu, censuque certiorem faciant, quem necessarium ducãt Oliuetano Cœnobio erigendo, & sustinendo. Cùm autem Patricius nimiùm rerum humanarum consectator Virginę volũtatis executionẽ in diem procrastinando (sæpe inter mortales usu uenit) Deo Deique Matri verba daturus videretur, subito, grauique morbo oppressus Antonius paucis post diebus uita spoliatur. *Comes filio orbatur. & ædificationem aggreditur.* Tum demum Comes animaduertit, seriùs licet, quàm perniciosũ sit uolũtatis Diuinæ stimulis repugnare. Nullius fidei pater utique inuitus à tam sollicita diuitiarũ cura, & à qualibet in sobolem propensione abstractus, in Deum mentem intendere, sedulus meditari, quantum periculum adierit, quantum crimen admiserit cælestia negligens imperia. Itaque Cœnobium ponere constituit Neruiani in sanctissimæ Virginis honorem. Quantũ in ipso Deo acquieuerit Vgolinus habita filij, rerumque suarum compositione ex eius supplicibus ad Mediolanensium Ducem literis, ut ex suis liceat possessionibus Oliuetanis Cœnobium & instituere & dotare, intelligitur. Erat uerò huiusmodi.

Litteræ Comitis ad Ducẽ Mediolanensium. *Illustrissime, & Excellentissime Princeps. Exponit vester fidelissimus seruitor Vgolinus Criuellus miles, & Comes quòd nuperrime, Deo sic permittente, caret prole masculina sæculari, & sicut Deo placuit, sic acquieuit. Sit nomen Domini benedictum. Et inspiratione diuina, interueniente dispensatione D. V. deliberauit velle id, quod ab omnipotenti Deo accepit illudmet ad decus, ex honorẽ suum, &*

pro

pro salute animæ suæ, ac Consortis, & Defunctorum suorum, ac animarum quamplurium in futurum velle redundare, videlicet velle construi facere Monasterium vnũ in sedimine Habitationis suæ Neruiani sub Honore B. Virginis Mariæ sub regula, & cõseruatione Fratrũ Bedagij ordinis M. Oliueti, & ĩ Monasterio ordinare, quod perpetuis temporibus permaneant fratres, qui deseruiant altissimo, et cultui diuino, prout solent facere, ac eius fratribus, & Monasterio constructo, donare, tradere, ac concedere pleno iure quæcunque eius bona immobilia tam patrimonialia, quàm per eum acquisita, & acquirenda, & sibi quomodocunque, & qualitercumque spectantia, & spectatura exceptis feudalibus, videturque obstare decreta D. V. & statuta vestri cõmunis Mediolani disponētia, bona suppositi in non suppositũ iurisdictioni Potestatis Mediolani non posse transferri. Quare supplicant præfatus Comes Vgolinus, nec non Prior, & fratres Carthusiæ Bedagij præfatæ D. V. attento quòd omnia cedunt ad decus, & honorem Beatissimæ, Gloriosissimæque Dei Genitricis, & ad salutem animarum, neminique fit iniuria, quia quilibet potest disponere de suo quicquid vult; sic Euangelio attestante. Amice nõ ne licet facere de meo quod volo, quia oculus meus bonus est, &c. Dignetur per suas patentes literas concedere, &c.

DVx non difficulter subscribit, assentitur Vgolino anno 1468. Ergo triennium interfluxit à primo Virginis Comitis apparentis viso ad executionem imperij. Bedagiensis Monasterij Priore F. Cæsario Dexiano, alijsque tribus Monachis Neruianum traductis Comes ædificiũ sanè amplum donauit multis cubiculis, ac domicilijs, nec non vtensilibus instructum, 400. vt aiunt, perticas pratorum, aliaque multa, & latifundia pratalia, vitea, syluestria, aliusque generis copiosa addita supellectile, vt vtraque persequi longissimum sit, ea lege, vt Monasterium condatur, quale Oliuetanum postulet institutum, Mariæ Virgini consecretur, vt Prior cum socijs quatuordecim omnino, aut sexdecim Oliuetanos conuiuat, ex his octo Sacerdotes, siue plures, siue pauciores pro fundorum redditibus. Vt Monachi semel in anno pro eo rem diuinam, eamque celebriorem faciãt, quo die in Eleemosynam panis triticei modios tres distribuãt excoctos Mediolani ad ostium domus, quam incolant (malim Hospitij) Cœnobitæ; totidem pariter modios Neruiani in domos, vicique pagos Garbatollum, & Villamnouam singulis mẽsibus perpetuò ad fores Monasterij mixti panis staria quatuor, sic Itali vulgò loquũtur, petentibus diuidant. Alia insuper onera apposuit, quæ tamen silentio inuoluũtur, nõ perpetua. Quæ diximus vniuersa ab Oliuetanis accipiuntur. Construitur Monasterium, quod F. Alexandro Mediolanensi Priori traditur primo administrandum, atque templo nomen inditum S. Mariæ Incoronatæ.

De Monasterio Aquilano. XXXI.

DEiparam gloriosissimam, cuius impulsu nobis dedita opera Oliuetanis miro quodã artificio extructum est proximè expositum Neruianense Monasterium, supra fidem non est, Aquilanorum animos permouisse, qui alterum deferrẽt eidẽ sacratum Virgini nomine succursus extra Vrbẽ anno salutis 1472. Eius originem ex probatissimis tabulis excipio. Ea autem est. Spectabatur inibi D. Virginis imago depicta parieti, vbi cum circiter annum reparationis 1460. pietatis cultores, vt assolet, preces effundere, & multa etiam beneficia accipere cœpissent, famaq. succursus, quẽ eò confugientes suis rebus referrent, dissipata, & multis deinceps erogatis, Ciuitas Ædem satis amplam S. Mariæ de Succursu indito nomine, ædificandam curauit, & anno, quem diximus, 1472. supplicibus Pontifici libellis, nostroque summo Antistiti literis missis, dono dedit Oliuetanis. Tum, vt sanè congruens adesset eorum numerus, mille aureos, quos etiam attulerũt, fabricæ allaturos, &, quicquid ipsis Eleemosynis deesset, aureos omnino Venetos trecentos super erogaturos, pollicentur. Accipit locũ maximus noster Præses F. Nicolaus Rouerellius, qui eò de industria proficiscitur cum F. Placido Senensi Visitatore, F. Bartholomeo Cambio Florentino, F. Mauro Sernaniensi, qui primus ibi mansit Prior, & F. Petro Pisauriensi, & Amico Cardinale Episcopo, Comite Montorij, alijsque Ciuitatis proceribus adstantibus initur possessio. Atque id est, quod de hoc, vt pote nouo Cœnobio, tradi potuit. Multa quidẽ antiqua, & amœna, quæ de Abbatia S. Mariæ Piccianensis afferẽda sunt, quam à Frãcisco Monisisio Canonico Tropiensi depositam Alexander VI. adiungit. Hãc legimus in tabulis anno Seruatoris 1051. Bernardum Pẽnensem erexisse, ea tamen conditione vt nullius imperium, quã S. Petri Romani agnosceret, atque in cæteris bonis terræ duodecim millia modiorũ dotis nomine contulisse, alios deinde multis decorasse facultatibus, & iurisdictionibus. Sed sententiam primùm fundationis Bernardi accipiamus, inde aliorum liberalitatem paucis referemus.

Aquilani S. Mariæ de Succursu donodãt Oliuetanis.

Abbatiam S. Mariæ de Picciano Alexander VI. attribuit.

† *IN nomine æterni Dei Amen. Ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi sunt anni M. LI. ind. IV. Ideo constat, quod ego Bernardus de Penne filiusque bonæ mem. Liuioni de Penna hodierna die propria, & spontanea mea bona voluntate. Declaro enim quanta, & quam multa sunt peccata mea, & primo qualiter in peccatis meis conceptus sum, & à iuuentute mea multa mala die, noctuque per horas atque momenta in mente mea cogitaui, & qualiter terribile iudicium de omnibus factis, & cogitationibus meis rationem redditurus sum, & recipiet vnusquisque secundum opera sua. Et qualiter iusti, & sancti cum Domino gloriabũtur, & impij, & peccatores in illa pauenda pœna cum Diabolo damnabuntur: Et subito*

Antiquissima Abbatia Picciaenensis Origo.

respexit

respexit me diuina pietas, & compunctum est cor meum cum tremore, & statutione cordis cœpi anxiè consilium quærere à sacerdotibus, & religiosis viris, vt qualiter peccata mea redimere possem, & iram Dei, & terrorem iudicij euadere potuissem. Et accepi consilium ab eis, excepto si seculo renunciaremus, nullum aliud melius opus, quam si de rebus proprijs substantiæ meæ ipsorum Monasterium construerem virorum, qui ibidem die, noctuq; laudem Deo, & sanctis eius dignè resultent, & pro anima mea, & progenitorum meorum, atque consanguineorum meorum incessanter Deum exorent. Cogitare cœpi infra memetipsum vbi aptum locum ad ædificandum Ecclesiam inuenire potuissem. Et subitò, Deo concedente, inuenimus aptum locum positum ante collem de casa de Orele, qui nominatur Pecenum, & ibidem ædificauimus ecclesiam in honorem S. Dei genitricis, & Virg. Mariæ, de qua Ecclesia fecimus, & confirmauimus Monasterium virorum in omni tempore permansurum. Cui dedimus de bonis nostris mobilibus, & immobilibus tantum, vt ad loci illius supplementum, & seruorum Dei nutrimentum, vt prædictis vndecumque aduenerint abundanter sufficere possint. Ordinauimus verò, vt dictum Monasterium non sit subiectum, neque sub Episcopo, neque sub alijs Monasterijs, neque sub ulla persona nisi solo Deo Patri, Filio, & Spirituisancto, cui omnia subiecta sunt, & Sancto Petro de Roma, cui vnam libram de cera in festo eiusd. Sancti prædictũ Monasterium propter censum annuatim persoluat. Et ipsa Ecclesia Sancti Petri dictum Monasterium manutenedt, & defendat ab omni persona ecclesia, siue seculari, qui mala dicto Monasterio inferre voluerit. Et nullus ibi dominetur, nisi ille, qui pro Deo, & anima sua iustè iudicauerit, & dictum Monasterium illæsum conseruauerit. Tradimus etiam iam dictum Monasterium Domni Todemarij Monachi dicti Monasterij in manu, & ipsum in eodem Monasterio Abbatem constituimus, vt seruos Dei ibidem congregatos sub regula custodiat, atque regat, & ipsi serui Dei ibidẽ pro animabus nostris, & aliorum hominum orare Deum non cessent. Donauimus, atque iudicauimus ipsi iam dicto Todemario pro anima mea, & de suprascriptis parentibus meis, & pro anima Panphiliæ vxoris meę in loco, qui nominatur Pecianũ, id est, in ipsa iam dicta Ecclesia terras coadunatas, & terminatas, qui sunt per mensuram modiorum duodecim millia. Hæc sunt fines infra fines capo fine ipsę terræ à sancta Cruce incipit, & venit per Cambinatum, per Caragetum, & per valles, & per Triuium Mansanene, & per fontem grandem, & per Seuerianam, & per Durigam, & Eccl. S. Pauli de Doranian. & ipsum Duranian. cum tenimentis, & hominibus, & pertin. suis, & per fontẽ Curelli, & per casam presbyteri, & per Osianũ, & descendit in fossatum de Patriani, & deuenit in vnum verdariũ, & riuũ, verdariũ ascendit sursum per pensulã, & vadit per barcum Barauonem, & ipsam villam Ciliani cum hominibus, & Ecclesiis S. Angeli, & Sancti Ioannis de Varecellis, & S. Pauli, quæ est in triuio collis Madij cũ vno molendino, quod est situm in flumine de Verecellis cum rebus, & pertin. suis. Cuius Villæ Ciliani hæc sunt fines à capo fine la torre ab vno latere decurrit vsq; in fluuium de Verecellis, ab alio verò latere decurrit vsq; ad riuum de bora, & vadit per riuum super Saletuzum in Verecellis, & cum alijs suis finibus. Et eccl. S. Laurentij de cauda mensera. Et Eccl. S. Martin. de Casarellis cum omnibus curijs, & hominibus, & rebus sibi pertinentibus cũ tota silua de Calcarola, & descendit per flumium Firis, & redit ad Sanctam Cruce.

Om-

Omnes terras positas infra prædictos fines cum vineis, pomis, & arboribus terris fructiferis, & infructiferis, quas infra se, & super se habent, per hanc cartulam qualiter supra legitur sic dono iudico, atq; concedo ego suprad. Bernardus pro anima mea, & suprascripti genitoris mei, & genitricis meæ, & vxoris meæ in iam dicto Monasterio ad proprietatem, & possessionem iam dicti Monasterij. Ea vero ratione, vt mihi Dominus noster Iesus Christus dignetur retribuere peccatorum nostrorũ remissionem, & cum venerit dies iudicij futuri mercedem à Domino recipere mereamur, & audire vocem Domini dicentis Venite benedicti &c. Constituimus quoq; & ordinamus, vt in ipsa Ecclesia S. Mariæ de Peciano semper sit Monasterium, & post mortem Todemari Abbatis eiusdem loci ipsi serui Dei, qui erunt in Monasterio, quem inter se inuenerint dignum honestum meliorem, atque timentem Dominũ in Abbatem eligant, & S. Petro de Roma eum repræsentent, & ipsi clerici de S. Petro de Roma præsentatum confirment, qui secundum Dominum, & regulam seruos Dei ibidem commorantes in sancta Religione vsque in sempiternum regat. Donamus, atque concedimus omnibus hominibus de terra nostra donandi, & relinquẽdi de bonis nostris tam mobilium, quàm immobilium, vt prædicto Monasterio pro animabus suis relinquent, & quicunque ire voluerit ad dictum Monasterium, vt ibi Deo seruiat cum bonis suis faciendi habeat liberam potestatem. Quicumque autem iam retrodictos seruos Dei, & alios, qui futuri sunt in dicto Monasterio, adiuuauerint, & in pace, & quiete conseruauerint, habeant partem in prima resurrectione cum iustis, & electis Dei. Et quicumque ausus fuerit, & temerarius, qui iam dictum Monasterium, & dictos seruos Dei ibidem permanentes inquietauerit, aut molestauerit, aut perturbare voluerit in iram omnipotentis Dei, & sanctorum eius incurrat, & veniant super illum omnes maledictiones Dei, & non habeat partem in prima resurrectione, sed habeat partem cum Iuda Domini proditore, qui ab Apostolico agmine, & cætu fidelium segregatus est, & cum impijs, & sacrilegis aggregatus est, pars illius sit in stagnum ignis, & sulphuris. Repromitto me ego dictus Bernardus, & obligo, & hæredes meos, vt ipsas omnes suprascriptas res, quas pro anima nostra in ipso iam dicto Monasterio donaui, & iudicaui ab omni homine antestare, & defendere debeamus, & si à quolibet homine antestare, & defendere non voluerimus, aut si inde aliquid tollere, vel minuere tentauerimus, componamus ego suprascriptus Bernardus, vel mei hæredes in ipso iam dicto Monasterio de pœna nongentas libras auri, & vt ipsa iam dicta cartula cum omnibus suprascriptis omni tempore semper firma, & stabilis permaneat cum sigillo nostro de cera suggillauimus, quam verò cartulam donationis, & iudicationis, atque concessionis. Ego Ioannes Notarius prædicti Domini Bernardi de Penne rogatus à suprascriptis Bernardo, die Dominico, primo de Mense Madio scripsi in iam dicto Monasterio S. Mariæ de Peciano coram subscriptis testibus, & Domino Todemario Abbate dictæ Ecclesiæ, & ipsis seruis Dei Fratribus suis fœliciter, & ad maiorem roborationem. Hoc signum feci † Testes &c.

Opes, & Aedes Abbatiæ S. Mariæ de Picciano.

NVnc de alijs, quæ Abbatiæ legata sunt. Anno hominis Dei 1052. Toderata mulier portionem Ædium S. Luciæ, & S. Saluatoris dono dedit cum terræ modijs centum. Morellus autem anno 1055. alteram illarum

larum mediam portionem. Ioannes anno 1056. tertiam partem collis S.Vincentij,& tantumdem de templo S.Mariæ. Remphredus pariter de Castro Cesio S.Petri ad Cesinum, S.Angeli ad Cilianum,& S.Ioannis. Tezonius, & Adelbertus fratres anno 1055. partem suam Castri Teclani cum Templo interiori. Arbergus anno 1060. terræ modios quadringentos. Manfredus anno 1062.ædem S.Siluestri apud Sorbellanos cum duabus ædiculis Sanctæ Mariæ de Coringeno, & S.Petri de seruis,quæ in Finio flumine molam obtinebat. Bernardus, Gualterius, Ranaldus eodē Bernardo procreati anno 1068. multas opes,præcipuè terræ modios mille expressis finibus,deinde Castrum Pollicantum, & ibidem Templum S. Saluatoris, nec non sextam partem Castri Montesicci, ædem S.Sabini in agro Pennensi terræ septingentos, & quinquaginta modios, & ædem Sancti Pauli Collemagiensem. Deodatus præsbyter anno 1065. medium templum Sanctæ Iustæ. Grimaldus anno 1069. Aedes Sanctæ Columbæ, & Sanctæ Felicis. Post annum verò septuagesimum, & trigesimum Gulielmus ædes Sancti Petri in Colle coruinensi, & Sancti Pamphili in finibus Castri sui Spultorij cum terræ modijs quadringentis, & Sanctæ Luciæ, ac molam cum alijs agris Tabio flumini circumiectis. Verùm quoniam Templum S. Pamphili ad Abbatem S.Ioannis in Venerio, qua tamen ratione ignarus sum, pertinebat,inter Abbates Venerium,& Piccianensem facta paulo post commutatio est. Dedit Piccianensis Venerio Aedem S.Martini, Venerius autem concessit Piccianensi, quæ diximus, S.Pamphili cum illis terræ modijs quadringentis,ea lege,ne quis Venerio oriundus nulla per Abbatem Piccianensem facta potestate Templum in Spultoriano exædificare possit anno Christiani Orbis 1076. Coruus è tribus partibus duas dono transmisit, ipsius Castri Montesicci,tum ædium S.Angeli,& S.Antonini, quæ in castro constitutæ sunt. Hæc,& alia Gregorius IX. commemorat in eo, quod anno Domini 1228. 3.Cal.Quinctilis scripsit,diplomate,quo Abbati Piccianensi illa etiam vult confirmata, *Villam Piceni, Villam Ciliani & Villam Pullicanti cum omnibus suis pertinentijs, Villam quoque de Duraniano cum suis pertin. Ecclesias S.Petri S.Felicis,& S.Mariæ de Colle coruino, Ecclesiam S.Saluatoris de Pulicanto, Ecclesiam S.Columbæ de Laureto, Ecclesiam S. Pamphili, Eccl. S.Petri, Eccl. S.Mariæ, Eccl. S.Ioannis, & Eccl. S.Luciæ de Spultorio, Eccl.S. Angeli de Ciliano, Eccl.S.Ioannis de Verricello, Eccl. S. Pauli de Collemadio. Eccl.S.Luciæ de Campo Franconis, Eccl. S.Mariæ de Cesis, & Eccl. S.Pauli de Duran.cum omnibus earum pertin. Decimas quas ab hominibus terrarum Monasterij vestri percipitis, alias quoque decimas, & redditus, quæ in castris Laureti, Collis coruini, Spultorij, Ciuitate S.Angeli tam vos, quàm Ecclesia vestra percipitis;homines, quos in Ciuitatibus castris, & villis nominatis habetis. Molendina, quæ habetis in Carpineto, & siluam de Riuo de valle. Salinas, quas habetis in Piscaria cum pratis,vineis,terris,nemoribus,esuagijs, & pascuis in bosco & plano in aquis,& molendinis in vijs, & semitis,& omnibus alijs libertatibus,& immunitatibus suis. Saluo circa decimas moderamine Concilij generalis, &c. Dat.*

Commutatio inter Abbates Venerium & Piccianensem S. Martini, & S.Pamphili.

Assi-

Assisij &c. Maximum autem Priuilegium, quo anno 1294. donat Abbatiam Celestinus V. quod cum & lectione dignum sit, & habere præ manibus, integrum affertur.

Priuilegia, Cenobium Aquilani à Pontificibus, Regibusq. concessa.

CElestinus Episcopus seruus seru. Dei. Dilectis filijs Abbati, & Conuentui S. Mariæ de Pizzianio ord. S. Benedicti Penn. Dioc. Sal. & Apol. Benedictionem..... ex prouidentia Dei Patris pro aliqua parte nostræ insufficientiæ, ac imbecillitatis ministerium propagauit, quamque ab experto cognouimus meritò nos inducit, vt in his prompti simus ad gratiam, in qua animarum salus præcipuè procuratur. Attendentes siquidem quod in Monasterio de Picciano Pennensis Dioc. in quo ab antiquo..... sancti Benedicti regula fuerat instituta. Quodque iurisdictioni Pennensis Episcopi subiacebat, & per oppressiones eidem Monasterio ab eius Ordinarijs, alijsque Personis tam Ecclesiasticis, quàm mundanis graues in eius bonis, & iuribus pertulisse dignoscitur læsiones plenè non viget obseruantia regularis, & quod id vergit in periculo animarum; Ac cupientes Monasterium prædictum per nostræ operationis studium, diuina fauente clementia, in prosperum statum dirigi, & in eodem statu salubriter conseruari, decernimus, quòd ex nunc in eodem Monasterio Monachalis obseruantia, & S. Benedicti regula firmiter obseruetur, ac Monasterium ipsum, & Ecclesias, Cappellas, atque membra, & possessiones honores, dignitates, iurisdictiones, aliaque bona eiusdem, in quibus hæc duximus proprijs exprimenda vocabulis. Ecclesias videlicet S. Petri, S. Felicis, & S. Mariæ de Colle coruino, Eccl. S. Saluatoris de Pullicanto, Eccl. S. Pauli de Duminiano, Eccl. S. Columbæ de Laureto, Eccl. S. Pamphili, S. Petri, S. Mariæ, S. Ioannis, S. Luciæ de Spultorio, Ecclesiam S. Angeli de Celiano, Eccl. S. Ioannis de Berretillo, Eccl. S. Pauli de Collemadio, Eccl. S. Luciæ de Campo Franconis, & Eccl. S. Mariæ de Cesis cum omnibus iuribus possessionibus, & pertinentijs dictarum Ecclesiarum vbicumque fuerint, Casalia Picciani, Pullicanti S. Saluatoris, Duminiani, & Ciliani cum omnibus iuribus, & pertin. suis. Feuda, seu tenimenta existentia in Castro Collis coruini cum hominibus, & possidentibus, Molendina cum territorijs existentibus in flumine Tabiæ & silua de valle, Salinas duas existentes in Piscaria. Feudum Berardi Andreæ, quod est in pertin. ciuit. Penn. cum diuersis vineis, terris cultis, & incultis, arboribus fructiferis & infructiferis, aliaq. bona omnia, & iura ad dictum Monasterium spectantia, nec non &..... quæ in eodem Monasterio sub ipsius ordinis S. Benedicti obseruantia, cæterasq. personas, siue religiosas, siue sæculares fuerint, quæ pro tempore in dicto Monasterio S. Mariæ de Picciano & prædictis eius Ecclesiis, & casalibus permanebunt, & in iure, & in proprietate B. Petri, & Apostolicæ Sedis assumimus ab omni iurisdictione potestate, & dominio tam Episcopi, & Capituli Penn. qui successiue, & qui pro tempore fuerint, quàm cuiuslibet ordinarij prælati Ecclesiæ, sæcularisue personæ, & ab omni censuum solutione, & redditu viginti pessarum panis, & vnius porci, quem dictum Monasterium S. Mariæ prædictis Episcopo, & Capitulo Penn. reddere annis singulis tenebatur, & ab omni receptione ipsius Episcopi, & procuratione sibi deinceps præstandæ, nec nonà solutione quartæ mortuariorum, & visitatione & procuratione Ecclesiæ S. Pamphili de Spultorio, & quorumlibet censuum, & exactio-

num

num quarumuis præstationum prædictis Episcopo, & Capitulo, vel ipsorum successoribus religiosis, vel sæcularibus facien. totaliter, & perpetuò eximimus de Apostolicæ plenitudine potestatis, ita quòd idem Episcopus, aut Capitulum, aut qualibet alia persona Ecclesiastica, vel sæcularis in prædictum Monasterium S. Mariæ, aut personas in eo Domino seruientes, seu alias personas, quæ in eo, & in prædictis Ecclesiis, Cappellis, membris, & Casalibus prædictis manebunt, Ecclesias, membra, possessiones & iura seu alia omnia bona supradicta, vtpote per eamdem sedem prorsus exempta, Neque in vos, & ordinem vestrum illorum occasione ius sibi aliquod vendicare, vel iurisdictionem, siue potestatem aliquam exercere. Nos enim nunc decernimus irritum, & inane, si secus à quoquam contra præmissa, vel eorum aliquod scienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Et nihilominus prædictum Episcopum, & Capitulum Penn. eiusque successores, & omnes alias siue Ecclesiasticæ personæ fuerint, siue sæculares, qui contra concessionem, exemptionem, & absolutionem huiusmodi cuiuscumque dignitatis, honoris, & præeminentiæ, status, aut ordinis extiterit, aliquid facere, vel attentare forte præsumpserit ipso facto interdicti, & excommunicationis, priuationis dignitatis, & honoris pœnæ volumus subiacere. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, assumptionis, exemptionis, absolutionis, & concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Neapoli. Quinto Calen. Decembris Pontific. nostri anno primo.

HAc tempestate Monasterium Succursus sacram non solùm Piciani, alijsque in ædibus Abbate pro tempore inuisente, aliaque gerente tanquam Ordinario, sed etiam humanam Iurisdictionem exercet, cuius anno 1515. 5. id. Nou. præcipuè legimus Confirmationem, quæ talis est.

FErdinandus Franciscus Daualos de Aquino Marchio Piscariæ &c. Regni huius Siciliæ magnus Camerarius &c. Vniuersis &c. inspecturis cupimus innotescere, qualiter venerabile Monasterium S. Mariæ de Picciano situm in territorio Castri nostri Collis coruini insinuauit nobis per concessionem olim nostros b. m. prædecessores fuit dicto Monasterio, & fratribus ipsius concessa cognitio causarum ciuilium in vassallos, & habitatores in dicta villa Sanctæ Mariæ, & qualiter fuerunt in hac per longissima tempora in quasi possessione dictæ cognitionis. Nos verò attendentes dictam concessionem &c. confirmamus, & de nouo concedimus, & donamus venerabili Monasterio prædicto, ac eius priori, & fratribus, qui pro tempore fuerint cognitionem prædictarum causarum ciuilium, & criminalium leuium; Ita quod possint, & valeant prior, & fratres dicti Monasterij, seu eorum Capitaneus cognoscere, decidere, diffinire, terminare, punire, & sententiare inter vaxallos prædictos in dictis causis ciuilibus, & criminalibus leuibus videlicet de rixis, ac verbis iniuriosis, & similibus, in quibus veniret tantum pœna pecuniaria exigenda, cæteris verò casibus criminalibus nobis, & nostris officialibus, ac eorum depositioni reseruatis promittentes concessionem, & confirmationem prædi-

Priuilegiũ iurisd. humana.

ctam semper, & omni tempore ratam habere &c. Datũ in Aquilana ciuitate &c. Anno &c. Ferdinandus &c.

COenobium pariter priuilegio gaudet singulari, cui simile vsquam non occurrit, idque est, vt animalia tam minora, quàm maiora, quę à gregibus, & armentis aberrantia, quod sæpe accidit, per illas regiones circumuagantur, vero & legitimo Domino ignorato, vt in destitutis, nedum in amissis habere, credi possit, (ferè appellantur ibi Fauanesia, aut excadentia) Monasterio vindicentur. Concessum circa annum salutis humanæ 1485. à Ferdinando primo Rege Neapolis, comprobatum verò à multis, vel omnibus in Regno successoribus, ann. 1495. à Palamede Fortino Prorege in Brutijs, in Apulia, in Campanis loco Regis Gallorum Caroli VIII. & à Rege ipso sigillatim 4. Cal. Maias; anno 1495. à Rege Friderico; anno 1502. à Ferdinando & Elisabetha, & rursus ab eodem Ferdinando anno 1507. & demum à Carolo & Ioanna anno 1517. sed quia multis in dubium reuocari poterat, & fortassis omnino reuocabatur, illis ne Principibus inscio Pontifice Monasterium his priuilegijs ornare fas esset animantia illo modo attribuentibus, omnem religionem excussit Innoc. VIII. sequentibus duabus literis, quæ cum plurimùm referant, ad uerbum subscribo.

Innocent. VIII. pro Fauanesiis Priuilegiũ

INnocentius Episcopus seruus seru. Dei. Dilectis filijs Priori, & Conuentui Monasterij per priorem soliti gubernari S. Mariæ de succursu extra muros Aquilanos ord. S. Mariæ M. Oliueti nuncupati sal. & Apostol. benedictionem. Sacræ Religionis, sub qua in humilitatis spiritu deuotum, & sedulum exhibere studetis Domino famulatum, promeretur honestas, vt illa vobis fauorabiliter concedamus, per quæ statui, & commoditatibus vestris opportunè consuli possit. Sanè pro parte vestra nuper exhibita petitio continebat, quòd aliàs charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Siciliæ Rex illustris vobis, vt pecudes, & alia animalia dohanæ pecudum Ciuitatis Aquilan. errantia, quæ sine veris patronis in eadem dohana reperirentur, recipere, & pro Monasterij vestri, quod tunc à paruo tempore citra ædificari cœptum fuerat constructione, & conseruatione retinere possetis auctoritate sua regia concessit gratiosè, prout in quibusdam literis authenticis ipsius Regis desuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, à nonnullis de iuribus concessionis prædictæ hæsitetur, pro parte tam vestra, quam dilectorum filiorum Camerarij, & quinque ad regimen dictæ Ciuitatis deputatorum quinque artium nũcupatorum asserentium, quòd vos à tempore concessionis huiusmodi, nobis fuit humiliter supplicatum, vt etiam vobis quod de cetero pecudes, & alia errantia huiusmodi in dohana sine patronis pro tempore reperta recipere, & illa, eorumque redditus, & prouentus pro constructione, & conseruatione prædictis retinere, ac aliàs in vsus, & vtilitatem dicti Monasterij conuertere possitis concedere, aliásque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui Monasteriorum, & religiosorum locorum omnium statui, & vtilitati libenter consulimus huiusmodi

suppli-

supplicationibus inclinati, vobis, quòd de cætero pecudes, & animalia errantia huiusmodi in dicta dohana pro tempore reperta perpetuò recipere, & infra terminum vnius anni à die, quo illa per eos recepta fuerint computandum infra quem, illorum Domini si apparuerint, restituere teneamini..... dicti Domini illa non repetierint dicto anno elapso pecudes, & animalia penes vos existentia huiusmodi pro ipsius Monasterij constructione, & conseruatione retinere, ac illa, eorumq. redditus, & prouentus in constructionem, & conseruationem prædictas, & aliàs in vestrorum, dictique Monasterij vsus vtilitatemq. conuertere liberè, ac licitè possitis, constitutionibus Apostolicis, ac Monasterij, Ordinis, & ciuitatis prædictorum iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrarijs nequaquam obstantibus auctoritate Apostolica tenore præsentium de spiritualis (vel *specialis*) *dono gratiæ indulgemus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto. 8. Calend. Nouembris Pontificatus nostri. Anno secundo.*

POsterioribus verò literis, cuius nam cura, & auctoritas exequendum curet Priuilegium Fauanesiorum Monasterio, constituit, & declarat.

INnocentius Episcopus seruus seru. Dei Dilectis filijs Vicarijs Venerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscopi Neapolitani, & Aquilani, ac Troiani Episcoporum in spiritualibus generalibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Hodie dilectis filijs Priori, & Conuentui Monasterij per Priorem soliti gubernari S. Mariæ de Succursu extra muros Aquilanos ord. S. Benedicti M. Oliueti nuncupati gratiosè indulsimus, quòd de cætero pecudes, & alia animalia dohanæ Pecudum Ciuit. Aquil. errantia, quæ sine veris patronis in eadem dohana reperirentur recipere, & post annum à die illa per eos recepta forent computandum, si Domini non apparerent pro ipsius Monasterij constructione, & conseruatione prædictas, & alias in suos dictique Monasterij vsus, & vtilitatum conuertere possent, prout in nostris inde confectis literis pleniùs continetur. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus vos, vel duo, vel vnus vestrorum si & postquam dictæ literæ vobis præsentatæ fuerint per vos, vel alium siue alios eisd. Priori, & Conuentui in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis auctoritate nostra Priorem, & Conuentum præfatos concessione huiusmodi iuxta dictarum literarum continentiam, & tenorem pacificè gaudere, non permittentes eos super illa per quoscunque indebitè molestari. Contradictores per censuram Ecclesiam ac Pecuniarias pœnas arbitrio vestro imponendas, & alia iuris opportuna remedia, appellatione postposita, compescẽdo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obstare, seu si aliquibu: communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sede indultum,

Inn. VIII. litera pro Fauanesio rũ Priuilegio executione.

Gg 2 quod

quod interdici suspendi, vel excommunicari aut alia pœna mulctari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum, Romæ apud S. Petrum Anno Incarn. Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quinto. 8. Cal. Nouembris. Pontif. nostri Anno 2.

ET quoniam cum annus ageretur ab Orbe restituto 1520. Sodales minores obseruantes ex literis quibusdam Pontificijs, & Indulgentijs in forma, vt aiunt, Iubilæi ea tempestate ad prosequendam S. Petri ædificationem emissis, quibus ceteris exceptis, continebatur, vt illi incerta omnia ea ratione recipere, sibique adsciscere possent, dicta animalia, & Fauanesia expetebant, Leo X. Oliuetanos suis literis, non includi significauit, & proinde ne quid ipsis molestiæ, & incommodi afferatur, edixit.

De Monasterio Rhodigino. XXXII.



MOnasterium S. Bartholomæi, quod positum est extra Rhodigium Oppidum in Polesinio nobile, præcipuum, satis commendari antiquitate comperio, & annos supra 400. in suo Tabulario nominari. Perdiù tenuerunt Benedictini nomine

Humiliati multos ante annos habebant. Humiliati titulo Præpositurae. Sub annũ deinde humanæ salutis 1372. ad rem Commendatariam redigitur. Hinc anno 1374. fruebatur Commendatarius Bartholomæus Cardinalis Rouerellius. Huius Principis *Sixtus IV permittit Oliuetanis Alias ædes paulo post assig. at.* gratia (constans fama est) Sixtus IV. Humiliatorum ordine extincto, dignitate sublata Præpositurali, factumq; Monasterium Oliuetanis attribuit, & biennio post duas alias ædes adiungit S. Mariæ de Sabulo, in quã ius erat gentilit. ũ Ducibus Ferrariensibus, & S. Petri in Maone de Baltonio in Rauennate campestres, animarum cura solutas Sabulensem tamẽ Monasterium obtinuisse non arbitror ad annum vsque 1498. quo anno Alexandri VI. lego literas, quibus Monasterio tradit Stephani Rigonij Rectoris depositione vacantem. S. verò Petri antiquissima est, nam ab anno vsque 1067. tabulæ Monasticæ mentionẽ faciunt. Dicitur, in Maone, á fundo, vel situ, in quo olim condita erat, de Baltonio autem à Vico, cuius finibus Maon comprehenditur, siue quod ex Maone Baltonium translata sit, vt ex eius collatione apparet per Archiepiscopum Rauennatem habita anno sal. 1309. vbi hæc leguntur, *Ecclesiæ S. Petri, quæ conducta est, & translata de loco ipso in Maone ad ipsum locum Balthoni.* Sacris olim hoc loco operã dedit iam Abbas cum Monachis, iam presbyter, aut Rector pro Archiepiscopi Rauennatis constitutione, & voluntate, cui post annum 1067. cum Episcopus Adriaticus concessit, penitus subiecta est. Ædes Baltonienses Plebe quadam quondam potiebatur nomine S. Venantij, & altera S. Petri de Viminaria, qui Vicus inter Pernumiam,

& Car-

& Catrariam in Patauino situs est, &, cuicumq; libitum esset, Abbas, & Rector Baltoniensis permittebat. Id præcipuè factũ reperio anno 1317. à Prothasio Mediolanensi Rectore, quarta frugum parte excepta, quæ in Vininariensi per singulos annos percipiebantur. Vnus Montoliueto Vicarius Generalis anno 1537. F. Lucas præfuit Rhodiginus. Præfuit etiam huic Monasterio multis annis Abbas D. Barnabas Riccobonus vir sũmo ingenio præditus ad speculationẽ, rerũque vsum aptissimus Ætate integra de superiori loco interpretatus est, & Ecclesiasten egit. Visitatoriã semel atq; iterũ, Procuratoriã verò, eamq; Generalẽ personã semel obiuit. *D. Barnabas Riccobonus Oliuet. vir perquam egregius.*

De Monasterio Finariensi. XXXIII.



INter omnia oræ Genuensis loca, in quibus veterum memoria fuerit, sit quidem & præsenti aliqua Dei Genitricis effigies, ad quam præcipuus fiat populorum concursus, vt cælestia referant beneficia, & diuersas, easque admiratione dignas gratias accipiant, fuit, estque ille in Valle Pia prope Finarium in Sauonensi. Olim, & ad nostra vsque tempora Marchiones ibi dominati sunt ex genere Carrettano. Imperabat autẽ anno Seruatoris nostri 1476. Galeottus. Hunc igitur diuini cultus in eo templo promouendi cupiditas inuasit, vt propterea essent in proximo alicui Religiosorum Ordini Domicilia, qui diù, noctuque ibi frequentes existerent; In Oliuetanos potissimùm propendit. Itaque Iuliano Cardinale S. Petri in Vincula, quem Pontifex Legatum Apostolicum in Galliam destinauerat, illã trãseunte impetrat Galeottus, non modò, vt Vallis Piæ templum cum animarum imperio attribuatur, sed etiã intra fines Parœciæ ædicula S. Antonij, & quoddam S. Mariæ Hospitium Curiali Ecclesiæ cõtinens quod, cum erigendum esset, vti diximus, Monasterium, solo æquandum erat, ædificio contineretur. Omnia Sixto IV. probata sunt x. cal. Apriles, de Hospitio præsertim exponenti, Monasterium posthac illorum pauperũ, quos ibi antea piè, & misericorditer tractare mos erat, vicẽ subiturum. Innoc. VIII. anno 1487. idem ferè pronunciauit, Hospitalitatem, quæ ibi ante hac exercebatur, in Eleemosynam, quæ aliquo hebdomadis die ad fores Cœnobij erogaretur, conuertendam. Anno 1478. Prior constituitur F. Raphael Mediolanensis, sed sine socijs, prohibente loci paupertate. Nihil cõparatũ scio ad annũ vsque 1491. Cum Io. Antonius Episcopus Alexandrinus Commendatarius Prioratum S. Benedicti in Castro Sanbenedicto de Valle Belbia in Episcopatu Albano tradidit, seposita annua viuenti Florenorum aureorum pensione, quod Pontificijs literis attestatur Innocen. VIII. XIII. cal. Apr. Olim iam pependit hic Prioratus ex Cœnobio, quod hodie nostrum est in Parmensi, S. Mariæ Castilionensi, quod ex omnibus prædijs, & possessionibus, quæ Castri finibus coercentur, cum venum irent, aut quauis ratione alienarẽtur, cum-

Galeottus Marchio Carrettanus Oliuetanos in hoc Cœnobium Finariensi inuexit.

Io. Ant. Episcopus Alexand. dat Prioratũ S. Benedicti in Sanbenedicto.

que

que fructus, & eorundem agrorum prouentus legerentur nonam excipere partem consueuerat; sed anno 1326. Abbas Castilionensis, oppidi siue Castri Cōsulibus suppliciter deprecantibus per Deum pro nono vicesimum indulsit, nimirū vt sacra ædes vicesimam quot annis acciperet frugum, leguminum, aliarumque rerum id generis, priusquam agro efferrentur, nec non vini in lacubus, pęna Prioris, qui ibi demoraretur, arbitraria, hodieque eadem & auctoritate, & vtilitate existimo demorari.

Iulius II. Abbatiam S. Mariæ de Farneto adiungit. Extra hunc Prioratū Iulius II. anno 1512. Aloysio Carrecto, à quo tenebatur, postulante, Valpiæ Abbatiam S. Marię de Farneto in Cortonensi, adeò vt Aloysio Spiritum ducenti annui centum, & quinquaginta Floreni aurei exoluantur, adiungit. Hæc nimis longa ad tractandum materia præbetur. Ad extremum vsque tantisper differemus, nonnullas alicuius sanè momenti factas Monasterio accessiones persequamur.

Monasterium Virginum Cistercensiū de Ripa Naulensi. Extabat anno 1519. in Naulensi Virginum Cistercensium Monasterium, quod S. Mariæ de Ripa Naulensi dicebatur (quinque admodum erant cū Antistita) satis collapsum, adeo vt earum voluntate Leo X. IV. Non. Quinctiles nostro apposuerit, ea quidem obligatione, vt singulis diebus Dominicis, ferijsque legitimis res diuina celebretur, idque postquam ex illis duæ tātum superessent, quibus victu, cultuque comparato, aurei præterea quinque conferantur, quibus domum conducant, vbi in commune viuant, itaque factum reipsa. Cum F. Angelus Albenganus, cui iam olim Præsuli maximo paruimus, in locum tanta religione præditum, (ex ædificijs, quibus ab illo auctus est, conijcimus.) singularem pietatem præseferret, de aliquo sacerdotio, siue alia re honesta, vel vtili nobis adiungenda semper cogitauit. Eius igitur studio anno Deiparæ Virginis 1521. de Thoma Ferrio Præposito Santi Blasij de Tinario Aediculam S. Donati, quam ipse administrabat, accipimus. Cum pariter Angelus Antonio Caregio Canonico S. Laurentij apud Genuenses S. Martini Adoriensis in Albengano ædis quidem agrestis possessore per quam familiariter vteretur, vt eam nobis dimitteret, valde contendit. Ille Virgini pietate addictissimus annuit, & Clementi VII. cui Cubicularius inseruit supplicem libellum per se ipse reddit, curatque rescribendum. Verùm Decimarum exactore in Picenum profecto, & Romana depopulatione interueniente, res dissoluitur, ita, vt iterum supplicandum sit, Angelus, qui eo tempore Visitator declaratus erat Bononiæ, vbi & Pōtifex immorabatur, supplices rursus literas attulit; Non modo non rescripsit, verùm etiam cum ab huiusmodi ædium ædibus adiunctione satis abhorreret, discedit, Angelus ad summam Olinetanæ Reip. dignitatem euectus, quod votis omnibus expetebat, sed frustra, nititur consequi. Cardinale tandem Cesio Protectore consulente, per Episcopum Albenganum hanc fieri depositionem curat. Hunc Romę decumbentem Abbas Generalis inuisit, paulatim ea de re sermonem iniecit. Episcopus, se Virginis Piæ precibus sanitate restituta, facturum respondit. Voti compos Antistes per amicos Pontificis difficultatem superat, & Angelus summopere

lætatus

lætatus impetrato anno Christi 1531. x. cal. Apriles diplomate. Nunc de Abbatia Farnetana. Si nostros hosce labores perlegens vnquam didicit, quemadmodum fieri non posse crediderim, quin, quæ numquam satis celebratus Ordo Benedictinus gloriosè acquisiuerit, aut è libris perceperit, aut prædicari millies audierit, profectò si, quæ hic præcipuè cartis consignamus, excurrat, re ipsa intelliget; rerum humanarum vicissitudinem non poterit non admirari, qui hanc viderit Abbatiam, vt ipse vidi, cum anno salutis 1606. Deo, qualescumque fuerint, meorum concionum quadragesimalium primitias hoc loco detuli, primum paulisper præsenti, ac deinde veteri conditione inspecta. Conticescat qui fatuus aliquando ita loquitur. Qui Monachi tantum obtinent, quod tantùm ditescunt. Recordetur illos hodie millessimam non tenere hæreditatis, quam progenitores reliquerunt; ex ea enim tot Episcopi, tot Præsides, tot Principes etiam, & populares suas opes ampliores fecerunt, in quos illud optimè confertur. Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introistis. Duas igitur tantùm tabulas, multis prætermissis, afferam, alterā quidem Gregorij IX. qua ea omnia, quibus olim fruebatur Abbatia nominatim recensentur, alteram verò qua annua vectigalia numerātur. Ne longiores cuiquam videantur; tales spero, nō putabit, qui similium studiorum imperitus non sit; id mihi proposito signo necessarium non ignoret. *Abbatiæ S. Mariæ de Farneto iura vniuersa.*

GREGORIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Iuliano Abbati sacri Monasterij S. Mariæ de Farneto Arret. Diæc. Capellano nostro, ac Sedis Apostolicæ eiusque successoribus &c. sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus &c. In quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis, & specialiter nominatim omnia bona, quæ fuerunt Comitis Griffonis, & Vrsi, &c.... videlicet tres insulas, insulam maiorem, insulam minorem, & insulam puluensem, cum omnibus Ecclesiis iuribus, & pertinentijs suis, medietatem Laci vsque ad Clanas versus ciuitatem Clusinam. Et quæ eid. suprascripto sancto Monasterio, & mēbris eius à fidelissimis Christianis concessa sunt, & quæ etiam per aliqua munimina ad præfatum Monasterium pertinere videntur magna securitate quietis debeas possidere, & etiam omnia bona, quæ fuerunt comitis Guineldi de Ronzano. videlicet Castrum Ronzani cum Ecclesia S. Blasii cum eius districtu à riuo Mucchiæ vsque ad Clanas, & villam Petreti. Castellaram Cereti, & villam Fraticulæ cum iuribus, & pertin. suis. Ecclesiam S. Christofori cum tota villa à riuo Mucchiæ vsque ad villam Capazzani, & quoque villam Capazzani. Ecclesiam S. Potentis cum tota villa Cretis cum omnibus iuribus, & pertin. suis. Castrum de Farneto cū eius districtu secundo Monasterio tit. S. Mariæ à præfatis Griffone, & Vrso fundatæ. Castrum Lucignani cum omnibus iuribus, & pertin. suis, & Ecclesiis Sanctorum Iusti, & Donati, & Smiraldi. Villam de Monte Claro cum molendino posito super Flumen in Feeme cum iuribus, & pert. suis. Curtem, quæ Paterno dicitur cum Ecclesia iur. & pert. eius. Castrum Fogiani cum Ecclesia S. Ceciliæ, Eccl. S. Petri de Cocciano cum eius villa Cocciani, medietatem blogli pro diuis. cum Eccle- *Amplissima Abbatiæ Farnetanæ iura.*

sia Aretij cum o. i. & p. s. Ecclesiam S. Bartholomæi cum tota eius villa de Curte. Castellaram Cingnani, & villam Burghi noui cum Eccl. S. Nicolai cum eius iuribus, & pertin. Villam Rotæ cum Ecclesia S. Martini, Castrum Fasciani cum Ecclesia Sancti Blasij cum i. & p. suis. Villam Ecclolarum, seu Castellarem cassatum cum portu cum o. iurib. & p. suis. Podiolum Vagliani cum tota eius villa, Castrũ Collicelli cum Ecclesia S. Angeli. Villam Petrignan. cũ Ecclesiis sanctorum Donati, & Anxaui Curtem, quæ casa maior dicitur cum Ecclesiis S. Laurentij, S. Fabiani, S. Bartholomei, & S. Eleucterij cum tota eius curte vsque ad pontem Clusinum. Villam S. Christophori cum Ecclesia iuribus, & pertin. suis. Curtem de Paciano. Ecclesiam S. Mariæ, Ecclesias Sanctorum Bartholomæi, & Christophori cum o. p. & iuribus suis. In ciuitate Perusina Ecclesiam S. Mariæ de Valle, Eccl. S. Andreæ super murum, Eccl. S. Nicolai de Parione, Monasterium Monialium Sancti Spiritus de Parione. In comitatu ipsius ciuit. Ecclesiam S. Michaelis de Cappellis cum o. p. & iur. suis Eccl. S. Herculani de Pileo, Ecclesias Sanctorum Laurentij, & Aegidij de Castro Fluminis. Ecclesiã S. Christophori de Montesperelli cum o. p. s. Ecclesiam S. Ioannis de Casa noua cum o. i. & p. suis Eccl. S. Stephani de Monte Ruffiano cum o. p. & i. s. Eccl. S. Donati de Mazano, Plebem S. Secundi de Insula Puluensi cum o, p, &, i, s. cum Ecclesiis sanctorum Angeli, Petri, Leonardi cum o, i, & p. s. In Insula maiori Ecclesias S. Saluatoris, & S. Angeli cum o. i. & p. s. Monasterium S. Arcangeli prope lacum in Villa Agiole cum toto Monte Flondorum cum o. i. & p. s. Tertiam partem Castri Passignani, & Plebem S. Mariæ de Passignano cum o. i. & p. eius. Castrum nouum cum o. i. & p. eius. Ecclesiam S. Bartholomæi de Sanguinario. Castrum Montis Gualandi cum Plebe S. Mariæ de Consinibus, Ecclesias Sanctorum Damiani, S. Agatæ, S. Luciæ, & S. Agatæ de Toro, & S. Iacobi de la Tribuna cum vineis, terris de petra grossa. Villam in Burghetto cum Ecclesia Sancti Martini de Vena. Castrum Clusinum cum Eccl. S. M. Magdalenæ. Villam Torcelli cum Ecclesia, & o. i. & p. suis. Eccl. S. Mariæ de Racondalla, Eccl. S. Mariæ de Ancharalla cum o. i. & p. suis. Monasterium S. Chrispoldi situm in plano Becton. cum Ecclesiis S. Saluatoris de Colle, S. Mariæ de Castano, S. Angeli, S. Marulli, S. Manni, S. Paterniani, S. Clementis, S. Martin. de Colle, S. Nicolai de Cassano, S. Donati de Castano, & S. Augustini de Multor. Assis. diœc. cum o. i. & p. eorum. In Ciuitate Castelli Eccl. S. Mariæ prope portam S. Andreæ cum Cura. Eccl. S. Mariæ O. Eccl. S. Michaelis Archangeli cum Cura. In Comitatu ipsius ciuit. Eccl. S. Andreæ de Vertula. Eccl. S. Mariæ de Pestrino, Monasterium S. Mariæ in podio cum ecclesiis, S. Iacobi, S. Ruffini, S. Andreæ de Cellis, cum, o. i. & p. eorũ Eccl. S. Mariæ de Bicune cum duobus tenimentis. Confirmamus etiam eidem Sancto Monasterio omnes terras, & possessiones, quas possidet in Clusina ciuitate, & eius territorium, & decimationem, quã eidem reconfirmauit Petrus Clusinus Ecclesiæ Episcopus videlicet, à Clanis sursũ vsque ad lacum contin. Insuper confirmamus, & corroboramus omnia bona, quæ præfatum Monasterium habet in Cortonensi ciuitate, videlicet domum, sitam in platea Abbatis secus plateam Communis, & totam stratam de Porta Betarda cum domibus ex vtraq; parte .... vsque ad fontem, quæ surgit in quatriuio dictæ terræ. Eccl. S. Mariæ extra portam de foris cum hospitali, & omnibus iuribus, & pertin.

Et

Et iura quæ habet præfatum Monasterium in Montalla, & in Montenarijs, & podium de Vallechio cum domibus, & molendinis, Eccl. S. Angeli in valle Moutanara cum o. i. & p. suis. Liceat vobis Abb. & success. &c. Confirmamus etiam in Vrbe Romana Monasterium S. Cornelij cum o. i. & p. s. Eccl. S. Mariæ Habundecum o. i. & . p. s. Eccl. S. Cæsarij cum o. i. & p. s. Eccl. S. Andreæ in strata cum o. i. & p. s. Monasterium S. Cosmati trans Tiberim cum o. i. & p. s. Eccl. S. Mariæ in Insula Pontis Venerij cum o. i. & p. s. &c. Et volumus quod nulla præscriptio possit opponi nisi quingentorum aunorum &c. Si quis autem &c. Datum &c. Pontif. anno XI. XVI. Cal. Ian. &c. Modò de annuis vectigalibus.

Liber censuum Ecclesiarum subiectarum Abbatiæ Farnet.

Monasteriũ, siue Abb. S. Chrispoldi de Betton Assisinat. diœc. debet soluere annuatim Monasterio S. Mariæ de Farneta diœc. Corton. in festo Assumpt. B. M. pro cẽsu, tanquã membrum manuale, & censuale, & fictuale dicti Monasterij de Farneta duas salmas puri olei sine malitia, & 26. resengas grani, & 20. salmas boni vini nomine censuset affictus. Itẽ debet soluere pro Eccl. S. Saluat. de Colle, pro Eccl. S. Mariæ de Costano, pro Eccl. S. Angeli de plano Bettone, pro Eccl. S. Marcelli, pro Eccl. S. Manno, pro eccl. S. Paterniani, pro eccl. S. Martini de colle, pro eccl. S. Nicolai de Gessano, pro eccl. S. Donati de Costano, pro eccl. S. Angeli de Moldiona Assis. diœc. et tanquam annualia censualia, et Fictualia dictæ Abbatiæ de Farneta, vt soluit Domino Ianuario Abbati Monasterij supradicti nomine supradictar. eccl. nomine census, et affictus 12. lib. ceræ. 47. resengas grani, et vnam salmam olei etc. *Quæ antiqua Farnet. Abb. vectigalia soluebantur.*

Monasterium S. Arcangeli prope lacum Perusinum debet soluere annuatim in festo Assump. B. M. &c. duas salmas boni, & puri olei sine malitia, & 10. salmas grani, & 30. salmas boni vin. vt tenetur ex antiqua consuetudine &c. Item soluit, & soluere debet pro Eccl. S. Secundi de insula Pulnensi 4. lib. ceræ, & 4. corbas gran. & tenetur soluere annuatim. Item soluit, & soluere debet pro Eccle. S. Petri seu S. Leonardi de dicta Insula 3. lib. ceræ nomine pensionis, & sex salmas gr. &c. Item soluit, & debet soluere pro eccl. S. Donati de Mangiano, & S. Stephani de Monte Ruffiano manualibus, & censualibus supradictæ Abbatiæ 4. paria caponum nomine census, & 10. star. gr. nomine affictus. eccl. S. Blasii de Ronzano pro censu florenos tres. Eccl. S. Iusti de Lucignano pro censu flor. tres. Eccl. S. Smiraldi de Lucignano pro censu vnum flor. Eccl. S. Ceciliæ de Foiano 10. star. gr. & duas salmas vin. Eccl. S. Petri de Cocciano pro censu sex star. gr. & tres libras ceræ. Eccl. S. Angeli de Cappellis dioc. Perus. vnam salmam olei, & 22. corbellas grani, & 7. salmas vin. Eccl. S. Martini de resta 4. st. gr. Eccl. S. Andreæ de Lucano 12. st. gr. & vnum par gallinarum. Eccl. S. Blasii Montecchi Visponis st. gr. 4. & duo paria caponum. Eccl. S. Paterniani de Riuo cauo Arret. diœc. vnam salmam olei, & 7. lib. ceræ, & 26. st. gr. & salmas 10. vin. Item pro Eccl. S. Georgij de Castilione Arretino vnam libram ceræ, & vnam salmam gr. Eccl. S. Bartholomæi de Curte st. 12. gr. & 3. libras ceræ Eccl. S. Nicolai de Cignano sex st. gr. & vnam libram ceræ. Ecclesia S. Blasi de Fasciano 22. st. gr. & par pullorum. Eccl. S. Martini de Rota 6. st. gr. & lib. vnam ceræ. Eccl. S. Angeli de Collicello 8. st. gr. & 11. lib. ceræ Ecclesia S. Sani, & S. Donati de Pertignano 4. lib. ceræ Ecclesia S. Laurentij de casa maiori st. 10. gr. & lib. 2. ceræ. Ecclesia S. Fabiani de ca-

sa maiori 6. fl. gr. & vnam lib. ceræ. Eccl. S. Bartholomæi de casa maiori 6. fl. gr. & lib. 2. ceræ. Eccl. S. Eleutherij de casa maiori 6. fl. gr. & vnam lib. ceræ. Eccl. siue Abbatia Sancti Christophori in Clusio 3. corbas gr. & duas lib. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Paciano lib. tres ceræ. Eccl. S. Bartholomæi de Paciano 10. fl. gr. & vnam libram ceræ. Ecclesia S. Christophori de Paciano lib. vnam ceræ. Eccl. S. M. Magd. prope portam castri Clusini duas corbas gr. & 3. lib. ceræ. In Ciuit. Perusina Eccl. S. Mariæ de valle lib. 8. ceræ, & tres salmas gr. & 7. salmas vini. Ecclesia S. Andreæ super murum 2. lib. ceræ. Eccl. S. Nicolai de Parione vnam corbam graui, & 1. lib. ceræ. Monasteriũ....18. fl. frumenti, & 1. lib. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Cappellis 44. fl. gr. & 7. salmas vini, & 1. salmam olei. Eccl. S. Herculani de Pillo. 2. lib. ceræ. Eccl. Sanctorum Laurẽtij, & Aegidij de castro Fluminis 2. corb. gr. & 1. lib. ceræ. Eccl. S. Christophori de monte Sperelli 2. lib. ceræ. Eccl. S. Ioannis de casa noua vnam corb. gr. & 1. lib. ceræ. Ecclesia S. Stephani de monte Ruffiano, & S. Donati de Mangiano 10. fl. gr. & 4. paria caponum. Plebs S. Secundi de Insula puluense, 4. corb. gr. & 4. lib. ceræ. Eccl. S. Angeli, S. Petri, & S. Leonardi de dicta Insula 36. fl. gr. & 3. lib. ceræ. Eccl. S. Saluatoris de Insula maiori, 6. fl. gr. & 1. lib. ceræ, Eccl. S. Angeli de dicta villa Insula, fl. 10. gr. & lib. 2. ceræ, Plebs. S. Mariæ de Passignano 12. fl. gr. & 6. lib. ceræ, Eccl. S. Damiani de la Bastia 6. fl. gr. & vnam lib. ceræ. Eccl. S. Agathæ, 4. fl. gr. & 1. lib. ceræ. Eccl. S. Luciæ 2. fl. gr. & 1. lib. ceræ. Eccl. S. Iacobi de la Tribuna 1. lib. ceræ, & 2. fl. gr. Eccl. S. Martini de Vena Abbatia nuncupata prope lacũ 24. fl. gr. & 6. lib. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Racondalla, 6. fl. gr. & 1. lib. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Recarella 6. fl. gr. & 2. lib. ceræ, Monasterium S. Mariæ in Podio, vel de Vingone 25. fl. gr. & 3. lib. ceræ. Pro Ecclesia S. Iacobi, pro Eccl. S. Ruffini, pro Eccl. S. Andreæ de Cellis fl. 20. gr. & 4. lib. ceræ pro Eccl. S. Andreæ de vetula fl. 20. gr. et 3. lib. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Pestrino fl. 12. gr. et lib. 10. ceræ, Ecclesia S. Stephani fl. 6. gr. & lib. 2. ceræ. Eccl. S. Mariæ de Vicue 10. fl. gr. & 6. lib. ceræ. In Ciuitate Castelli. Eccl. S. Mariæ prope portam S. Andreæ 6. lib. ceræ, Ecclesia S. Mariæ O uel rotundæ 3. lib. ceræ. Eccl. S. Michaelis Arcang. cum cura 6. fl. gr. & 3. lib. ceræ, Eccl. S. Angeli.... S. Christophori de B azzano 1. lib. ceræ, & vnum par caponum. In Cortona, Hospitale portæ S. Mariæ prope portam 4. fl. gr. Eccl. S. Mariæ Magd. 6. lib. ceræ. In Vrbe Romana Eccl. S. Mariæ, & Abundę flor. 4. auri. Ecclesia S. Cesarij flor. 4. auri. Eccl. S. Andreæ in strada flor. 5. auri, Monasterium S. Cornelij flor. 6. auri, Monasterium S. Cosmatis in Transtib. flor. 6. auri, Ecclesia S. Mariæ in Insula pontis Venerij flor. 2. auri.

ATtamen de tot vicis, & castris, facultatibus, & iurisdictionibus nihil dicam, sed de sacris tot ædibus nihil hodie tenet Abbatia, neque ex quo in nostram venit potestatem, tenuit, quàm paucas nõnullas possessiones, & templum S. Martini, (alibi S. Mariæ præsertim anno Redemptoris 1406.) quod Abbatiam de Vena vocitant in ripa Lacus Perusini cum prædijs adiacentibus. Eò maiorem capio admirationem, quòd Franciscum Abbatem ab anno Orbis Christiani 1416. ad annum 1430. & fortasse vlterius in maiorem partem sacrarum ædium, quæ cõmemo-

ratæ

ratæ ſunt,quod per mille tabulas in exploratis eſt, iure ſuo defunctũ inuenio. Equidẽ obſtupeſco,nec qui capiam ſcio,quo nam pacto adeò breuiore temporis interuallo hæc Abbatia,cum cauſæ nihil afferri poſſit,tã multis locis expoliata ſit. Vt par ſit in hac narratione principio finis additum volo anno Saluatoris 1533. prid. non. Octobris (Clemente VII. cum decem Cardinalibus ex Vrbe veniẽtem ſacram illam imaginem veneraturũ deſcendiſſe,ac proficiſcẽtem Oliuetanorum impulſu conceſſiſſe, vt perpetuò omnes illi, qui qua decet mẽtis integritate die Lunæ Domini reſurgentis celebritatem conſequente, & Aſſumptæ Virginis feſta luce inuiſerent culpis omnibus eximerentur. Inter cætera argentea. Deiparæ oblata donaria Lychnum oſtentant trecentorum ſcutorum pretio ſtantem,quam Carolus V. Imperator obtulit,qui anno ſalutis 1525. præſens hic adfuit miraculis claram Imaginẽ adoraturus. Abbates duos Generales hoc Monaſterium protulit F. Angelum, quo de ſupra meminimus,& D. Benedictum Finarienſem anno 1548. qui etiam anno 1541. Vicariatum generalem adminiſtrauit.

Clement. VII. Virginem Finarieſem inuiſit.

Carolus V. Lychnũ donat argẽteũ magno pretio.

De Monaſterio Gaiſſano. XXXIV.



ANno à Chriſto nato 1480. Vrbinatum Epiſcopus, vt gratificetur Frederico Duci id maximè exoptanti, Vrbemque ipſam cohoneſtet, Oliuetanæ Congregationi Canonicorum Collegio annuente, appoſuit, donoque dedit ædem animarum curandarum onere ſolutam,aut Hoſpitium S. Lazari extra Vrbinum ut ibi eiuſdem Ordinis Cœnobium erigatur, extruatur. Sunt autem tenuiores, quibus opus perficiatur prouentus, Epiſcopus,& Dux Sixtum IV. obſecrant,vt ſi quãdo Abbas S. Angeli de Gaiffa in agro Vrbinate, & finibus Pagini Metauro impoſiti, uel ex uoluntate, uel ex interitu cedat Abbatia, Cœnobio ad S. Lazari ædificando, ad præbenda Monachis ibidem agentibus alimenta perpetuò adiungat. Pontifex, & Oliuetanus iam S. Lazaro donatos confirmauit,& Monaſterio Abbatiam adiecit. A Monte Oliueto mittuntur F. Bartholomęus Florentinus,& F. Bartholomeus Mantuanus Priores ambo,& Viſitatores,& F. Ioannes Ferrarienſis, qui Priorem agebat Eugubij, Syndici ac Procuratores, utriuſque loci poſſeſſionem adituri, paulo poſt ſcriptas à Pontifice literas Abbate, cuius nomen Bartholomęus, fato concedente. Ea quidem per antiqua, latiſſimè olim dominata eſt. Curialem tenet Eccleſiam S. Mariæ de Marmoreto in Plano Lentaſij, & Calliana Diœceſi. Delatam ſæpius inuenio quam pluribus à Conuentu Abbatiæ annis Domini 1287. 1298. 1390. 1305. 1308. Aediculam,ſiue Oratorium S. Annæ dedicatũ in uico Campolino,quò interdũ Monachi Religione adducti obeunt myſteria ſacroſancta, auctor eſt Annus Chriſti 1411. Monaſterio adſcriptum. Penes hoc fuit uectigalia,& portoria ad Caſam Mazij, hodie Caſalmatiiſ exigendi

Epiſcopis Vrbini ũgit Oliuetanis Hoſpitium S. Lazari,vt Monaſterium edificent.

Sixtus IV. S. Angelũ de Gaiffa adſcribit.

Aedes quas tenebat Abbatia.

Ius exigendi vectig.

gendi potestas,& auctoritas,literis Ducalibus compertum est annis à salute parta 1328.1478. 1489. & iudicio anno 1370. à Petro Auximatum Episcopo lato in gratiam Monasterij, hoc est ut Abbas curare posset exigendum *pedagium ex quibuscumque Forensibus transeuntibus cum eorum mercantijs, & rebus recta via in triuio S. Mariæ Montis Mori*, quæ ædes à Monasterio nunc quoque possidetur. Vectigal autem eiusmodi. In quaruncunque mercium mularem sarcinam, denarij septem. Asinariam quatuor. Salis vero, seu mularem, seu asinariam vnus pendebatur, Vrbinatibus dumtaxat immunitate donatis. Sed annis amplius viginti, iam inde cum Oliuetani in Abbatiam illati sunt exactione intermissa, quod viatores, quò minùs soluerent, aliá pertransirent, Patres Guidoubaldo Duci supplicem libellum deferunt, vt cum solenne vectigal exigere non possint, & pontem curare debeant licet id quidem vulgus iactet, contendatque quòd, à nostra prætereuntibus aliquid exigendi facultate perspecta, nobis pontem simul curandum existimet, prohibeat, ne quis vllum Monachis quauis ratione de Pontis curatione onus imponat, rationibus nihil constantibus, cum priuilegio non fruantur. Libellus, quem ipse vidi, nec signatus, nec subscriptus. Equidem censeo sic Monachis ius exigendi, alijs verò tuendi pontis rogationem cecidisse. Habet vtique Cœnobium ab eodem Duce priuilegium in Metauro liberè expiscandi, quò nullus cæteris aditus esset Duce ipso, vel Abbate, vel Proabbate nequaquam permittente, supra nimirum, & infra quingentos passus. Anno à salute parta 1488. tribuitur, aliorumque Ducum confirmatio patet anno redēptionis 1506. prid. Id. Ian. & 1565. XIII. cal. Sept. in Forosēpronij. Sunt de hac Abbatia literæ Paschalis II. ann. 4. quæ mihi post prædicta obuiæ fuerunt. Sunt autem eiusmodi.

Expiscandi in Metauro a Duce Priuilegium.

Paschalis II. summi Pontif. litera pro Monast.

PAschalis Episcopus &c. ad perp. rei memoriam. Dilectis filijs Petro Abbati venerabilis Monasterij S. Angeli, quod dicitur Gaifa, & Conuentui ipsius &c. Plebemque de Arborsominia curtis Castri Pilij cum per. in. suis, & Castellum de monte primicerio cum pert. suis. Sextam partem Castelli de Monte S. Marini, medietatem Castelli Tortorij, Insulam de Anteraria cum Curte sua, Castellum.... de ponte Mauro cum pert. suis, Castellum de Monticello. Castellum de rotis, Castellum de Bazzano, & vniuersa, quæ ad dictum vestrum Monasterium S. Angeli spectant in comitatu Vrbinensi, Castellano, Calliensi, Forosinfroniensi, siue Pisauriensi, si...... consistentia possidetis &c. confirmamus &c. Dat. Romæ per manum &c. anno M C X. Pontif. autem Domini Paschalis Papæ II. anno XI.

COpiosius tamen Eugenius III. cuius diploma afferamus necesse est.

Eugenij III.

EVgenius Episcopus seruus seru. Dei. Dilectis filijs Vgoni Abbati Monasterij S. Angeli in valle Gaifæ siti, eiusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quoniam sine vera cultu religionis,

gionis, nec charitatis vnitas potest subsistere, nec Deo gratum exhiberi seruitium, expedit Apostolicæ auctoritati religiosas personas diligere, & earum operi, auxiliante Deo, prouidere..... dilecti in Domino filij, fœlicis record. Paschalis Papa II. prædecessoris nostri vestigijs inhærentes vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & præfatum S. Angeli Monasterium, in quo diuino mancipati estis obsequio sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, ac literas huiusmodi prædecessoris nostri præfati, & omnia contenta in eis, quas de verbo ad verbum præsentibus literis volumus pro sufficienter insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & illa de nouo etiam concedimus per præsentes. Statuentes, vt quascunque possessiones, quæcunque bona in præsentiarum iuste & canonicè possidetis, aut in futurū concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitate Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci firma vobis, vestrisq. successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. In Comitatu Vrbinensi. Plebem de Ambarsominia (vel, Arborsominia) cum pert suis. Eccl. S. Arcangeli, quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Barbaræ, Ecclesiam S. Laurentij in..... Eccl. S. Ia..... Ecclesiam S. Mariæ in Colle longo cum curte sua, Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Donnini, Ecclesiam S. Mariæ in Murciola, Ecclesiam S. Mustiæ, Ecclesiam S. Ioannis in Monte Assichieto, Ecclesiam S. Christophori, Ecclesiā S. Leonis cum curte sua, Ecclesiam S. Angeli, Eccl. S. Laurentij. Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Mariæ de Valledassi; Ecclesiam S. Pauli in valle planco, Ius quod habetis in Ecclesia S. Mariæ in Monsione, Ecclesiam S. Sebastiani cum curte sua, Ecclesiam S. Petri in Spongia, Quicquid iuris habetis in Ecclesijs S. Barbaræ, S. Euphemiæ, & S. Mariæ in Tortoio, Ecclesiam S. Andreæ cum curte sua, Ecclesia S. Christophori in Tesana, Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Martini in Canforo, Ecclesia S. Petri de Massa, & quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Marini, Ecclesiā S. Mariæ in Pomonte, quicquid iuris habetis in Ecclesijs S. Ambrosii, & S. Crucis, Ecclesiā S. Christophori, Ecclesiā S. Laurentij in Meleto, Ecclesiam S. Quirici, Ecclesiam S. Mariæ in Ponte moro cum curte sua, Castrum Rotæ cum curte sua. Castrum montis Ranerij cum curte sua, Medietatem Castri Tortorij cum curte sua. Castrum Vgonis corbi cum curte sua, quicquid iuris habetis in Castro lagis, Castrum montis Primocerij cum curte sua, Tertiam partem Castri Plance cum pert. suis, partem Castri Montis Rosoli cum curte sua, Quartam partem Castri Insulæ cum curte sua. Medietatem Castri Monticelli, In comitatu Forosempronij. Ecclesiam S. Christoph. in Monteblando, Ecclesiam S. Patrignani, In comitatu Pisauriensi, quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Susannæ in Balzano & curte sua, & in ipsa ciuitate domos, & hortos extra, & in suburbio vineam vnam cum alijs tenimentis, quæ ibidem habetis. In Fanensi Ciuit. domos, & hortos, quos ibidem habetis, In Comitatu Calliensi Castrum Fontis sicca cum curte sua. In Massa quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Andreæ in valle de Casa, & pensiones, quæ ibi debentur Ecclesiæ vestræ, Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Petri in Graticello, In comitatu Castellano Ecclesia S. Mariæ in Forcadunto cum pensionibus, quæ ibidem Ecclesiæ vestræ debentur decimas, oblationes, & mortuaria, & quæ hactenus ad Monasterium vestrum rationabiliter, & quietè

per-

pertinuisse noscuntur. Decernimus igitur, vt nulli hominum liceat præfatum locum temerè perturbare, & possessiones auferre &c. Ego Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscr. Signum Papæ. Ego &c. Duodecim Card. Datum Viterbi per manum Baronis S.R.E. Diac. Card. 4. Cal. Nou. Ind. 10. Anno. Dominicæ Incarn. MCXLVI. Pontific. verò Domini Eug. Papæ III. anno secundo.

De Monasterio Thrasymenio. XXXV.



E Multis, quibus plena manu rerum Natura parens celeberrimum Thrasymenum, siue Perusinum Lacum ad ornandum, nec minus quocunque alio in Italiæ finibus scaturiente nobilitandum impertita est, tres habentur insulæ iucundissimam medijs in vndis speciem exhibentes. Ex his, quam Puluensem appellant, qua plurimum recedit, S. Secundi Cœnobio honestatur. De origine, de auctore nihil assequor. De eo legimus Plebis nomine in quodam Gregorij IX. diplomate anno à Christo in lucem edito 1239. quo ad Farnetanam Abbatiam cum SS. Angeli, Petri, & Leonardi eiusdem Insulę pertinuit. Illa eius imperium testatur annuis quatuor tritici, cereoq. quadrilibri, hæ vero sex & triginta starijs frumenti, & cereo trilibri. Cum annus ageretur à Dominicis natalibus 1404. Bonifacio IX. adstipulante cum æde Perusina S. Magdalenæ sacra, quod suo loco demonstratum est, Montmorcinio adiungitur. Eiusdem Pontificis beneficio impetratum est, vt, quoniam Cœnobium S. Secundi ab insularibus, quibus est Paræcia, quingentos circiter passus disiungitur, leuiori eorum incommodo in Aedicula S. Mariæ popularium domicilijs proxima, & sacra administrentur, & diuina officia celebrentur. Anno 1420. labente à Martino Quinto Perusino Monasterio eadem in Insula, Aedes, cui nulla sacrorum procuratio incubuit, Sancti Leonardi attribuitur, dato Perusino Præsidi negocio, vt expressa S. Archangeli (Aedes est Thrasymeno imminens) vnde & illa pendebat Abbatis voluntate, omnia (quod celeriter præstitit) exequeretur. Ad annum vsq. eiusdem sæculi alterum & octuagesimũ Plebs, siue, quod alibi Archipresbyteratus S. Secundi, Montmorciniensis membri nomine gubernata est, cum, vtris antea nescio, Oliuetanis ne an Insularibus Monastici Conuentus instituendi in mentem venit, cuius penes Priorem imperium sit. Illud re vera certissimũ eodẽ anno 18. Cal. Maias Cõmune Insulæ Monachis, qui essent in S. Secundo adscripti Torum pollicẽtur in lembos singulos piscatum in Thrasymeno exercentes, ita tamen, vt à summo Oliuetanorum præfecto eo ipso anno idoneus S. Secundo Sodalium numerus præscriberetur, & data centum florenorum fide (quo autem nomine haud scio) Insularium res publica liberaretur. Eodem igitur anno in Monasterij, seu Prioratus formam Romana potestate redigitur Calendis Iunijs, quo die Martyris patroni Nata-


Monasteriũ Thrasymenum, olim Plebs & mẽbrũ S. Mariæ de Farneto. Montmorcinio traditur cum templo S. Marię Magdalenæ.

Monasterium instituitur.

Natalicia recoluntur F. Nicolaus Volaterranus Visitator, eiusq. Cœnobij Generalis imperio Prior renunciatus possessionem init. Ab Alexandro VI. anno Domini 1495. multis plerumque agrarijs in Clusino Aediculis, Blasij (quę ex tabulis coniectura ducitur) Bistocchini Pasinianēsis Rectoris impulsu, S. Angeli, S. Christophori, S. Ansani, S. Mariæ Nouellæ de Petriniano, S. Martini, quam Plebem appellant, & S. Mariæ in Gilione ad Puteolum, augetur. Aediculam S. Martini euersam referunt. In Puluensi Monasterio S. Secundi, quod ex reliquo brachio auulsum putant, grandius ossis frustum veneramur. De eo, quod inter Sanctorum Cęlitum nemo vsquam meminerit, cum & eximius ille Christianæ Reipublicæ Chronographus Cęsar Cardinalis Baronius in Martyrum Catalogo ad Tabulas Amerinas, vbi pro Deo ad necem vsque grauissima pertulit supplicia, se conferat, aliquid scribendum existimaui. Ego igitur, religiosissimus quippe Martyris Cultor, prælongo studio clarissima eius gesta perscrutatus ex pluribus tandem fidelibus quidem, sed pugnantibus nonnihil inter se codicibus, quæ breuiter commemorantur, excepi. Secundus honestissimus loco natus est, & Aureliani (falsò quidem nonnullis, Maximiliani) Imperatoris genere. Diocletiano in Catholicos debacchante, trepidus Spoleti apud illustrem fœminam Eudoxiam aliquandiu delituit, sed sibi ipse animos faciens proripuit Christianam publicè professus Religionem, Dionysius, qui vel Præfectum in ea Ciuitate, vel Proconsulem agebat, in vincula abreptum blanditijs primùm, deinde cruciamentis, vt Herculem veneraretur, nequicquam attentatū iuuenem nihil propterea de salutari proposito remittentem, oppida, locaque adiacentia, vt Christi fidelibus indigenis timorem inijceret, ad spectaculum circumduxit, inque Amerino demum iussit mola è collo suspensa in Tiberim præcipitari. Idque plane factum est, anno à salute parta trecentesimo 5. Cal. Iunijs. Corpus à piscatore Mauro inuentum arboreo tumulo datum est. Pia tamen Eudoxia (Amerina aliquando legitur) ea de re certior facta condidit honorificentiùs. Ameriam iterum translatum putant, & inde Eugubium; Ibi in templo ad eius honorem composito, quod Canonici Regulares S. Saluatoris moderantur, hucusque requiescit. In Æde primaria notatum est, allato eorumdem Canonicorum Historiæ testimonio, ad Eugubinos transmissum anno à restituta salute 1343. opera Eudoxiæ. Id quod sustinere non possumus, ni dixerint millenariam. Quin demum antedicti Martyris Reliquiæ ad insulam Puluensem delatæ sint, nusquam occurrit.

Alex. VI. multis ædiculis exornat, & auget.

S. Secundi martyris vita breuior.



De Monasterio Dȩsertano. XXXVI.

Nicolaus Salandius donat Cœnobio deserrano Olivetanos.



Nnus est vltra centesimum quinquagesimus, cum Nicolao Salandio S. Ioannis in Deserto intra fines Cremonensium, cuius non vulgaris fuit aduersus Oliuetanos beneuolentia, in mentem venit Abbatiæ ad nos transferendæ cum Monasterio S.Mauritij eidem adnexo, vtriusque censu centum septuaginta florenos aureos eosque camerarios conferente. Anno igitur à restituta salute 1476. ita conuentum est, vt nostra esset Abbatia, Abbas tamen Nicolaus, dum vita contingeret, pensionis loco singulis quibusque annis florenos centum, frumenti stadia sex & quinquaginta, totidem vini, songania, vt loquuntur, lignorum sex pro regionis dimensione acciperet, Abbatis nomen ac titulum retineret, & potestate, vt sacrificia, aliaque diuina ministeria habitu Pontificio, vti priusquàm concesserit, operaretur. Omnia probauit Sixtus IV. tertio idus Decembres, & anno qui proximè consecutus est, summus noster Antistes primùm Priorem F.Vincentium Mediolanensem, Vicarium F. Antonium Ripanum absque familia delegauit. Propterea ad nos etiam venit hoc tempore Curialis Ecclesia S.Martini de Leuata Monasterio S.Ioannis proxima, quam ante hac, hoc est anno Domini 1454. Nicolaus V. adiunxit, cum ex prouentuum, qua laborabat, inopia, nullus, qui præsidere vellet Sacerdos existeret, ac ferè Curiales omnes circa Monasterium incolerent, idque Cremonensis Episcopus postularet. Accessit autem ex Innoc.VIII. anno à Virginis partu 1487. 12.cal.Febr. Io. Antonij Episcopi Alexandrini ea tempestate Commendatarij, quod supra fidem non est, contentione, & studio, Præpositura siue Plebs, cui cura animarum innititur, S.Marię de Monticulis in Cremonensi. Habuerunt olim, siue paulo ante quàm nostri iuris fuit hoc Monasterium Virgines Benedictinæ.

Sacerdotia duo possidentur.

Spectauit olim ad Virgines Benedictinas.

De Monasterio Tarentino. XXXVII.

Ioannes Card. Aragonēsis Cœnobiū Tarētinū donat Oliuetanis.



Vllum sanè præter Montoliuetense Neapolitanum in Regno Cœnobium adierant Oliuetani cum anno à Christiana salute 1482. Ioannes Cardinalis Aragonensis, qui Tarentinis imperabat Archiepiscopus Ædem extra Oppidum (S. Mariæ de Iustitia nomen erat) perhumaniter tradidit. Tenebamus quidem antea, & tenemus Tarenti antiquissimam Cœnobio Romano portionem S.Mariæ de Portu, Monasterium tamen nunquam institutum. Locus pro censuum exiguitate ad Monasticæ disciplinæ conuenientem Sociorum numerum sustinendum non idoneus. Cum prędijs autem locabatur sacerdotibus nonnullis pretio quodam (anno 1423.

tribus

tribus ac triginta aureis comperio) Romanis persoluendo. Cum ædes S. Mariæ de Iustitia, in quam summa Tarentinis religio non admodum duo millia passuum ab Oppido distaret, Archiepiscopum, ex cuius principe templo dependebat, enixè precantur Oliuetanorum coloniam inferat, angustijs & inopiæ, quas ciues non pauci erogare cogitauerant opibus prospecturos, vt commodiùs ibi agere possint. Præses non comprehensam ratus *sub sacramento de non alienando Romano Pontifice inconsulto ea, quæ sunt res modicæ, seu modicæ vtilitatis*, cum redditus non esset in annum supra vndecim Tarinos, ac dimidium, Canonicis non discrepantibus in perpetuum à Collegio sciunxit, & apposuit Congregationi, Eo præscripto, vt fructus, ac prouentus S. Mariæ de portu Monachis in nouum Cœnobium transcribendis præberentur. Acceptant nostri, Prioremque mittunt à Monte Oliueto, & Monachos, qui pro opibus necessaria sibi domicilia continuò moliuntur. Haud diu tamen cum egestate laborantes, Superum consilio subleuantur. Anno post Virginis partum 1485. Pyrrhus de Baltio Princeps Altamuræ religione in Deiparā singulari peregregius aureos centum annuos perpetuò soluendos reliquit, ex oleribus, locationibus, pabulationibus & quouis iure, quod ad eum pertineret, ex agro in eam rem designato in Oppido, quod habebat, Montescalioso percipiendos. Tertium post annum Rex Ferdinandus eo nomine primus efflagitante Alphonso Aragonensi Calabriæ Duce filio eisdem fortunas attribuit Ioannæ Comitis S. Seuerini transfugio quodam publicatas in Monte Albano positos apud Lucanos, *Molendinū macinans curiæ situm, & positum super flumen Atri cum rationibus, iurisdictionibus, &c. Domum vnam sitam in platea ipsius Terræ iuxta vias publicas à duabus partibus, & in conspectu Matris Ecclesiæ, & alios fines. Vineas duas sitas in dicta Terra, & ipsius territorio, &c. nec non omnes alias terras seminatiuas, & nemorosas vnà cum decimis, quæ sunt in territorio Montis Albani exceptis defensis, quas præfatus Illustrissimus Dux sibi reseruauit, &c.* Gaudet præterea Monasterium in his, quæ pertinent ad S. Mariæ de Portu priuilegio, quod hic commemoretur, non indigno, vt nimirum habere possit *Barcam vnam duorum Piscatorum in Mari paruo, & magno libere, & sine aliqua datione habendam videlicet pro sustentatione Abbatis, & fratrum eiusdem Monasterij* (hoc est S. Mariæ de portu) *duos piscatores ipsius barcæ, sine aliqua tertia, quæ de consuetudine Curiæ nostræ deberetur, vel quolibet alio iure in prædicto Mari paruo, & magno possint piscare, nec Baiuli, & Cripariј nostri Tarenti tertiam ipsam, vel ius aliquod à piscatoribus ipsius barcæ pro piscatione qualibet &c. vllo tempore capere, vel exigere debeant vel præsumant.* inquit Gulielmus Rex Siciliæ, Dux Apuliæ, & Princeps Capuæ cum Sibilia Regina Matre id tribuens Panormi anno Christi 1194. Ratum habuit an. 1485. Fridericus Aragonensis Princeps Tarentinus apposita præfectis refragrantibus centum aureorum mulcta, & postero anno euulgauit, cum in expiscando duobus retia tractanda sint, alijsque agenda, & gubernanda nauis, cum nauigio prẹter binos piscatores etiam gubernatorem permit-

Pyrrhus de Baltio Princeps Altamuræ incepes iuuat Oliuetanos Tarentinos.

Priuilegia Monasterij Tarentini.

ti. In eodem peranguſto mari obtinentur duæ Piſcariæ,(ita vocant)ſpatia nimirum, & loca,quibus omnes piſcatione interdicuntur præter eos, qui cum imperio habent, quique condixerint emolumento non mediocri. Vna quidem ſub turri, altera verò S.Laurentij. Prior fuit olim Iacobetti cuiuſdam Gallipolitani, quo de miſcendo veneno, deque nece Ioanni Antonio Baltio Principi Tarentino inferenda comperto,& damnato, locus piſcatorius ex legumlatoribus publicatur,à Principe paulo poſt anno ſalutis 1462. Iacobo Iunctæ Tarentino Regis Ferdinandi primi conſiliorum participi aureis quingentis venditur, Iacobus Monaſterio adſcribit. De poſteriore, cum ad eumdem Regem Ferdinandum pertineret, eique argento militibus diuidundo opus eſſet, ne quid grauius ſubditis imponeret anno ſal. 1465.centum aureis eidem Iacobo venijt, à quo muneris loco Monaſterium aliquando excepit. Pagi, vel feuda, quæ Acettam,& S.Paulum nominant (ambitus octo millia paſſuum complectitur; reddunt autem quadringentos,plus minuſve tritici tumulos in ſingulos annos) ſub idem tempus in omnem ætatem Monaſterio à ſacris Deo virginibus, quæ ſub S.Ioannis Tarenti ſtipendia faciunt, elocantur. Hodie nullo negocio poſſidentur. Anno 1570. excitata de iniqua poſt annum quinquageſimum locatione controuerſia; ſtat pro Oliuetanis. Pendet hinc Ædes S.Mariæ de Petra Vigiani in Marſicano cum latifundio trecentis nimirum terræ tumuſis. Aloyſius Campanus dimittit, & anno reſtitutæ ſalutis 1504. Iulius II. Monaſterium adiungit. S. Antonij de Platea cum à priſcis temporibus ad S.Mariæ de portu ſpectauerit noſtra eſt, adhuc retinemus. Si quis autem appellationis originem ſcire cupiat S.Mariæ de Iuſtitia, illud habeat huius nominis antiquiſſimum extare monumentum in Tabulario. Integrum deſcribo, vt ſuam vnuſquiſque pro ſententia addat, dematque fidem.

Feuda duo Sodalibus Tarētinis.

Tēpla duo Monaſterio Tarēt. adſcripta.

S. Mariæ de Iuſtitia vnde ita nūcupetur

Regnante Iacobo Baucio filio quondam Tandolfi glorioſi Principis Tarenti Anno Incarn. Domini noſtri Ieſu Chriſti Nongenteſimo quinto. Extra menia prædictæ ciuitatis locus, qui vocabatur Hyrundinum, & prope erat quædam Cappella vetuſta cum imagine deuotiſſima depicta ſub titulo S. Mariæ de mari aduocata, & patrona Tarentinorum ciuium, & nautarum, & in gubernatione dictæ Cappellæ erat quidam Eremita bonæ vitæ de Tarento F. Cataldus Ferlicius nonagenarius, & in Eremo ſeptuagenarius, qui non diſcedebat de dicta Cappella, nec die nec nocte, ſed viuebat cum parciſſimo cibo, & multi Ciues quotidie fauebāt ei eleemoſyn's, & ſuperflua ipſe pauperibus erogabat. Accidit quadam die, vt Princeps noſter, & Dominus ad venandum exiret, & vidit dictam Cappellam, & ipſum Eremitam accerſiuit, qui poſt multa colloquia, & vitæ erudimenta redijt domum, & quotidie ipſe Dominus miniſtrabat ei omnia, quæ opus habebat per mancipium ſuum Samuelem. Eremita autem erudiebat eum, vt ſe Chriſtianum fieret, (vel faceret) qui noluit. Quadam poſt meridiem Sabbathi Martij ex more venit Samuel, & fatigatus ex itinere occidit Eremitam baculo, qui volens foras egredere non potuit, cum ſerò eſſet ibi remanſit, & pluuiæ ſtatim eruperūt

per tres dies. Dominus eius cogitabat se fugam arripuisse, nec poterat mittere aliquem ob pluuiam. In die tertio exiit, & venit ad Eremitam, & videns illum mortuum expauit; Videns autem Samuelem dixit. Bestia quare non redijsti? respondit, non potui, sed rogo te Dominum, vt salues animam meam, quia peccaui, & Dominus iussit eum foras extrahere, & baptizari & suspendit eum in eodem loco. Omnis Ciuitas commota est, & venit ad locum cum lacrymis vocantes eam Mariam Iustitiæ, & sepelierunt ambos in eodem loco. Ego Donnus Iacobus Baucio Clericus scripsi rogans meos ciues, vt ipsam Matrem Dei per patronam teneant, sicut antea, vt Ciuitatem nostram Tarentinam semper saluet, & muniat, & gladium, & hostem conterat. Anno millesimo centesimo nonagesimo quarto. Regnante W inclito rege, & Sibilia eius Matre. Amen.

Huius quidé narrationis exéplar à Sodale nostro ferè octuagenario perspectũ aliquando penitus corrosũ, ac temporis iniuria excesum audiui. Quicquid sit; ita tradunt Tarentinæ regionis populares, atque adeo oleam ostendunt, vnde suspensum affirmant captiuum. Tarentinis etiam maximæ est venerationi S. Mariæ de portu. Vulgò testantur nõ pauci sæpius, ac pręsertim annum ante decimum octauũ vitreũ Lychnũ aræ prælucentem tribus, seu pluribus cubitis sublime pendentem in solũ decidisse fracturæ nihil passum. Vir sanè longæuus nomine Matthęus ædis custos, & hodie è cœlo spiritum ducens asserit, alijque sexcẽti fidẽ faciunt pedum dolore mutilatum, vt vix aliqua motio permitteretur sanitatem à Deipara suppliciter deprecatum superioribus annis conualuisse. Virginis effigies in tabula depicta est, mea quidem sentẽtia Romanæ, quam in S. Mariæ Nouæ veneramur S. Lucæ opus publicè famosum, persimilis. Reliquum est, vt posteris demandem, hoc Monasterium ab Vrbe, & colonis plurimum distans ad mare positum Turcicis impressionibus fuisse nõ semel obnoxium, & anno potissimùm partæ salutis 1520. direptum; Imperator idcirco Carolus V. re cognita literas ad Prouinciarũ Hidrunti, Barijque Rectores, & Auditores Bruxellis dedit, sibi exploratum esse in templo Monasterij Virgineum Icona repositum ex innumeris beneficijs miraculisque accolis percelebrem, & pyraticis incursionibus ad summam inopiam redactum, curent propterea, ex aduentitijs regijs prouentibus aliquid attribui, contra prædonum impetum, incursumque in aliud tempus præmuniri, Præsidem, & Ducem Tarenti cum optimatibus ad Monasterium concessisse, situm, locique naturam contemplatos quemadmodum in Arcis modum firmari posset constituisse ambulatione aureis circiter septingentis circumducta. Opinor, censeo nihil factum, aliquid tamen institutum, vt quæ apparent, parietinæ loquuntur. Scio equidem si modo decreta stetissent, non tantas Cœnobium, quas præteritis annis perpessum est à Mahumetanis, calamitates accepturum. Etenim cum anno Christi 1594. postridie id. Septembres summus ille Dux Cicadius cum vniuersa Classe sese ex templo Tarentinis ostendisset terrori magis quàm maleficio, excenderunt nõnulli, qua

Miracula nonnulla ad Deipar. imaginem S. Mariæ de portu.

Carolus V. vt hoc Monasterium nihil patiatur à Turcis imperat munimenta Rectoribus Prouinciarum.

Cicadius Dux Piratarũ Monasterium depopulatur.

Oliuetanis sedes est,eoque irruperunt. In lapides, in parietes in sacras Imagines,in eam præcipuè Matris integerrimæ antiquam, & admirabilem. (Quam hodie veneratione prosequimur, multo post restituitur, priori non dissimilis) desæuientes,cum reliqui nihil esset ad expilandum, (nostri quæ per temporis breuitatem licuit comportatis, in Oppidum sese receperant) campanis duabus sublatis, & vndique iniectis flammis naues iterum conscenderunt perpetuis suæ crudelitatis, & feritatis vestigijs in continente relictis.

De Monasterio Placentino. XXXVIII.



Billa satis nunquam nobis Montoliuetensibus laudata stirpe Aragonia, vnde veluti ex vberrimo fonte profluxerunt, immo exundarunt erga nos,ut ita loquar,fluuiatim, indidē hoc etiam profectum est insigne Monasterium, cuiusmodi est S.Sepulchri,Placentinum. Siquidem ut Alphonso Calabrorum Duci,& Ioanni Cardinali Aragonio gratum faciat, anno Christiano 1485.illa administratione cedit Alexan. Marianus Carpensis Abbas,ut ad socios nostros transferatur, quemadmodum Ducis Mediolanensis uoluntate sese id facere profitetur,eo autem scripto assentitur.

Alexāder Marianus Abbas Carpensis Monasterium. Placēt. ad Oliuetanos trāsmitti.

IOannes Galeaz. Maria Sfortia Vicecomes Dux Mediolani, &c. Tum ea obseruantia,quam gerimus erga Religionem venerabilium Fratrum Oliuetanorum. Tum quia scimus nos rem gratam facturos Illustriss. Domino Duci Calabriæ patri,& socero,scilicet & Reuerendiss. & Illustriss. Domino Ioan. Cardinali de Aragonia,& Legato patribus nostris amantissimis. Tenore præsentium. Quantū in nobis est, sumus contenti, quòd venerabilis Don Alexander de Marianis de Carpo Abbas S.Sepulchri Placētiæ renunciare possit eiusmodi Abbatiam in manibus Sanctiss.D.N. reseruata sibi super ea debita, & honesta pensione; & prædicti fratres ipsam postmodum acceptare, ibique inducere cultum, & religionem suam. Præsertim cum ita institutam olim fuisse intelligamus ab Illustriss. & Excellentiss. quondam Domina Blanca Maria auia nostra Honorandiss. Mandantes Officialibus nostris vt postquam prædicta facta fuerint: ipsis fratribus opportunos fauores impendant,& exequi faciant quicquid à Santiss.D.N. super ea re constitutum,& concessum fuerit. Dummodo tamen hoc fiat saltem intra annum. Decretis,& Ordinibus nostris in contrarium non obstantibus quibuscumque Dat. Mediolani sub fide nostri sigilli die 4. Oct. 1483. Io. Antiquarius de mandato.

FVit Alexander Dominicanæ primum Religionis professor, unde per Blancam Mariam Mediolanensium Ducem anno Domini 1447. à Nicolao V. ad Benedictinos transeundi,& quodlibet Ecclesiasticum Sacerdotium,Prioratum, Abbatiam recipiendi, & retinendi potestatem accepit. Benedicto igitur nomen dedit in Cœnobio Omnium Sanctorum

extra Cremonam. Hinc tamen Francisci Mariæ Ducis, & Blanchæ ipsius coniugis precibus ab eodem Pontifice anno 1449. S. Saluatoris de Tolla in Placētino Abbas renunciatur, anno demum proximè subsequenti Antonio Azonio Sacerdote Mediolanensi, qui illi à sacris erat, S. Sepulchri Abbate excedente Alexander subrogatur, atque illum honorem Abbatialem annos, tres ac triginta retentum, uti diximus, deposuit, & per literas Sixti IV. quæ anno Domini 1484. IV. cal. Apriles datæ sunt, ad nos peruenit, eiusmodi tamen conditione, vt mille nummorum libræ, quorum vsus Placentiæ, tritici modij quinque, & viginti, & vini decem cadi, quorum singuli amphoras decem capiant, in singulos annos Alexandro subministrētur. Aeuo satisfacit, quod ex ijs, quæ diximus eliciamus, ætate grauissimus anno restitutæ salutis 1497. cuius monimento legitur in templo marmori inscriptum hoc Epitaphium.

Natus Alexander Carpi Mariana propago
Templa tuis meruit Blanca sub auspicijs.
Illa sacerdoti dederas, quæ Montis Oliuæ
Dedicat in melius Religionis opus.
Vrbis grandis honos, cui grata Placentia debet,
Dignaq; perpetuum muneris huius erit.
Vos celebrate senem Monachi, postquc vltima fata
Lustrentur cineres, & pia verba date.
Obijt Anno Domini 1497. 9. Octobris.

Ne quis sibi in animum inducat fuisse tunc temporis hoc Cœnobiū, qua nunc cernitur, amplitudine, & nobilitate, licet neque sic perfectū, & absolutū, eò quia, quicquid speciosū, quicquid spectabile inest (quod de singulis Monasterijs, vel Abbatijs nostræ Congregationis liberè asserendū est) nostrorum progenitorum opera, & industria effectum; potissimum F. Ioa. Iacobi Pirouanensis, siue, ut alibi, Ioannis Bedagiensis, qui primus hic Priorem egit, F. Constantini Mediolanensis, F. Io Antonij Codatij Laudensis, F. Maximiani Lenianensis, F. Innocentij Bononiēsis, F. Bernardi Brambilij, & F. Francisci de Monte, qui eius locum sortitī, & ædificium extructum, & ab ipso institutum prosecuti sunt. Dignitas tamen operis F. Io. Antonio præcipuè assignanda, qui in hoc Cœnobio semel atque iterum, vel tertiò Abbas destinatus præfuit annos circiter viginti. Ad annum vsq. Christianæ salutis 1534. constat in ædificatione erogata librarum sexaginta quinque millia supra ducentas. Cum eo nos potiti sumus vehementer ædificia, & nihilo secius facultates, redditusq. suos desiderabat, idque tū propter calamitosam illorum temporum conditionem, tum etiam ipsius loci antiquitatem. Qua de re notum facio, Hospitalem hoc loco domū S. Sepulchro ex collatis à populo eleemosynis positum à Dionysio Episcopo in Monasterium Benedictinum anno 1051. excitatum, Alexander II. ann. 1071. Alex. III. anno 1180. & Clem. III. anno 1187. ratum facientibus. Quem veterum monumēta delectāt, superuacaneum non existimabit editas ab Episcopo tabulas adscribere,

Monasterium Placent. augetur, & exornāt Priores infrascripti.

Dionysius Episcopus Placentiae hoc primū Cœnobiū Benedictinis erexit.

quas

quas sexcentesimum ante annum perscriptas, incredibile non est, veneratione,& descriptione dignissimas iudicandas.

Dionysius Episcopus Plac. hoc primo Cœnobiũ Benedictinis erexit.

EGo Dionysius S. Placentinæ Ecclesiæ Episcopus cunctis fidelibus perpetuam salutem in Christo. Dum sancta vniuersalis mater Ecclesia vni viro coniuncta Christo noua semper fœcundatur sobole, & panso sinu salutem non cessat filiorum quærere. Cunctis patet mortalibus, & maximè, qui pastores animarum fore debẽt, nihil preciosius conquirere sponso, quàm id quod complacet Sponsæ, proinde vniuersus fidelium nouerit cœtus, tàm præsens, quàm futurus, quod non minima pars filiorum, vel filiarum nostræ S. Matris Ecclesiæ Placentinæ, diuino timore tacta memor diuini saminis dicentis, Quandiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis, miseris compatiens amore charitatis ex proprijs Xenodochium facultatibus construens, Ecclesiamque in sancti honore sepulchri iuxta ædificans humiliter nostram adijt humilitatem, deposcens illam benedictione consecrari Pontificali, cuius dignis annuentes precibus consecrauimus, dedicauimus, hæredem Christo fecimus. Subinde illius diuina in maius crescens deuotio præcogitans, qualiter eam sedulo Christi posset mãcipari obsequio, prouidit dignum ordini ipsum aptari Monastico. Quamuis pene iã sit lapsus, in Christo tamen deuotior stat fundatus. Quod nos agnoscentes, simulq; illud congruum iudicantes, Monasterium, vt efficeretur, consensimus. Et vt nobis, nostrisque successoribus, omnibusque eiusdem loci fautoribus perhennis à Domino recompensetur merces, Constituimus, & vnà cũ nostris corroboramus Canonicis, nullo modo illud sub iugo manere Episcopali. Sed potius esse ab omni seruitutis vinculo liberum, quatenus ipsius habitatores nulla pressi molestia gratanter Deo seruiant, obsequia pauperibus debita præbeant, Eo quippe tenore, vt Abbas prędictæ Ecclesiæ eligatur de Congregatione secundum regulam S. Benedicti, ac virga super sanctum altare posita, qui electus est, ipsam accipiat. Cum qua ante nos, nostrosq; successores veniens consecretur gratis. Si autem nos, nostrique successores iniqua percussi cupidine gratis hoc facere noluerimus, tunc liceat præfato Abbati ire, & consecrari se, quocunque sibi placuerit. Similiter faciat de Ecclesiis, quæ, Deo annuente, ibidem conquæsitæ fuerint, seu presbyteris, diaconibus, omnibusque Ecclesiæ Christi gradibus, tamen si, vt supra diximus, nos nostrique successores gratis hoc facere noluerimus. Id etiam de sancto Chrismate statuimus excepto generali baptismate. Quod si instigante Diabolo ordinatus Abbas in aliquibus lapsus capitalibus criminibus fuerit, congregatio loci id non consentiens post secundam, vel tertiã admonitionem vicinis Abbatibus sine mora notum faciat. Qui venientes, & secus timorem Dei cuncta agentes Zizaniam separare certent à tritico. Sin verò per se perpetratum facinus abscidere, & corrigere non potuerint, adhibeantur fideles etiam loci in testimonium. Quod si nec post horum admonitionem omnium se correxerit, sed potius in sua malitia perdurauerit, tunc cum supradictis fratribus, & Abbatibus, seu feudalibus loci ductus ante præsentiam tam nostram, quàm nostrorum successorum non aliter, quàm in sancta constituta Synodo, id quod rectum fuerit iudicetur. Istum autem honorem nostræ adquisiuimus matri Ecclesiæ faciendum ab eodem præfati loci Abbate, vt, Pontifice à sua consecratione remeante, sumpto idem Abbas Cereo trium librarum ceræ habens per vnamquamque libram vncias duodecim,

decim, & vnaquaeque vncia pondus vigintiduorum denariorum Papiensium deferens ponat ante altare Sanctæ Dei genitricis, aut in manu Episcopi. Insuper quando anniuersarius dedicationis illius aduenerit Ecclesiæ, canonicis nostræ matris Ecclesiæ cum processione illic aduentantibus recipiantur. Septimanis verò s. Presbytero Diacono, Subdiacono, Acolitho, hostiario decenter administretur cibus corporeus secundum consuetudinem Monachorum. Ad consecrationem etiam altarium, seu Ecclesiarum dabuntur pro Episcopi iam dicti refectione porci valentes quatuor solidos, & modium vnum frumenti, pulli viginti, quatuor congia vini, atque vnam libram piperis. Si verò, quod futurum esse non credimus, nos, vel nostri successores, seu qualibet magna, vel parua persona hanc nostri decreti paginam piè à nobis actam perrumpere temptauerint, aut eam quouis ingenio frangere quæsierint, sciant se incidere sententiam Ananiæ, & Saph. eandemque mortem perferre in anima, quam pertulerunt in corpore. Sint insuper colligati horrendi Anathematis vinculo, veniatque super illos illa maledictio, quam Psalmista de Iuda traditore Domini nostri, eiusque sequacibus decantat. Fiant dies eorum pauci, & honorem illorum accipiat alter &c. quæ pertinent Catholicæ Ecclesiæ inimicis. Componant etiam, quod multum est, pœnam centum librarum de cocto auro, medietatem Cameræ Domini Imperatoris, & medietatem supradictę Ecclesiæ. De cætero à nobis sancitur perhenniter permanente. Ne liceat mihi Dionysio Placentinæ sedis Episcopo nolle, quod volui. Sed quod à me semel decretum, & confirmatum est, inuiolabiliter permaneat fixũ in melius semper roborandum. Vnde propterea illud confirmans manu cæteris nostræ Canonicis Ecclesiæ corroborandum, & confirmandum tradimus. Actum anno Dominicæ Incarn. millesimo quinquagesimo sexto, Imperante Domino, & gloriosissimo Imperatore Henrico filio Corradi Cæsaris Augusti. Anno octauo. Pontificatus autem Reuerendissimi Præsulis Dionysii anno 7. & Ind. 9. 3. Non. Decembr. Ego Dionysius Episcopus. Ego Turisandus Archipresbyter, Ego Constantinus Sacerdos &c.

Aedes à Monasterio Placen tino depen dente.

CLemẽs præ ceteris ad Monasterium multò ante pertinuisse affirmat Ædes S. Nicolai, & S. Nazarij Placentiæ SS. Cosmæ, & Damiani, & S. Vitalis Cremonæ (sacrorum procurationi addictam alibi,) & (S. Marię alibi) Vezanensem, & (SS. Cosmæ, & Damiani alibi) Gratianẽsem. Quas vltra ann. 1195. & 1307. S. Mariæ de Centuria cum mola triticea, & anno 1307. S. Gabrielis de Valeria inuenio. Quod attinet ad Templum S. Nazarij, & Celsi de uia leuata (ita vulgo appellatur) prope Monasterium, à quo, & hodie possidetur, S. Sepulchro antiquius ignorandum nõ est, fabricantur enim anno Redemptionis 1025. Curiales circumcolentes, ita vt suum esset Iuspatronatus Rectorem declarantibus, Abbate admittente, quo iure, & hac ætate vtrosque furi aiunt. Et quod ad nos pertinet pro comperto est, D. Placidum Scottum Abbatem acerrimè defendisse. Vir fuit, cuius hoc loco mentionem habeamus, non indignus, nobilitate, specie, moribus, constantia, ingenio, imperio, &, quod vtilius est, vitæ sanctimonia conspicuus. In tabulis, iuribusque Monasterij, quæ & per se ipse vidit, euoluitq; conseruandis, nulli studio comparandus.

D. Placidus Scottus Abbas vir memo ria dignus.

Testor

Testor Archiuium, quo nullæ tabulæ continentur, quas non sua manu notauerit. Huic Monasterio præfuit annos quindecim, & insuper, non perpetuos, sed intercalarios fidelius & sapientius. Fama est, annuos mille aureos Cœnobialibus prouentibus per eum accessisse. Ibi anno 1611. Abbas Titularius piè admodum excedit, vniuersa ciuitate lacrymis prosequente. Templum introeunti ad læuam lapideus Sacelli gradus sese offert temerè nescio quo modo sectus, & quod ex vsu esset, sic aptatus. Erat alterum eiusd. Alexandri Mariani Præsulis monumentum. Vt ut potuimus excripsimus, & suppleuimus.

GENTIS.ALEXANDER.MAR--IANE
CLARA.PROPAGO.
QVI.PATRIAM.MERIT--IS
CARPON.AD.ASTRA T:--VLIT
HOC.LAPSVM.INSTA--VRAT
STRVIT.HOC.DVM.PRÆSIDET.ABBAS
QVOD.TIBI.DEVOT--VM
DIVA.SACRAVIT.OP--VS.

De Monasterio Trebiensi. XXXIX.

Bouaria prope Trebiũ vnd dicatur. Clitumn⁹ Fluui⁹ miræ virtutis & efficentiæ.



Rebium in Valle Spoletana magnum sanè Oppidum est speciosō Colli ad viam propemodum Romanā impositum, cuius radicibus pręter alias Villulas Bouaria præsertim adhærescit. Nominis causam cum ipse non tantùm animo sæpius agitauerim, sed alios etiam quamuis frustra interrogauerim, illam denique esse constitui. Inferiorem permeat planitiem amniculus ille Clitumnus nomine, quem vetères tantopere celebrarunt, & Nepos maxime Plinius tāta venustate descripsit, vt mihi stoliditatis esset, si ea in re, quam ipse tanta felicitate præstitit imitandum susciperem. Eloquar tantummodo Poetas fabulari, amniculi huius vndam esse huiusmodi, vt prægnantibus bobus hausta candidos fœtus efficeret, siue boues ipsi eam haurientes candidæ fierent, quod alter mihi Plinius significare videtur, siue tandem illo flumine abluti candoris, & decoris nescio, quid assequerentur; Quare Romæ triumphantes boues eo fluuio antea madefactos cædere consueuerunt, Proinde Virgilius,

Hinc albi Clitumne greges, & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deum duxere Triumphos.

Et Silius Italicus.

Et lauit ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus Taurum.

Mea igitur sententia est, facilè Bouariam peculiarem locum fuisse, vbi maior, quam alibi boum copia contineretur, vel templum aliquod Deo

Clitumno

Clitumno sacrum esset, ibiq. cogerentur, immolarentur, eò magis, quòd Plinius iunior prodidit prope ripam Ædiculas multas fuisse Amniculo excitatas, & fortasse ex illis altera fuit Templum verò Deo, & S. Petro, de quo nunc agendum est, consecratum. Ad hanc vsq; memoriam complura bouina capita ex lapide antiquissimo parieti, varijsq. lateribus infixa conspiciuntur. Hinc meam hanc non omnino somniatam censeo opinionem. Vtcumque sit, illud quidem pro comperto est, insignem hoc loco Abbatiam sæculis transactis institutam, quæ & spiritalia, & temporaria latè iura protendit. Quod ex literis Alex. III. anno Sal. 1177. Cœlestini 3. ann. 1193. Innoc. III. anno 1198. & Honorij III. anno 1217. excipere possumus. Postremum accipiamus. His quidem literis ad Abbatem, & Monachos S. Petri in Bouaria conscriptis vitæ genus, quo vtebantur, ex Benedictino præscripto confirmat, atque insuper omnia illa, quibus fruerentur, & præcipuè.

Ecclesiam S. Donati de Buiano cum Ecclesiis, & possessionibus ad ipsam pertinentibus, Ecclesiam S. Angeli de Fabri cum suis pertin. Ecclesiam S. Philippi de Pezuno, cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Crucis de Valle Aquila cum suis Ecclesiis, & possessionibus, Ecclesiam S. Luciæ de Camuro cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Mariæ de Pelano cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Petri de Aspirio cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Laurentij de Ponze cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Petri de Pecte cum pertin. suis, Ecclesiam S. Sauini de Plaia cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Stephani de Plaia cum pertin. suis, Ecclesiam S. Aegidij de hospitali cum pertin. suis, Ecclesiam S. Quirici de Massa cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Ioannis de Vellano cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Sepulchri de Colle Scloplanino cum suis possessionibus; Ecclesiam S. Petri de Colle gemule cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Petri de Campello cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Laurentij de porcaria cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Appollinaris cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Donati de fracta cum suis pertin. Ecclesiam S. Iacobi de Fossatoreo cum suis possessionibus, Ecclesiam S. Petri de Riuo sicco cum suis possessionibus. Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Laurentij de. . . . . cum suis possessionibus. Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Angeli de Beroite & in possess. eius. Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Nicolai in Fracta pullorum. Quicquid iuris habetis in Ecclesia S. Lucæ de Secli. Terras, & Vineas quas habetis in porcaria. Terras, & siluam, quam habetis in Fracta pullorum. Terras, & homines, ac vineas, quæ habetis in Vellano, & Fabri, & in Sancto Sepulchro, & Ponze, & Narnata & homines, quos habetis in Colle treie. Terras quas habetis in Villa marinorum, & in cruce, ac in Buiano. Molendina de Valle Icenà, & in Allone. Terras, vineas, arbores, atque oliuas. Vineas, & terras & syluas de lapidea. Vineas, & terras de Treui. Vineas, & terras de Mathia. Terras, quas habetis in palude in Roueta, & Vado reo & Flaminea. Terram de Solle ac Molendina. Terram de palude pisciniam. Terram, quæ fuit presbyt. Alberici de Azano, & terram, quæ fuit presbyt. Andreæ Aldechei, & vxoris eius, & Marci stelle. Terras in Azano. Terram quæ fuit Ioannis

Abbatia S. Petri de Bouaria latè dominatur.

Kk Monachi

Monachi ad pontem lapideum. Terras quæ fuerunt Ioannis Petrutij, & Hugutionis in Azano. Vineam, quæ fuit Marci stelle in Azano, & Campum, qui fuit Achillis filij Martini in Fracta transiricorum &c. Ego Honorius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus &c.

QVòd autem Abbatia tot facultatibus hodie penitus careat, incredibili illa capior admiratione, qua de alijs tam multis ea in re semper captus sum, nullo vnquam inuento diplomate, quod certè attemperet, si minus hanc meam sedet sciendi cupiditatem, vnde tanta in miseros Benedictinos clades, & calamitas extiterit, vt exempli gratia legatur, eos sacerdotia centum, & possessiones ferè innumeras aliquãdo possedisse, ac deinde perbreui temporis spatio interiecto rerum, omnium possessione deturbatos, & ex altero ad alterum extremum transgressos, nulla re interposita, hoc est, nullis à me literis perlectis, quæ de illius spoliatione, quod hoc, siue illud vetus Monasterium obtineret, quidquam tractarent. Minuitur tamen nonnihil admiratio de hac Abbatia, cum in libro quodam nouerim peruetusto, Trebij, & Fulginei sese mutuò infestantibus principibus, & varia victoria, pariter Abbatia aliàs ab illis diripiebatur, aliàs ab his lacerabatur. Annus ferè centesimus in eo statu, ac perturbatione extractus est, quousque anno Reparatoris 1442. ab Eug. IV. Thomę Valentio Trebiensi tradita est, qui duos & viginti annos natus, cum duos & quadraginta tenuisset facultate ab Innoc. VIII. impetrata anno 1484. 4. id. Sept. abdicare se illa voluit, quam nobis attribueret. Primus ibi Prioris, siue Abbatis personam sustinuit, F. Vincentius Mediolanensis. Et quia Valentius Abbatiam, nulla sibi re inde seruata, liberè dimiserat, F. Dominicus Leucanus, qui Rempublicam Oliuetanam summo loco moderabatur, tanta Præsulis benignitate perspecta, mediam annui census partem in singulos annos viuenti à Monasterio concedi voluit, publicum etiam omnium, quod ad illud pertinerent, facultatum procuratorem, & patronum renuncians. Ex Ædibus, quæ in medium allatæ sunt, nullam audio possideri, quam S. Philippi, & S. Apollinaris. Sacra Christi fidelibus administrantur in S. Petri. Anno subsequenti 1485. postquam Monasterium ad nos transmissum est non longè Beatæ Virginis imago, quam de Costarella nuncupabant Nonis Sextilibus mira quædam ostentare cępit, fama peruagante lacrymas nõ nullas prosiluisse. Quamobrem cum ingens, vti fit, mortalium concursus habeatur, Trebienses Templo Eleemosynarum contributione ædificato Pontificem exorant, vt Monachis nostris committat. Edito diplomate anno 1486. Calendis Iunijs factum est. Tenent hodie Canonici Regulares Lateranenses. Ratio autem me omnino præterit. Etiamsi hoc Monasterium sit, anteaque esset magis angustum, magis exiguum, Pontificem tamen Paulum III. Perusio reuertentem hospitio susceptum inuenio anno Christiano 1545. præcipua Charitate, diligentia, & venustate, quam in sodalibus illis perspexit, summopere delectatum. Abbatialem

Thomas Valentius Abb. Trebiēsis trāsfert ad Oliuetanos.

Paul. III. hospitio excipitur.

tialem in hoc Monasterio dignitatem gessit olim D. Franciscus Magnonius Iurisconsultus, quem de legibus aliquot condidisse volumina dictitant, eiusque adhuc viuentium manibus conteruntur eruditissima Consilia. Sustulit annus ab humana reparatione 1548. Præsidet hodie huic familiæ D. Augustinus Lancellottus Perusinus frater in Theologica disciplina paucis inter Oliuetanos inferior, cum annos ipsos tresdecim Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ dogmata varijs in locis explanauerit, Perusiæ, Arimini, Brixiæ, Veronæ, in Monte Oliueto, & postremùm in Vrbe, vbi multis potissimùm è purpuratis Patribus audientibus suæ virtutis periculum fecit. Hic quoque Abbas nobilem similiter, eumque Theologicum ludum aperuit Doctor ipse, & interpres. Turris in hoc Cœnobio anno 1620. 7. Cal. Maias, qui dies S. Marco sacer, fulminea è cęlo iaculatione media ferè nocte disturbatur. Præcipuè summa ruunt, & alter ex angulis ædem sacram attingens. Ex fulmine & ruinis Odæi camera quassata rimas agit non sine periculo. Lancellottus Abb. & Visitator familia partim dimissa, annuos census in Turris, cameræq. reparatione collocat, redditq. maximo cum sumptu elegantius.

D. Franciscus Magnoni' Iurisconsultus Abb. Trebiensis.

D. Augustinus Lancell. t' usIe rus. Abb. Trebiēsis.

De Monasterio Saxouiuio. XL.

SI cubi vnquam verum est, vt vbique verissimum, quod sapientes percipiunt, cuiusuis mali, vel tenuissimo principio occurrendum, aliter eousque procedere, vt quælibet adhibita medicina nihil importare salutis comperiatur; Id quidem clariùs, & seriùs intelligunt, qui rebus publicis, vel Ciuitatibus negligenter imperant, ad summum omnis hominum, aut sacrorum, aut popularium conditio. Deus itaque perpetuò deprecandus, ne aliquem Religiosorum conuentum à via, per quam ire debent egredi, vel recedere patiatur; Siquidem difficillimum est, aut fieri nullo modo potest, vt reuocetur, vt quæ perijt, forma restituatur. Est mihi eius rei in cęteris exemplum Monachorum status, qui centum & triginta abhinc annis in antiqua, eaque percelebri Abbatia Saxiuiui in Fulginensi demorabantur. Illi cùm eorum omnium, quæ habitæ professioni conueniebant, immemores, laxioremque etiam vitam colerent, Marcus Balbus Cardinalis Venetus Commendatarius sępius incusauit, sępius admonuit, vt ad aliquam legum, quas profitebantur Benedictinarum obseruantiam sese conferrent. Omnis tamen oratio, omne monitum, omnis tandem Cardinalis comminatio irrita. Cum igitur hæc omnia ad Pontificem retulisset, precibusque contendisset, vt per eum Oliuetanos seueriores Benedictinæ disciplinæ custodes illis subrogare liceret, nonnullis ad victum redditibus constitutis ita sepositis, vt cum ijs, quos Abbas Commendatarius perciperet, commercij nihil haberet, Pontifex assensus est. Ergo anno salutis 1486. 6. Idus Nouembres Cęsare Cardinale Episcopo Amerino

Marcus Balb' Cardinalis Venetus Monasterium defert Oliuetanis.

rino & Io.Robobillio Episcopo Electo Atserense præcipientib. coram F.Gentilio Fulginate illius Monasterij Priore Claustrali, & aliis quinque Monachis locorum dependentium Prioribus, totius Cógregationis nomine data possessio Monasterij F.Bartholomæo Perusino Priori, F.Ioanni Panzerio Mediolanensi ad M.Morcinum Vicario, & F.Christophoro ad S.Petri in Bouaria itidem Vicario, ac deinde agrorum, domorũ, aliarumque rerùm, quas Oliuetanis æternùm concedere Cardinalis magis complacitum est. Sicuti anno 1490. Syluarum confinia præscribens omnium Abbatiæ pabulorum ouibus centum, & quinquaginta, & capris totidem, lignorumque ad eorum vsum cædendorum, præterquam in ea regione, quam Clauacios appellant, & circa Monasterium ad ornatum, potestatem fecit. Cæterùm (scutata addita quadraginta, quæ cum Monasterium labasceret anno 1558. Commendatarijs in ædificationem quot annis eroganda statutum est) reliqua omnia bona stabilia, & vniuersa magnæ huius Abbatiæ facultates Commendatario, quod & hodie perseuerat, relinquuntur; Quæ autem sint hæc tam multa olim, & nunc Abbatiæ subiacentia, hic referentur ex diplomate Honorij III. qui anno 1216. se Innoc. II. Alex. Clem. Cælestini, & Innocentij III. vestigia persequentem Abbati, & Monachis cõfirmare attestatur. *Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est cum terris, vineis, montibus, planitijs, syluis, & omnibus alijs pertinentijs suis. Curtem magnam cum Carpello, Valle, Casalinis, Musleo, Carpenaco, Colle, Percusse Serra, Gualdo cum terris, vineis, oliuetis, & alijs pertin. suis. terras, syluas, & montes à quodam Gualtero Comite de Opello Monasterio vestro pietatis obtentu collatas. In flumine Curtem insulæ Monachorum cum terris, vineis, hortis, canapinis, palude, ac omnibus alijs pertin. suis, Curtem Tibrij Monachorum cum pertin. suis. Campum de Ceresis cum demanijs suis. Clausuram Petri follis cum pertin. suis. Cellam de Sclopo cum omnibus, quæ habetis in Pale Casali cassito in loco, qui dicitur lacus, & in loco, qui dicitur S. Stephanus in Ciplio Vulperinn. fragaia Cupebliolo præsenti. Volferana la franca Sextin. laudi in. & Venera terras, molendina, homines, & syluas, quæ habetis in valle Selopi, quicquid habetis in plano, costis, & montibus Fulginat. Curtem Matidiæ cum terris, vineis, hortis, canapinis, & palude. Demanium, quod habetis in vico de Spello, domos, & casalia, quæ habetis in ciuit. Spoletano, quicquid habetis in valle Anant. Crucisferia, Starzan. producta Beroica Azan. & Catran. Demanium, quod habetis in Massis de Colle Perusij, & Vitian. Oliuetum, quod habetis Assisij, & quicquid habetis in comitatu Tudertino, Romæ Ecclesiam Sanctorum quatuor Coronatorum cum parochia possess. & alijs pertin. suis, & Eccl. Sanctorum Sergij, & Bacchi cum parochia, & alijs pertin. suis. In Episcopatu Ortarum Eccl. S. Iacobi cum parochia, ponte, Molendino, & alijs pertin. suis. Ecclesiam S. Fortunati, & Ecclesiam S. Mariæ de Paralia cum parochijs, & alijs pertin. suis. In Episcopatu Amerlien. Ecclesiam S. Trinitatis, Eccl. S. Bastiani, & Eccl. S. Paucratij cum parochijs, & al. pert. suis. In Episcopatu Balneoregen. Ecclesiam S. Liberati cum parochia molendino, & alijs pert. suis. In Episcopatu Vrbeuetan. Ecclesiam S. Crucis cum parochia, & alijs pertin. suis. Ecclesiam S. Aegidij cum parochia, & alijs pertin.*

Facultates Abbatiæ Saxouiuæ.

suis

suis, Ecclesiam S. Nicolai de heremo cum Cappellis suis, videlicet S. Angeli, & S. Laurentij cum iure, quod habetis in Cappella S. Christophori parochijs possess. & al. pert. suis. In Episcopatu Tudertino Eccl. S. Nicolai de Criptis cum parochia, & alijs pert. suis. Ecclesiam S. Martini de Petroso cum iure, quod habetis in Ecclesiam S. Eligij de Fracta; hominibus, parochijs, & alijs pert. suis. Ecclesiam S. Nicolai in Colle cum ponte, & tyberi, & molendino parochia, & al. pert. suis. In Episcopatu Assisinat. Ecclesiam S. Matthæi cum Cappellis suis, videlicet S. Mariæ de Materno, & S. Angeli de Fracta, hominibus parochijs, & alijs pertin. suis, & Ecclesiã S. Apollinaris de Sambro Monasterio vestro à bonæ memoriæ Paschali Papa II. tanquam membrum capiti perpetuò coniunctum, sicut in ipsius priuilegio continetur, quod etiam exemplum prædicti prædecessoris nostri Innocentij III. duximus innouandum cum Cappellis, hominibus, terris, vineis, syluis, parochijs, possessionibus, & alijs pertin. suis. In Episcopatu Camerin. Ecclesiam S. Angeli cum parochia, domibus, casalinis, possessionibus, & alijs pert. suis. Ecclesiam S. Nicolai Vallis parrariæ cum Cappellis, hominibus, terris, vineis, syluis, montibus, pratis, pascuis, montibus, aquis, molendinis, parochijs, & al. pert. suis. In Episcopatu Fulginat. Ecclesiam S. Nicolai cum parochia, domibus, casalinis, terris, vineis, canapinis, masseraturis, aquis, molendinis, & al. pert. suis. Ius quod habetis in Ecclesia S. Thomæ, & in Ecclesia S. Venantij, Ecclesia S. Sixti, Ecclesia S. Angeli de Scafali, Ecclesia S. Mariæ de Capernaco, Ecclesia S. Ioannis de Colle, Ecclesia S. Stephani de Venant. cum parochijs, & alijs pert. suis, Ecclesia S. Nicolai de la Guesa cum parochia, molendinis, hominibus, terris, vineis, & al. pertin. suis. In Episcopatu Spoletano Ecclesiam S. Trinitatis Apoleuarum. Eccl. S. Laurentij, Eccl. S. Angeli de Monte publico, Ecclesiam S. Nicolai Interamnen. Eccl. S. Martini de Naxeo cum iure, quod habetis in Ecclesia S. Sauini Aian. Eccl. S. Saluatoris de Vsinio, Eccl. S. Fortunati de primo casu cum Cappellis suis, videlicet S. Laurentij Vespre, S. Mariæ de primo casu, S. Aegidij, & S. Luciæ ferro, Eccl. S. Laurentij eremitæ de Ceruaria, Eccl. S. Mariæ eremitæ Montis Cabelli, Eccl. S. Anastasij de Colle, Eccl. S. Andreæ cum Cappellis suis videlicet S. Ioannis Caballin. & S. Martini Carsian. Eccl. S. Nicolai de Meuania cum Cappella S. Pantaleonis, Eccl. S. Venantij de Spello, & Eccl. S. Nicolai Gudialian. cum possessionibus Cappellis, parochijs, oblationibus, decimis, primitijs, mortuarijs, visitationibus, procurationibus, institutione clericorum, & correctione ipsorum, & alijs pertin. suis. Iuspatronatus, quod habetis in Ecclesia S. Petri de Azano, Ecclesiam S. Petri de Flaminian. Ecclesiam S. Clementis de Matidia, & Ecclesiam Sancti Nicolai de Nera. Nulli Episcopo facultas sit in eodem Monasterio &c. sanè & cetera.

Qua tamen ratione eò celsitudinis hæc Abbatia deuenerit complures à pueritia millies audiui enarrantes, & in his consilio atque ætate graues, aliqua tamen varietate; secus enim vsu venire non potest ea in re, quæ nullius, quod nouerim, literarum monumentis commendata sit, sed tot sæculorum spatio ad nostram vsque tempestatem posteris per manus tradita. Virum fuisse perhibent annum circiter ante sexcentesimum omni disciplinarum genere expolitum nomine Alanum, qui bona Religiosorum fama fortasse inductus ad hoc Monasterium acces- *Abbatia Saxouin a vnde tam diues, & opulenta.* *B. Alanus Monachus Benedictinus.*

sit,

sit, vbi siue modestiæ studio, siue alia causa commotus, sapientia haud quaquam præstita, Abbati operam præstitit. Casus ea memoria detulit, vt, quonam loco incertum, est grauis quædam disputatio, vel Concilium contra nonnullos Hæreticos coram Pontifice institueretur. Est etiam inter cæteros Abbas Saxouiuius: sese igitur ad obedientiam, & ad profectionem accingentem Alanus, ea re cognita, vt secum deducat obsecrare cœptus est. Miratur Abbas, nec audit; precibus tamen fatigatus viæ sibi comitem adiungit, eòque contendunt. Cum ad locum Concilij, vel disputationis, peruenissent, diesque negocio constituta eluxisset, aulam omnes ingrediuntur vbi veræ, aut falsæ illæ opiniones examinandæ, ecce tibi Alanus ad Abbatem, oratque summo studio, & seipsum intromittat, quæ discuterentur, audiendi cupiditate inflammatum: Famuli stoliditatem, & stultitiam multò magis quàm antea Præsul admiratus, grauiter accusat; homini tamē in petitione persistenti obsecundatur, & sese cum cæteris, qui eò frequentes conuenerant inferendi commoditatem præbet, eo imperio vt seorsim insistat, & in oculis omnium non sit. Alanus igitur literatorum cōtentiones silentio accipiebat, cum aduersarios aliquantulum conualescere, factionemque Catholicam non nihil titubare animaduertens, sese in medium repente proripuit, cunctisque stupore correptis in hostes tanta audacia, & sapientia inuectus est, vt præ pudore, & admiratione animis perturbati, vix apud se restiterint, nostri autem illa tanta cum dignitate relata victoria mirum in modum exiliuerint. Pontifex, loquuntur, fausto, ac fœlici illius causæ exitu mirificè lætatus Alanum vera Patris benignitate, & pietate amplexatur, vt aliquid ab ipso petat, exhortatur. Sibi quidem nihil cupere modestiore cum sensu respondit, exorare tamē, Aedes omnes, quæ illo anno in quadam regione vacauerint, Abbatiæ Saxouiuiæ aggregentur. Permittitur. Alios scilicet, vt aiebam aliqua, quàm exposuimus, nullius tamen momēti, varietate hunc euentum accepisse non ignoro. Alij etiam, & fortasse non leuiter id ne contigerit, id ne verum sit in dubitationem adducent cum historijs, in quibus, quod mihi certum sit, nihil inuenitur eiusmodi, nihil legitur, committendum fuerit. Cui quidem rei nihil habeo, quod respondeam, quam quòd in illis regionibus hodie, & quoque Fulgineī homines ferè centenarij idipsum de patribus, de auis, de proauis suis cognouisse affirmant; fidei sit libera potestas. Dubium illud quidem non est in hoc Monasterio olim Monachum fuisse integris moribus, quem inde communiter Beatum Alanum nuncuparūt. Cernitur ibi vetus quędam, eaque breuior statua nigro cucullo cōuestita, qua illum referri, nemo non extimat. Sed quod pluris interest, & obuiam quamque dubitationem tollit, extra ædiculam, quam S. Mariæ de Valle appellant, duplici lapidis iactu à Monasterio dissitam à Commendatario inter cætera bona assignatam fixum marmor est parieti, signis duobus impositis. Alterum Abbatiæ proprium est, quod aliunde excipitur, Mons nimirum tripartitus cruce præfixa; Alterum quidem Abbatis, qui ea tempestate

imperaret,

imperaret, esse credere possumus, nisi forte fortuna (posito Abbatem renunciatum) eiusdem B. Alani habendum sit. Infra signa legitur. *Hic iacente* (litera, e, peccato redundabit in vocis cõsequentis fine appingenda) *Reliquia Beati Alani Monaci.* Locum profectò, & situm contemplantibus non incredibile fit, quod plerique sustinẽt, non adesse, idque tanto magis, quod est qui dicat operam quondam, inanem tamen, in quærendo, positam. Id quod magnæ mihi admirationi est, cum anno quarto, & quadragesimo ante quam nos potiremur Abbatia, illo marmore tegerentur; Annus enim legitur 1442. Multoque maiori est, nil certi extare Fulginei, quæ Vrbs adeo vicina est, quod sanctissimi viri memoria exhibeat. Ex Abbatiæ tabulis vetustissimis fieri quidem non posse sentiam, quin de illo luminis aliquid, & cognitionis assequamur. Sed cum apud Commendatarium Illustrissimum hodie Burghesium custodiantur, non potui arbitrio meo peruolutare, sed Catalogum leuiter tantummodo inspicere, vnde hac de re nihil vspiam coniectare licitum est. Ecce autem Ticinum habenti, superioribus rebus multos ante annos conscriptis ad manus nescio qua ratione peruenit liber D. Ruperti Ruscij, cuius inscriptio, Origo sacri Ordinis Cistertiensis, ibique maiori ne cum admiratione, an voluptate incertus sum, Alani cuiusdam Monachi eiusdem ordinis historiam perlegi, quem alium non esse autumem præter eum de quo, vt ita loquar, in incerto antea sermonem habuimus, & quæ illo Auctore exponuntur, & quæ Saxouiuo conterminis in ore vertantur egregiè cõuenĩetibus. Ipsa igitur Ruscij verba, latina tamẽ à nobis facta adducentur, deinde de eo, quod inter famã, & scripturã interest differetur.

De B. Alano quadã verosimilia, vel potius vera ab Auctore reperta.

Alanus natione Germanus ad literas sacras pariter, & humanas maximè eruditus principatum sua memoria obtinuit inter Theologos, Philosophos, & Poetas. In celeberrimo, & clarissimo Gymnasio Parisino multos annos docuit, professusq; est è prima sede. In omnibus ferè disciplinis præstantissimus Catholicus non immeritò appellatus est. Multa vtroque orationis genere, styloque conscripsit, quibus dignus à posteris omni æternitate iudicatus est. Eius prope innumera opera. Ea tamen, quæ sequuntur præcipuè memorantur, &c. Hic Alanus institutum Cisterciense Cõuersus, siue Oblatus suscepit. Pollicitus enim de mysterijs sanctissimæ Triadis populo Parisino Homiliam, Deo per quietem dissuadente, ciuibus tamen nihil habentibus fidei, die præstituta suggestum ascendit, concione frequentissima. Inter tis omnibus ne verbum quidem enunciare licuit. Hinc maximè perturbatus, hodie, inquit, Alanum vidisse sit satis, & continenter dolore contabescens è suggestu, è Parisijs, vbi omnia facultatum, artiumque genera interpretabatur, Cistertiũ quod ab vrbe disiungitur sex millia passuum, à nemine cognitus recessit, orauitque Monachos, ad humiliora obsequia admitterent. Accipitur, daturque custodia armentorum, quæ cũ diligenter, & humiliter ageret, per aliquot menses notus nemini, Præsidem supplex deprecatur, vt Conuersis (qui Monachis dant operam) adscribat. Voto potitus, & ad Abbatis obsequia constitutus sapientiam, & eruditionem suam hac ratione patefecit. Hæresis opera Dæmonis exierat sanè pestilens in Italia iuxta Nouariam, Fraterculorum vocabatur. Studebant fauebantque maxime Re-

D. Ruperti Rusćij Cister. de B. Alano Historia.

mi Religiosi. Labem adeo perniciosam oppressurus Clem.V.Pont.Max. Auenionem eruditissimos viros, in his Abbatem Cisterciensem scientia, & doctrina egregium conuocauit. Sequitur comes Abbatem, vt pro more inseruiat, Conuersus Alanus. Diu cum Hæretico disputatum, quem nemine conuincente. Alanus Abbatis suppedaneo insidens petit à Præside facultatem, vt respondeat, & arguat. Statim impetrat. Tanta igitur sapientia, & subtilitate in Hæreticum Alanus inuehitur, vt, mirante vniuersa corona, aduersarius iam cum probro cōuictus proclamauerit, vel Alanus es, vel Diabolus Alanus quidem, inquit, ego sum, non Diabolus. Hanc vocem læta simul, & mira fidelium consalutatio excepit, salue Alane, Alane salue, quot potissimùm in tanta temporis opportunitate prodiuerit. Abbas continuò cedere voluit loco, præfectura. Ille tamen respuit humili, & submisso vitæ genere contentus. Accepit loco beneficij, qui scripta ab ipso literis mandent. Perstitit in obscura illa conditione Conuersi, donec anima reliquit, quod sub annum ab orbe redempto 1313. xv. cal. Sextilis accidit. Cistertij tumulo conditur in Perystilio ad valuas sacræ Aedis versibus incisis.

Frater Alanus, Doctor famosus, Cistertij humilis Conuersus.
Qui duo, qui septem, qui totum scribile scriuit. Deinde
Alanum breuis hora, breui tumulo sepeliuit
Qui duo, qui septem, qui totum subdidit orbem
Scire suum mores dare totam, vel retinere nequit.

Est nonnullis opinio Alanum in publicum prodijsse, non apud Auenionenses propter fraterculos, sed in Concilio Viennensi, quod anno 1312. à Clemente V. coactum est, cum Hæresis Begardia damnata est, & illis concertationibus interfuisse. His & ego libentiùs adstipulor. Hæc Ruscus. Multorum verò de nostra, & præsenti narratione examine prætermisso, quodnam quidem legentibus iudicium sit, vnum dumtaxat affirmabo, cum neq. Epitaphium, quod est Cistercij, nec lapis, quem ad Saxouiuum cernimus, denegari possit, me sic opinatum, Abbatiam Saxouiuiā ad Cistercienses olim fortassis pertinuisse, quanquam Ruscius in illius familiæ veterum Abbatiarum catalogo nusquam commemoret, atque ex Gallia Abbatem aliquem Alani corporis partem, si minus totum corpus Saxouiuum detulisse; atque ita asserere absurdum non est B. Alanum vtrobique conditum. De Templo, cuius meminimus, quæcunque inuenta sunt non omittam. Quasdam Sanctorum reliquias nomine carentes in principis Ædis sacrario circumspicienti obuia fuit membranacea huiuscemodi notula, *Die 19. mensis Iunij 1497. Raymundus miser. diu. tit. S. R. E. Presb. Card. Gurgensis hec altare situatum in hac Cappella B.M.V. iuxta Abbatiam, siue Monasterium S. Crucis Saxiuiui Ord. M. Oliueti benedixit, ac consecrauit in honorem, ac sub vocabulo eiusdem B.M.V. S. Laurentij Martyris, S. Christophori, & S. Leonardi Confess. quorum Reliquiæ in eo sunt reclusæ.* In ipsa autem Æde Monasterij sub ara maxima SS. Carpophori presbyteri, & Abundij Diaconi fratrum corpora sita sunt. De his multa in lucem protulit anno sal. 1586. F. Ioan. Baptista Braccescus Florentinus Dominicanus. Nos paucis exequemur. Cum illi pietatis Christianæ studiosissimi

SS. Carpophori, & Abundij Martyrū corpora hoc Monasterio adseruantur.

mi

mi alij fratribus comitibus è Syria in Italiam, & præcipuè in Vmbriam, finitimasque regiones veræ fidei instituta disseminantes descendissent Diocletiano, & Maximiano dominātibus, ad montis radicem prope torrentem, quem fossam arenariam antiquè nominarunt, capite plectūtur. Vnde per piam quamdam Christi fidelem nomine Eustochiam Fulginatem in somnis admonitam sublata, quàm commodissimè potuit in montium spelunca collocauit. Inde vbi hodie Monasterium est comportata (Dominicani scriptoris opinio ita ferre videtur, eo tempore, eaq. de causa fabricatum) templumque ingredientibus dexteriori parte reposita. Ad annum vsque reparatoris 1558. inibi requieuerunt, cum D. M. Antonij Palmetti Abbatis Perusini, & spectabili vitæ innocentia præditi opera, ac studio ad aram, qua hac nostra memoria custodiuntur celebri pompa translata sunt. Tria quidem, eaque insignia celebritatem illustrarunt. Thomas Vrsinus Fulginatum Proepiscopus, qui aderat, cum religione ductus martyribus dentem subduxisset, & manibus in sacrorū ossium arcam prolapsus esset, inueniri nunquam potuit, relicturum vouente, illico apparuit. Dominicus Castarus cognomēto Surdus Palensis Martyrum fide implorata grauissimo, quique multos annos afflixerat, morbo conualuit. Tonsor, cuius opera vtebantur Oliuetani nomine M. Antonius nullos liberos susceperat, quod maximè in optatis fuit, precibus Deo adhibitis, vt martyrum pro meritis hoc sibi beneficium daret, haud diu fuit, cum filij duo geniti sunt, quibus memoriæ, grataeq. voluntatis testimonio Carpophori, & Abundij nomina indidit.

Sāctorum Corporum trāslatio. Miracula.

De Monasterio Camertino. XLI.



Nnus supra trigesimum ducentesimus est, cum Ioannem Varanium Principem Camerini Oliuetanis bene audiētibus extruendi in vrbe sua Cœnobij cupido incessit. Anno itaq. post Christum natum 1384. testamento in primis mandatum voluit, vt ex quibusdam suis domicilijs in regione S. Venantij, vbi vulgò Belmagneri Templum S. Mariæ Nouæ nuncupatum cum proximis ædibus duodecim Oliuetanis conderetur. In eorum alimenta omnes agri, possessiones, domus, & quæcunque in territorijs Sernani, Sangenesij, Oppidi Riparum, Villæ S. Pauli, Tolentini, Ciuitatis humanæ, Camerini ad Galdiolam, Rocchæmaggij, Insulæ, Siroli, Oppidi S. Mariæ, atque alibi obtineat, conferuntur. Ioannis voluntatem Gentilis, Rodulphus, Gentilis, & Berardus hæredes eo ipso anno executuri ad S. Mariæ maioris de Camerino, Episcopo, qui & præsens affuit, approbante, omnes non tantùm Clericos, & Religiosos, sed etiam populares conuocant. Sacris magnificè peractis, quibus F. Hippolytus Prior Sodalibus septem nuper instituto Cœnobio in familiam per Abbatem Generalem destinatis interest, Scribam Principes iubent pro suggestu tabulas euulgare testamentarias.

Ioānes Varani⁹ Princeps Camerini cōdit Monasterium Oliuetanis.

Oliuetanis cū pompa oīum possessio tribuitur.

tarias. Omnibus ab Hippolyto Priore, & Procuratore acceptis, Episcopus cum optimatibus, eisque omnibus, qui in templo aderant celebri pompa, & cantu, cereos, sacrasque reliquias præferentibus ad S. Mariæ Nouæ concedit. Cum eò ventum est, Hippolyto, Socijsque Ecclesiæ datur, & attinentium iurium possessio. Quamdiù hoc Monasterium tenuerimus, cur deseruerimus, nihil habeo. Ne septuagenarius quidem de nostris Camers adhuc æuo fruens, referre quicquam potuit. Vnum ex Chronico Oliuetano excipitur, destitutum a nostris inutile, perniciosum. Seculo euoluto Fabritius Episcopus, & Iulius Cæsar Varanius, qui Principatum obtinebat Camerini nostrum obseruantissimi cum Pontifice agitant, vt S. Matthiæ de Colle Bouis sacrarum Deo Virginum Monasterium, quod S. Mariæ Annunciatæ vocitetur, aliò Antistita, binisque sodalibus adhuc viuentibus transductis permittat, & S. Matthiæ Monachorum victui pariter, & vestitui alia duo Cœnobia, & veteres Abbatias extra Vrbem itidem Virgineas attribuat, hoc est, S. Mariæ in sylua, vbi vna dumtaxat Virgo relicta est, & S. Gregorij de Dimatiano, cui multò ante ædes S. Mariæ, membri nomine adiungitur. Et Parœciam S. Petri de Silice Giolandrij Laicorum, vt aiunt, patronatus, quàm Rectores duo administrabant, S. Saluatoris de Stacto, & S. Michaelis de Antico, quarum vtraque sacrorum procuratione libera est, in perpetuum adscribat. Pontifex morem gerit. Octauo Cal. April. Episcopus cum Clericis, & Iulius Cęsar cum filijs rerum, quas ante diximus, possessionem nostris ampliùs quadraginta tradiderunt.

Camerino discedunt Oliuetani. Iulius Cæsar Varanius reuocat ad S. Mariæ de Colle Bouis.

De Monasterio Castilionensi. XLII.

Palauicinorū Marchionū pietas, & religio.



Mirandum sanè est animo complecti, quot Ædes, quot Abbatias, quot pia loca olim excitauerint, quā largiter dotauerint ditauerintq. vberrimis cēsibus, vt cognoui, Palauicini generis proceres suo in imperio finitimo Parmensi. Qua sint Deū veneratione prosecuti argumento est Abbatia S. Mariæ de Castilione, aut, quò sæpius nomine Tabulæ veteres vsurpant, de Marchionibus. Operis institutor fertur Adelbertus Marchio, cum Adeleida eius coniuge sexto ante sęculo. Auctor enim decedit supra millesimum trigesimū quartum, & in eodē Monasterio tumulatur. Legitur Cęnotaphium.

Adelbertus Marchio Palauicinus Monasteriū Castilionense molitur. Auctor Monasterij.

Hectoreos cineres, & Achillis busta superbi.
Cæsareumque caput pario hoc sub marmore tectum
Credere nou dubites pietate Adelbertus, & armis.
Inclytus Ausoniæ quondam spes fida carinæ
Quo Duce Romuleis Cyrnus subiecta triumphis
Gens, Italaque procul dispellitur vrbe.
Marchio Dux Latij sacer Aedis conditor huius,

Hac tumulatur humo, melior pars æthere gaudet.
Obijt anno salutis M. XXXIV. Die 6 Ianuarij.

Traditur Benedictinis, qui plurimos agros comparant, ac tempore procedente multas tenent Ecclesias, quamobrem anno à Deiparæ partu 1144. consistoriali diplomate ad Albertum Abbatem inscripto Lucius Pont. sex rata habet præ cæteris. *Ecclesiam Sancti Saluatoris de Basilica Ducis. Ecclesiam S. Remigij de Palude. Ecclesiam S. Eusebij de Graui. Ecclesiam S. Mariæ de Charitate, quæ in Mãtuano suburbio sita est. Cellam S. Benedicti de Guasto. Ecclesiam de Castello Iuoni. Ecclesiam de Tasaiolo. Quicquid possidetis in comitatu Lunensi, & Ianuensi, & in comitatu Mutinensi, in loco, qui dicitur Solaria, & Herbaria, & in Abbatia S. Mariæ de Corsica, quæ appellatur Plaidela, & in curte, quæ vocabatur Marcha regia, & in curte de Rupta Castello nouo, Casale Albini, & S. Andrea, &c.* In Commendationem postea redigitur, qualiscunque causa illa fuerit, quod alijs numero penè carentibus contigit, ex quibus permultæ in hodiernum vsq. diem perdurant. Anno delatæ salutis 1476. Danielem à Birago Prothonotarium Apostolicum, Archiepiscopum deinde Mitilenensem Commẽdatarium habeo. Is anno 1480. Cœnobium restituturus cum F. Ioanne Bedagiense Visitatore, & F. Io. Andrea à Birago Bedagiensium Priore, & F. Laurentio Modœtiensi Neruianensium Priore Oliuetanis rem communicat, Cœnobij partem attribuit, Rigazolæ possessionem, Plebem Octouillanam, domum in Burgo S. Donnini, 50. perticas syluarum in Taiagallio, & salis staria sex. Biennio post reliquum adiungit Cœnobium, Cremonæ domicilium, Stagni possessiones, & cultorum agrorum perticas, quas dicũt, octingentas, quæ ambiunt Monasterium, quarum tamen, ita enim conuenerat, fructus sibi reddantur viuenti, tabulis Pontificis auctoritate scriptis. Generalis Abbas F. Dominicus Leucanus præsens anno 1487. rerum omnium possessionem inijt, & Prioratum demãdauit, F. Francisco Briascano. Cum Monasterium magna ex parte stratum ruinis esset, id mea fert opinio, quod multos ante annos Actij Viceecomitis memoria, anno à Virginis partu 1339. bellis ita exarserat, vt Monachi ibi commorantes, quinquennium abesse coacti sint, manserintque in ædibus ad Cœnobium pertinentibus Florentiolæ, restitutionis initium factum est. Primarius lapis consacratur, & in imo ponitur anno 1494. 3. Cal. Sept. ab ipsomet Daniele, qui anno subsequenti naturæ satisfecit. Certa ferè omnibus fides est in tẽplo requiescere corpora SS. Prothi & Hiacynthi. Ego vero, neque oculis vsurpaui, nec graue quicquam de ea re legenti occurrit. Vnum duntaxat è tabulis animaduerti, anno, quem iam numerauimus nostræ salutis 1494. ab eodem Archiepiscopo priorem lapidem solemnibus cæremonijs consecratum, *ad laudem Dei, Beatæq; Mariæ Sanctorumque Prothi & Hiacynthi, quorum gloriosa corpora hac in Ecclesia requiescunt.*

Daniel à Birago Archiepiscopus, tradit Oliuetanis.

Reparatur bello excisum. Consecratur.

SS. Prothi & Hiacynthi corpora hoc Monasterio coluntur.

De Monasterio Buscano. XLIII.

D. Olimpius Iulianensis scribit historiam huius Monasterij.



E hoc Cenobio ante trigesimũ superque annum D. Olimpius Iulianensis, qui Abbatis postmodum, & Visitatoris munus obiuit, plura posteritati commendauit. Liber multis in locis ipsa, vt aiunt, manu Torquati Tassi expolitus in eodem asseruatur Monasterio. Quamuis alia non perscrutanti ex eo hanc mihi historiam texere licuisset, prima tamē exemplaria, quin euoluerim per me non stetit, vnde quædam ad propositum necessaria, quæ Olimpius prætermittit insuper excepi. Huius primordia Monasterij cũ Acconensibus, siue Montoliuetensibus cõueniunt, ita vt qui priorem nostræ huius Historiæ librum viderit, huncque videat, optimè intelligere, ac iudicare poterit. Annum igitur circiter 1300. homines religionis studio æstuantes diuino impulsu ab humanis omnino rebus abhorrere cæpti sunt, vt omnes, vno consilio, vitæ genus à popularium strepitu, &, quoad fieri posset, humano consortio remotissimum suscipere constituerint. Sedes eligitur in Valle Mazariensi, finibusque Calatamauri Episcopo, quòd ad sacra pertinet, Agrigẽtino subiecta. Locus montosus, nemorosus, satis horridus, &, quod longè optabilius fuit, duo amplius millia passuum ab omni planè domicilio disiunctus, voto persequendo maximè opportunus iudicatur. Hic Cœnobium excitantes habitare, solitariam, & austeram vitam traducere singularis alicuius disciplinæ instituto ab integerrimis viris proposito non addicti, singuli Spiritu sancto, quo solitudinem duce vsi sunt, admonente integram piamque rebus diuinis operam nauare. Hominum Ductor creditur Fatius quidam', cuius natale solum ignoratur. Si à nomine discesseris, nihil scias præterea. Templum fabricantur, & Deiparæ dedicatum ab ipso loco appellationem S. Mariæ de Busco mutuatur. Episcopus, cuius arbitrio, & consilio omnia gerebãtur ad Eremum anno Christianæ institutionis 1309. profectus x. calen. Quinctilis solemniùs sacrauit, Reliquijs in ara positis SS. Gregorij, & Girlandi, qui quidem illius Ciuitatis, & Diœcesis olim Episcopi, nunc Patroni. Ceterùm Præses Religiosis viris non tutum arbitratus, veritusque ne diutius permanere, ne proferri exoriens illa Congregatio latiùs posset nullum superiorem agnoscens, nulli sese deuouens, vel addicens proprio vitæ præscripto constantiam, & Obedientiã professa illis accuratè meditandũ proposuit. Suam quidem vitę formam, quamuis laudabilem adeo solutam, nec tanto apud superos merito; a publica rerum humanarum vicissitudine, hominumque imbecillitate posse aliquem facilè suspicari, modò aut in ipsis, aut in posteris, vel plurimum de asperitate remissuram, vel potius planè excidendam, Institutum quippe, & ædificiũ solidæ basi non impositum, nec inuiolabili data fide, Deo sub alicuius Præsidis imperio constanter inseruiendum. Tenuis quidem, aut nulla

Initia Monasterij S. Mariæ de Busco.

Fatius Dux, & Pater huius Eremi.

Episcopus Agrigentinus templum consacrat.

pijs hisce viris persuasio adhibenda fuit, consilio tamen capiendo annum præstituit, quo Diœcesano Antistiti sese obnoxios facere decreuerunt. Iulianam aduenienti sistunt se continuò Eremitæ, & in eius verbis profitentur. Professionis sententiam ad verbum eò libentiùs transcribo, quò antiquiores tabulæ, quæ de ipsis nominatim, & potissimùm de Fatio, quem, vti diximus, huius Eremi Auctorem habent, & Institutorem, cuius nusquam alibi, nomen reperias, meminerunt. *Episcopo Agrigenti nose subijciunt.*

IN nomine Domini. Amen. Ego F. Fatius Eremita in loco S. Mariæ de Busco Calatamauri Agrigentinæ diœcesis pro me, & fratribus degentibus in eodem loco, videlicet &c. profiteor nomine meo, & prædictorum fratrum volentibus, & consentientibus in manibus R. P. Bertuldi Dei gratia Episcopi Agrigentini, Regulam paupertatis secundum Euangelicam vitam, & sub forma sancti Euangelij velle viuere sine proprio in obedientia præfati Episcopi Agrigentini, & successorum suorũ canonicè intrantium, & in signum subiectionis quolibet anno in festo Translationis B. Gerlandi debere visitare dictã Ecclesiam per duos de fratribus, vel de ijs, qui pro tempore fuerint; Et si, quod absit, fratres succedentes, qui pro tempore fuerint, elegerint habere proprium sub alia quacunque Regula, vel etiam sub prædicta teneantur esse sub obedientia prædicti Episcopi, & successorum suorum, vt dictum est, & in signum subiectionis, visitationem, & procurationem facere, & recipere, & quolibet anno dictam Ecclesiam visitare cum vno rotulo ceræ. In quorum fidem &c. Dat. in Casali Iulianæ prædictæ Diœc. sub anno Millesimo trecentesimo decimo. Die 14. menses Nou. 9 Indict. Pontificatus Domini Clementis Papæ V. anno eius sexto † Nos Bertuldus &c. Ego F. Fatius &c. *F. Fatij Professio.*

SEd illud ipsum incommodum, quod in Montem Oliuetum maiorem primæui Oliuetanæ Reip. conditores perpessi, &, quod facilè credẽdum video, eadem de causa, Buscanæ huius Eremi cultores subierunt. Exorta illis temporibus, quæ tota clanculum Italia adaugebatur, facinorosorum hominum factio, qui noua vestium specie vtentes cum exiguis, insuetisque capitijs cultum verè Franciscanum iactitabant, & propterea multa disseminabant impia dogmata, multisq. optimè institutum, sanctèque fundatum Minoridum ordinem calumnijs insectabantur. Nuncupabantur angustæ, tenuisue vitæ Fratres, vel Bisochij, vel cinerei, vulgarius tamen Fraterculi. Cum tanto malo, quod, vtpote validum uirus, re vniuersa serpebat Catholica, grauissimo Christianorum discrimine, obuiam eumdum esset, Pontifex tum Io. XXII. scripta quædam diplomata ea de re protulit, ediditque, quorum alterum Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque Præsidibus inscriptum erat, cuius initium. *Gloriosam Ecclesiam non habentem maculam &c.* His omnibus, vt prophanũ damnauit, nullumque pronũciauit Franciscanum nuper Ordinem præsumptum, & hoc sacrarum rerum Præpositis edixit, vt ad se omnes illos conuocarent, qui in cuiusq. Diœcesi publico, & priuato vitæ genere vestes illas inducerent, maximè in S. Euangeli, verba iurati, eorumque Socij, & *Fraterculi Heretici.*

fau-

fi[illegible]tores, de fide, deque erratis, quæ literæ Pontificiæ adnotauerint, ac retulerint, interrogarent, & cum facto opus esset, teneret, in vincula conijcerent, & facinoris, Hæreticæq. labis compertos seuerissimè mulctarent. Episcopus Agrigentinus Pontificis mandata peracturus statim Xaccam S. Mariæ de Busco Cœnobitas in iudicium vocauit, instituti quidē non ignarus, sed F. Angelo Franciscanæ familiæ Generali Ministro id in Sicilia curantis fortasse deprecante, qui illos è numero Fraterculorum existimabat, tantoque magis, quòd eadem qua illi, & persimili cultus, specie operiebantur. Prodeunt Eremicolæ, hoc est Ioannes de Castellutio, quātum licet assequi coniectura, in Fatij locum iam forsitan demortui, (nihil enim de eo reperias) subrogatus, cum sodalibus octo ad Episcopum. Literæ Apostolicæ recitantur. Illi promptissimè obedituros testantur procumbentes. Eorum deinde vita diligenter excutitur. Apparent nullo infidelitatis, Apostasiæ, & consimilis maculæ næuo contaminati. Quo tamen parum sinceræ, sanctæque familiæ suspicio ab eis vsque absit penes Ecclesiæ Antistites, & alios, illa in posterum habitus forma prohibita, vel omnes Ordinem à Summis Pontificibus approbatum suscipere iubet, vel seiunctos Deo extra Conuentum, ac secessum singulos famulari, quamuis improbæ opinionis radicem, quæ de hac remotiori vita mentibus humanis insidere possit, excisurus. Aliquandiu suspensi vna omnes voce respondent, sese libenter vestes illas amandaturos, & Monasticum, siue Cinereum, siue Camellinum cum Benedictino præscripto vestimentum assumpturos, & Deo his legibus in eadem sede operam perpetuam præstituros, propterea obsecrare, ex eadē vitæ formula professionem accipiat, aliquem præficiat, salua quidem futuri temporis potestate, quo ad eos ipsos Præsidis electio pertineret. His confirmatis, & præclarè commendatis Antistes Ioannem, de quo meminimus, sacerdotio initiatum, & Pacium Corleanensem profitentes excipit, annuum spatium, quod Religiosis viris ad probationem datur, prætermittens, Priorem renunciat Ioannem, ita sanè, vt in futurum eligant ipsi, electumque comprobet Episcopus. Omnibus assentientes Monachi (dehinc ita nominabimus) se Priori dicto audientes fore, propositam disciplinam seruaturos, nihil priuatim, sed publicè possidentes Episcopum, & successores obseruaturos, quo die anniuersaria Translationis S. Girlandi celebritas recurrit, Ecclesiam, & Pastorem Agrigentinum inuisuros in subiectionis testificationē cereum è rotula cerea confectum præbituros promittunt. Altera verò ex parte Episcopus se visitaturum, correpturum, & quocunque loco, aut tēpore, opem, studium, patrocinium delaturum profitetur, Idq. anno à natalibus Christi 1318. 18. cal. Aprilis. Tantùm deinde optimi, pijque viri in Benedictina disciplina profecerunt, tamque gratum, & iucundum suæ sanctitatis odorem effuderunt, singulari præsertim, ac pietatis plena, qua ad Monasterij accedentes excipiebant hospitalitate, vt aliena prædia, bonaque externa permulta consequi cœperint. Anno 1359. duobus, vt cum Siculis loquar, Aratatis circa Monasterium donantur (emunt fortasse)

Episcopus Priorē Eremitis, vel Monachis praponit.

Eremitæ, vel Monachi multa bona exemplo assequuntur.

taffe) tria millia passuum, quę fama est, circundantibus, quę ad alimenta conferant. Hodie passim syluestria. Fines anno Redemptoris 1401. protenduntur. Strasactum, & magnam Gurgitis partem complectentes ab Infante Eleonora Friderici III. (IV. Fazellus) consobrina, & de Monasterio optimè merita, in cuius ęde, tumulo, quod etiam apparet, mandari voluit. Illius tamen voto satis non faciunt cognati. Fit quoque aliorũ prædiorum accessio, quorum enumeratione à consilio meo aliena supersedeo. Præsulis imperia seruabant Cœnobitę, his Priorem eligentibus, illo approbante, cum anno 1400. F. Benedictus Moniacius. Bonif. IX. exorauit amplissimum diploma, quo titulo Monasterium decorauit Abbatiali, vt, in futurum, qui Prioris nomine gaudebat, sine alterius probatione Abbas diceretur, honoribus, ac priuilegijs veluti à Pontifice consecratus, qui ab imperio exemptum Episcopi in Ecclesię Romanę fidem acceperat. Durius id accedit Pręsidi Agrigentino, & iram, data occasione, euomuit. Antonius Guilius Archipresbiter Iulianẽsis anno salutis 1407 fato concesserat, Monachos hæredes instituerat; Episcopus quartam sibi ex hæreditate Canonicam postulat. Prolatum supradictum diploma ab eodem Pontifice literis nescio quibus postea datis rescissum sustinet; Itaq. ignota causa Agrigentinorũ Præsidum imperia Monachi rursus perferunt consuetum censum, aliaque tributa exoluentes, & Abbas Ioannes de Portu anno à Virginis partu 1421. Benedicto substitutus Episcopum confirmandus adit, eoque insuper onere confirmatur, vt propter superiores controuersias pro cerea rotula, qua primæui Patres Episcopale Imperium testabantur, duæ deinceps pendantur, & iureiurando Abbas adigitur, se nihil amplius aduersus ditionem Agrigentinam moliturum. Abbas tamen tempori fortasse, seruiens, vel onus ab Episcopo impositum considerans de priuilegio Bonifacij in Vrbe comprobando, deque Episcopi iure euertendo clanculum agit. Omnia Martinum Quintum anno Euangelico 1423. exorat, Bonifacij in suis abolitionibus Priuil. gium S. Mariæ de Busco, vt Præses Agrigentinus volebat, nequaquam abrogasse. Eo in posterum nihil Monasterio negocij à Præsulibus Agrigentinis, censum, siue aliud quippiam exacturis, & nonnullos post annos à Regijs Procuratoribus sacris quoque ædibus vectigalia imponẽtibus. Rex enim Alphonsus anno 1433. cuiuslibet collectionis, mutuationis, postulationis, & cuiuscũque vectigalis, quod ipse vel successores, aut eorum Præfecti Siculis vnquam constituissent, immunitate donauit, de quo beneficio anno consequente Eugenius quoque Pontifex diploma conscripsit. Anno Domini nostri 1445. Ioannem in Abbatiatu Placidus Benciuennius subsequitur. Is quidem data opera, vt omnes immunitates, omnia priuilegia Monasterio olim concessa Pontifex rata faciat, facilè impetrat. Nullum Abbatẽ lego ad annum vsque 1468. quo ad Abbatiale munus F. Placidus Castanetus euocatur, ab Episcopo Mazariensi consecratur, à Pontifice confirmatus. Neque minus quam antea Monasterium sacræ disciplinæ cultu efflo-

Eleonora Friderici III. consobrina eius Eremũ beneficat.

Abbatialis titulus à Monachis Monasterio impetratur, cum alijs priuilegijs quibus liberantur à potestate Episcopi.

Episcopus per occasionem Monachos vlciscitur.

Episcopo iterum succumbunt.

Alphõsus Rex ampla quadã immunitate donat Monasterium.

efflorescebat. Argumento esse mihi videtur, quòd Cardinalis Montere galensis Benedictinam vitæ formam illa in Ecclesia excitaturus, siue instauraturus petierit, ac deinde literis à Pontifice acceptis iusser t mitti ad se Monachum nomine Gherardum, & paulo post alios duos eximia vitæ sanctimonia decoros, qui suo exemplo ibidem renouarent, aut ad summum Benedictinorum Monachorum vitam reuocarēt. Eadem tempestate Oliuetanum institutum tota Italia ita explendescebat, vt nostræ Congregationi sese adiungere Placido Abbati, Sodalibusque in mētem venerit. Rege Ferdinando, & Regina Isabella annuentibus, & adiuuantibus cum vtriusque literis ad complures Cardinales conscriptis ad Vrbem venit. Per Montem Oliuetum Maiorem iter faciens, eorumque Monachorum ritus, vitæque rationem cognoscens ad optata peragenda, magis incenditur. Cum primùm Romæ fuit, & relata res est, abijt præfe ctura apud Innoc. VIII. à quo, & diploma accepit. Eo in Buscano Cœnobio ordinem illum extinxit, Oliuetanum erexit, ita vt dehinc tanquā Oliuetanæ Congregationis membrum haberetur, & gubernaretur, perpetuò Abbatis munere Placidum exornauit, nigras, & duriores vestes quibus antea vterentur ipsi pariter, & duobus, quos è cæteris (duo numerabantur, & uiginti) voluerit adhibendi potestate facta, ea lege, vt tam isti, quàm alij quicunque candidas induerent ad Oliuetanos mores sese fingerent, & conformarent. Negocium anno ab homine reparato 1491. v. idus Septembres, per Placidum Abbatē confectum, Buscanis omnia impendentibus, Oliuetanis nihil suppeditantibus. Postero anno F. Ioannes Bedagiensis noster Abbas Generalis mittit qui suo, totiusq; Congregationis nomine in possessionem accipiant, F. Michaelem Volaterranum Priorem cum nouem Sodalibus. Accipitur autem v. id Ian. Placidus Abbas, inquiunt, Inlianensis, Patre tamē Hispano genitus, & ante & post Abbatiatum virum sese præstitit rerum tractatione egregium, optimisque virtutibus illustrem. Sunt etiam qui dicant, in Hispaniam aliquando contendisse Panormitanorum Oratorem, ibique de Monasterio Buscano nobis adscribendo cum Rege, & Regina collocutum. Post aggregationem nouennium degit, nihil administrans, vel ex ipso diplomate, Abbas. Migrauit è vita anno Christi 1501. Aetatis 66. Abbatiatus 32. vii. id. Febr. Hac tempestate Monasterium, & mole speciosissimum & censu nostræ Congregationis, ne dicam Siciliæ, opulētissimum. Vtrumque acceptum referimus D. Prothasio Picciolo Corleonensi. Is enim cū annum circiter decimum, & septimum Occonomiam in Busco obijsset, & quo grauissimè premebatur, ære alieno magno cum labore, & studio eleuasset, optimumque in locum redegisset anno 1593. Abbas præficitur in triennium, quo quidem expleto Visitator renūciatus, Airolam Abbas concedit, vnde cum annus euolueretur in eodem sæculo nonus, & nonagesimus ad Buscanos regendos iterum reuocatus, noui Monasterij tertio post anno ædificationem constituit, & vetere desolato præter ea, quæ Monachi interim habitarent, magnificum, quod modo spectatur opus constituit.

Cardinalis Montere galensis ex S. Maria de Busco Monachos accepit ad restitutionē Ordinis Benedictini.

Monachi in Ordinē Oliuetanū assumuntur.

F. Placidus Abbas in Monasterio S. Maria eximius.

D. Prothasius Corleonensis Abbas.

constituit. Anno 1602. Proabbas, & 1605. Abbas Generalis à Congregatione declaratur operi sexennium insistere non potuit, tamen curare non desiit, & quanta licuit contentione efficere, vt Præsides eò destinati cæptis instarent. Vt verò omnia bene, & ratione ædificarentur, sicuti præclarus ille Xeusis ex lectissimis Agrigentinis puellis formosam Iunonem edidit, efformauitq., ita Prothasius quicquid artificiosum, quicquid Architectonicum in Oliuetanis ædificijs perspexisset delineandum, & ad Buscum mittendum curabat, his mandatis, vt modò hanc, modò illam partem pro illa descriptione, siue forma fabricarentur. Vitæ curriculum absoluit, cum huic Monasterio Abbas præsideret anno restitutæ salutis 1608. xv. cal. Sept. Corleone. Quædam modò tradenda sunt de Monasterio, vel Prioratu S. Leonardi extra Clusam, & de templo Marinei Busco subiectis. Ædem S. Leonardi religionis studio condidit anno 1421. Nicolaus Peraltus Clusæ Dominus, & Calatamauri, & Monasterio S. Martini de Scalis à Monte Regali Benedictino attributum, donoq. allatum, vt duo tunc Cœnobitæ commorarentur, agro adiacente dotauit, & septem variorum censuum vncijs, eo decreto, vt ad Dominũ, suosq. hæredes perpetuò spectaret iurispatrocinium, Episcopus Agrigentinus Priorem ab ipso, vel ab ipsis propositum confirmaret: ille autem in subiectionis testimonium, quo die S. Girlandi gloriosa Natalitia peraguntur Cereum rotuli vnius, & dimidij pondere singulis annis acciperet. Ita factum ad annum vsque 1575. cum Antonius de Carosina Prior, & Maurus de Scacciaferro Monachus cum Abbate Buscano de S. Leonardo adiungendi, deque Oliuetano habitu assumendo egerunt. Tunc commodùm cogitabant Buscani de aliquo domicilio Clusæ in Valetudinarium comparando Busco à frequentibus locis, & à medicis remotissimo. Quare, cum Prioratus S. Leonardi in eodem oppido Sacerdotium, siue Aedẽ S. Ioannis nomine possideret statuunt negotiũ accuratissimè pertractandum. Consulto Ioanne Iuuenio de Cardona Comite Clusæ, & Marchione Iulianæ non inconsulto, S. Leonardi, & S. Ioannis Buscano Cœnobio cum omnibus possessionibus, adiunctio consecuta est, & duo Cœnobitæ à D. Ioseph Neapolitano Abbate, eius Conuentu, vt fieri solet, non abnuente, in Oliuetanam disciplinam excipiuntur. Aedes verò Marinei sic ad nos. Sexagesimus annus est, cum Franciscus Bolonius Ciphalæ, & Capacis Baro Oppidum extruxit, indito nomine Marineum. Voluit, vt Busci, & S. Spiritus Abbates ibi Monasterium, huic & templo area per ipsũ constituta, in Virginis honorem collocarent, eiusque titulum præseferret, vbi quatuor saltem Sacerdotes sacra mysteria oppidanis administraturi, æuum ducerent, &, quod ad sacra interest, esset omnino in fide, ac potestate (id se à Pontifice impetraturum dixit) Abbatis Buscani, vt nihil inibi Archiepiscopo Panormitano negocij, sed Abbas in Marineates Episcopali qua posset, auctoritate fungeretur. In dotem præter annuas vncias viginti permulta alia, quæ percensere longum sit, assignata. Monachi Aedes, & Cœnobium, quod cernitur, moliuntur, & sacra quoque

Monasteriũ S. Leonardi.

Templum Marinei.

impertiendi potestatem eo in oppido per aliquot annos retinent. Caeterum re à Panormitanorum Pontifice in controuersiam vocata, quanquā semel atque iterum pro nobis iudicatum sit, litigio supersessum. Quadragesimus annus agitur quo ab hac iurisdictione suspensi sunt. Propterea ne vllus quidem inde percipitur fructus, sacra omnis administratio deposita, siue quae ad Marineates, seu quae ad Baronem ipsum pertineret, quā antea sustinuerant. Buscum priuilegio fruitur, quod anno restitutae salutis 1366. Rex Fridericus de regijs Thymnis Panormitanis detulit, quod à Martino anno 1393. & ab Alphonso anno 1448. Regibus ratum firmumque habitū est, Publicani duodecim salitae Thymninae doliola quotannis huic Monasterio piae munificentiae loco in perpetuum tribuant. Altero quoque gaudet ab Alphonso Rege 1442. concessum, vt è portu Panormitano Casei caballei, siue alterius generis tantum extrahant, quantum vncias decem attingat. Tantum profectò beneficium anno 1478. à Ioanne Rege amplificatum, vt si quando Monachis pecudes deficerent, quae tantum Casei praeberent, tot merces efferre possent, quot vncias antedictas explerent. Fuit quondam huic Monasterio apud Corleonenses templum S. Iacobi cum aedibus nonnullis, nec non cum horto non longiùs distante, Ranerius quidam Simbardus Buscanae solitudinis auctoribus muneris loco dedit, quo tanquam hospitio vterentur; vel eà praetergressi, vel eò ad Coenobitica negocia profecti. Aedicula similiter S. Michaeli in primario Clusae templo conseruata, quam vti iuripatronatus obtentam reperio an. 1433. Denum in flumine Platano inter Agrigentum, & Xaccham defluente aduiatores transuehendos linter, & mercedis ab illis exigendae facultas anno 1489. à Rege Ferdinando permissa. Hodie tamen lintro, aede, atque aedicula caremus.

Priuilegiū à Rege Friderico datum.

De Monasterio Castellonensi. XLIV.



DE prisca Formiarum Vrbe Scriptoribus aliquid dubitationis datum videtur contrane Caietam steterit, vbi modo Castellonum (villam, dicit Leander) an verò aduersus Molam contrariam (ita ille) inde mille passibus minus distantem, an demum in altera huius speciosi, amoeniq; e littoris parte. Eximit quicquid est in dubio Tabularium Abbatiae S. Erasmi, vnde profectò affirmandum in Mola, siue potius Castellono extitisse. A Saracenis diruitur anno à Virgine pariente 856. Hinc ossa S. Erasmi Episcopi, & martyris, & à Gregorio Pontifice, sedes Episcopalis Caietam transfertur. Via Appia totaque regione contemplanti multa circumiecta sese offerunt vestigia. Hortus in primis et m Coenobio marmorum, Porphyritum, columnarum, coronidū m, inscriptionum, ruderum, & monumentorū fragmentis paucis nobilissimae, & clarissimae Vrbis reliquijs maximè spectabilis. Castellonum autem recens est ab Honorato Gaetano Fundorum Comite

Formiae quae fuit, è dubio est. Statuitur, vbi modo Castellonum, fuisse.

Honoratus Gaietanus Fūdorum Comes nuper Castellonum extruxit.

Comite ita perhibent extructum, vt proinde appellaretur quondam S. Erasmi de Formijs non de Castellono. Anno supradecimum sæculum à Virginis partu 38. sic legitur. *Chuonradus diuina fauente Clementia Romanorum Imperator &c. accepimus Abbatem Docibilem cum suis fratribus, ipsumq. Monasterium &c. in honore S. Herasmi iuxta Ciuitatem Formianam constructum* (hæc mihi coniectura est eo tempore Formias manere,) *& Cappellam S. Thomæ Apostoli cum omnibus suis pertinentijs, & quicquid habetis infra* (aut *intra*) *Ciuitatem Gaietam & in valle Orazoni, & in Paniano cum omnibus casis, vineis &c. & sub nostri mundiburdij defensione &c.* Anno 1137. *Ioannes Abbas Monasterij B. Erasmi Episcopi, & Mart. cuius aula honorifice constructa esse videtur in Furmianæ Ciuitatis destructe* (fortassis, *districtu*) &c. Anno similiter 1145. *Ego &c. offero, do, & concedo tibi..... Monasterio B. Erasmi Episcopi, & Martyris, qui honorificè constructum esse videtur iuxta Furmia, & ciuitatis destructe &c.* Anno autem 1220. Imperator nullam de Formijs, vel de Castellono mentionem facit. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Aug. & Rex Siciliæ &c. nos attendentes Religionem, & honestatem venerabilis Abbatis Monasterij S. Herasmi siti in territ. Caietan. &c.* Perātiqua imperia Monasterij Innoc. II. præclarè ostendit edito diplomate anno 1143. cum Paschalem secundum anno 1099. imitatus quæcunque possidet rata faciat, & nominatim, *Ecclesiam S. Mariæ de Crotellis cum omnibus suis pertinentijs, Ecclesiam S. Nicolai de Flumicello cum molendino vno, & omnibus suis pertin. Ecclesiam S. Petri in Virga cum o. s. p. Ecclesiam S. Ianuarij, & S. Ioannis de Trullo cum omnibus earum pertin. Terram, quæ est iuxta Flumicellum de mar.... Terram quæ est in portu Ciliciæ. Quatuor sediamina apud Molas, & quatuor molendina, & orticella, & curtem vnam de vineis ibidem. Ecclesiam S. Mariæ cum Castellone* (ex eo quod dicitur, *cum*, non autem de Castellono existimandum puto Abbatem in Castellono dominatum) *Terram totam, & vineas, & hortos, quæ sunt circa, & supra Monasterium, Terras, quæ sunt in Piruli, & quæ sunt in..... Ecclesiam S. Mariæ de Nuce. Ecclesiam S. Vrbani cum earum pertin. &c.* Hanc Abbatiam anno Christianæ institutionis 1490. Iuliano Cardinale tit. S. Petri in Vincula Commendatario possidenti Alphonsus noster Aragonensis Calabriæ Dux significauit se illo non inuito, 334. aureorum pensione imposita, eam nobis Oliuetanis permisisse Ferdinandi Regis Patris opera Pōtificem exorauit, prid. id. Decemb. anno consequente. Hinc animaduertendum existimo eodē die à Pontifice seorsum Castellonensibus literas conscriptas, quos Monasterio subdito appellauit. *Innocentius &c. Dilectis filijs Vasallis Monasterij S. Erasmi de Castellione Molæ Reg. S. Benedicti M. Olïueti &c.* Alijs item datis literis adiungit, vt Abbas per domesticum aliquem seu externum Sacerdotem, quod magis probauerit curam animarum eo in loco exercendam curet. Proximo anno F. Ioannes Bedagiensis summo cum Imperio Oliuetanis præpositus cum Neapoli ad Montem Oliuetum consedisset, ad possessionem eò dimisit F. Iacobū Carpensem ex primarijs apud eundem Calabriæ Ducē Æditius, & F. Ioannem Ferrariensem Priorem Nea-

Alphōsus Aragonensis Dux Calabriæ Monasterium Castellonē se nobis à Pontifice obtinet.

Castellonenses Monasterio subiecti.

F. Iacobus Carpensis Oliuetan. apud Alphōs. Arag. Calabriæ Ducē Æditius.

poli,& F.Gasparē Salernitanū ibidē œconomū. Comitijs anno 1493. habitis cū socijs primus Abbas F. Thomas Brabātinus destinatur. Ad annū 1532. nihil commemoratione dignum occurrit. Sub id temporis fundauerant, & religionis ergo erexerant Castellonenses ad limina Castelloni S. Sebastiano ædiculam volente Pontifice, à quo, vt ibi Catholica mysteria haberentur, & pro arbitrio stipes vnde vnde collatæ expenderentur impetratum. Abbas valde commotus obtestatur Diploma malis artibus expressum, Oratorium Parœciæ finibus includatur, propterea nec sacra faciant, nec Sacerdotem constituant, neque aliud quidpiam efficiant, non suffragante Abbate. Illis contra nitentibus, vtrique ad eruditissimum Cardinalem Thomam de Vio Caietæ Episcopum sese referunt. Illæ tandem conditiones latæ. Sacellum, turrisque campanaria, & quanta sunt eadem qualia permaneant, nulla vnquam aucta ædificio. Campana si frangatur, altera eadem magnitudine reponatur. Nullum sepulcrum effodiatur, & iam effossum humo ingesta claudatur. Cuiuscunque legata siue prædiorum, siue supellectilium, quę aliquid Monasterio, vel reddant vel subijciant intra annum veneant, pretium Oratorio adscribatur ad vestes, sacraque ornamenta Sodalium, & præfectorum voluntate comparanda. Nihil amplificetur, nulli sacrę familię, ne Presbyteris quidem in perpetuum tradatur, curia nunquam instituatur, nulla Sacramentorum sit administratio. Pręfecti, & Sodales eligant Sacerdotes duos populares, quos ad Abbatem perducant, vt alterutrum designet, qui negociosis tantum diebus sacrificet. In peruigilijs SS. Sebastiani, & Rochi Vesperas decantandi, diebus verò festis mysteria Orthodoxa peragendi sit potestas, Abbate, socijsque accersitis, quibus abnuentibus, alios pro sententia conuocent. Die tandem S. Sebastiano sacra cereo librali legitimam Monachorum Dominationem profiteantur. Decreta & hodie seruantur. Cœnobium Deiparę Virginis imaguncula, quàm maximè venerantur indigenę collustratur. Cētesimus propemodū annus agitur, cū propter admirabilia, & singularia, quę dedit beneficia longè maior fuit mortaliū concursus. Proinde Adriano VI. Pontifice Caietani amotionem aliò transferendę sępius moliuntur. Pontifex id exoratus Caietę Procpiscopum, anno Christiano 1523. indignabundus literis monitum voluit, se non mediocriter admirari, quod cum Christi fideles in Virginei cultus augmentum mutuò conspirare debuerint, *Nihilominus istius Ciuitatis Communitas* (verba sunt Pontificis ad Procpiscopum) *& ciues nescitur quo spiritu ducti dictam imaginem inde amouere, alibique ponere pluries tentarunt, in diesque magis tentant in graue dicti Monasterij praeiudicium, & scandalum plurimorum. Quare pro parte Abbatis &c. prouidere &c. dignaremur. Nos itaque considerātes, quod cum Deus mirabilia sua vbi vult operetur, verisimiliter dubitandum est si ab Ecclesia præfata imago ipsa remoueretur, idem forsitan alibi haud efficeret, mutatioque huiusmodi sine graui populorum murmure, & scādalo non transiret.* Ideo dare operam iubet ne Ciues grauissimis censuris, pęnisque si minus obediant constringendi, per aliquam simulationem, & causam de sacri Iconis

Lis de Aedicula S. Sebastiani inter Castellonenses & Abbatem.

Thomas Cardinalis, de Vio Caieta decendit.

Virginis imago summa venerationis.

nis translatione agitent. Quod ad humana, & temporaria spectat, Monasterium vetustissimo vtitur liberi mercatus priuilegio, quo die colitur S. Erasmus, & sequenti. A Carolo V. anno 1532. ad consequens biduum protrahitur. Remotissimum, quod ea de re perspexerim monumentum, occurrit anno 1475. & loquitur de eo, vtpote multos ante annos vsitato. Accedit huc, quod Castellonensium nemini domi suæ ad coquendũ panem priuato vti furno licet, sed eo quod iusserit Monasteriũ, & si quis proprium aliquando extruere tentauerit, Abbatis imperio disturbatum est. Hinc aureos octoginta ad Monasterium prouenire affirmant. Testes appello literas Ioannæ Reginæ ad Caietæ Ducem anno Christi 1426. 8. id. Sept. vt quam Monasterium obtinuit possessionem tueatur, *redditaum, seruiciorum, extaleorum, fructuum, mortuorum, funerum, honorationum, & caeterorum aliorum debitorum secundum antiquam, & approbatam consuetudinem pro mortuis in dicto Castellono, nec non iurium furnorum &c.* Cumque Lirij, hodie Gariliano flumini, nullum è nostris hoc propius Cœnobium iaceat, trado hic posteritati anno à salute parta 1532. Isabellam Columnam Gonzagam Ducem Traiecti, & Fundorum Comitem, omnes nos Oliuetanos, seruos, equos, portorij immunitate scapha ea, quæ præsto est transuectos donauisse. Ratam proximè habuit immunitatem Isabella Gonzaga Columna Princeps Stiliani cùm annus ageretur 1606. Plura de hoc Cœnobio dedissent Historiæ, nisi anno Christi 1532. vnà cum Castellono à Turcis direptum exustumque esset. Complures eæq. gratissimæ tabulæ tunc temporis interierunt, qua re de tam honorifica Abbatia non exigua nobis eripitur scribendi materia. Ædes quam hac memoria cernimus anno Domini 1560. & 1561. à direptione ab incẽdio per D. Theophilum Auersanum, & D. Placidum Aquilanum Oliuetanos Abbates restituitur, prægraui nummum expensa octingentorum in primis aureorũ, eoque amplius, quos fabrorum præfectis pependerunt.

Priuilegia quibus in hoc Monasterio gaudemus.

De Monasterio Fundano. XLV.



Vemadmodum cæteris nostræ Congregationis Monasterijs Fundanum, & natura, & mole perpaucis modò antefertur, ita non in nostrorum solum, sed & Benedictinorũ numero antiquissimorum reponendum, plerisque fortasse iurisdictione nihil concedens. Fuit enim ex illis, in quibus gloriosissimus Pater suum satis nunquam laudatum vitæ genus nouit exerceri, cum ante biennium, quàm ad cælestem gloriam euolauerit anno post Christum natum 543. à Marino, & Ioanne Consulibus, seu Ducibus, seu Comitibus (sic variè nuncupantur) Caietę acceperit, vt per consequentia manifestatur.

Monasterij Fũdani nobilitas.

I*N nom. sanctæ, & Ind. Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus Sãcti. Amẽ. Noverint vniuersi, & singuli hoc præsens publicum transumptum instrumentũ, seu exemplum*

Caieta Cõsulum vel Ducũ Ma

rini, et Ioã nis Oblatio, vel donatio vetustissima anno scilicet 543.

exemplum inspecturi tam præsentes, quàm successiue futuri, quod nos Venerabilis Brunus de Neapoli Gubernator Cassinensis Generalis pro tribunali sedentes in palatio Cassinensi in banco iuris solito ad iura reddēdum habuimus, vidimus, & diligenter inspeximus quoddam publicum priuilegium in bergameno scriptum literis Longobardis coram nobis exhibitum, & præsentatum per Reuerendum fratrem Thomasium de Neapoli Cellerarium, Procuratorem, Syndicum, & yconomum Vener. Monast. S. Manni de Fundis ord. S. Benedicti de Monte Oliueto. In camera scripturarum sacri Monasterij Cassinensis inuentum ad eius instantiam, & requisitionem, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte suspectū, prout in eius facie apparebat, sed omnimodo suspitione carens, licet in aliqua sui parte propter temporum vetustatem corrosum aliqualiter, & extricatum. Cuius tenor talis est de verbo ad verbum, & primò à tergo. Oblatio facta Monasterio. S. Manni de Fundis per Marinum, & Ioannem Duces, & Comites Gaietæ, & Fundanæ ciuitatis de omni territorio, quod habet Monasterium S. Manni in territorio ciuitatis Fundanæ DXLIII. Intus vero. In nomine Domini nostri Iesu Christi. mense Octomber. Ind. octona. Gaiete. Marinus, & Ioannes Pater, & filius nostris quoque temporibus Consulatus, Ducatusque anno secundo Deo propitianti atque dispensatoribus Beati Venerandique Cœnobij S. Manni, quo & Beati Angeli Michaelis. Ioannes venerabilis Abbas eiusque posteris successoribus quotiens illa à vobis tribus sperant, quæ ratione cōmutantur conueniunt animo vos decet libenti concedere, & petentium desiderijs congruum impartire suffragium, & vt prouidam legem sanxit autoritas, & vt cunctis dedit licentiam, vt ea quę nos, & vnusquisque sponte largitur perfecti sumant vnusquisque de legibus firmitatem, nec reuocandi ius habere poterit, quicquid de libero confertur arbitrio, & ideo arbitramur nos Marinus, & Ioannes Pater, & Filius Dominique seruatores cum Consules, & Duces Gaietæ, & Fundani ciuitatis cum cunctis illorum pertinentijs, quia postulastis a nobis vos, qui supra humilis, venerabilisque Abbas Cœnobij ita vt diximus sancti Manni Christi Confessoris, quatenus per præcepti seriem Concedimus vobis, uestrisque posteris successoribus idem quantum perpetualiter debet esse iure, dominatuque possessionis cōmorantes Deoque ibi seruientes sancti iam dicti Beati Manni. L. Concludimus circumdati ex omni latere pro redemptione animæ nostrę & pro populis ibi confugientibus salute Incipientes ab ipsis Licinis biffutis, qui sunt directi desuper comodo descendit fossatum intro, quod per linearum de Rauiniano, & mittit vsque in ipsa forma, & sicut vadit iam dicta ipsa forma per directū, & comodo directe videtur reuoluere ab ipsa dicta forma vsque in ipso ponti lignitio, quod nostris temporibus, & vsque hodie vocatur de Romani deus trati sicuti directi tenditur reditum in ipsa forma, & ab ipso ponti lignitio, quod dicitur de Romani in vsum sicuti decurrit ipsum Flumicellum de subtus ipso ponti, & vsque in silice, & comodo directi graditur ipsa silex vsque in ipsam viam Carrariam comodo ascendit ipsa via Carraria, & directi vadit vsque in ipsa fontana qui dicitur de S. Marco, & ex inde sicuti directi ascendit in sursum in vertice Montis Archani quantum rependigine aquæ est super vos descendentis, & à vertice Montis Arcinani comodo vadit per verticem montis de Sancto Mauro (vel, Marco) & vsq; directi in ipsam quercum pausatorium, & ab ipsa querqua pausatoria in directum per

per verticem montis de Santo Aghabito, & item per verticem montis aquæ viuæ & iterum giratim peruenit directi, & comodo reuoluitur vsque ad ipsos primos vt diximus superius Licinios Biffutos, qui sunt in prima fine quantum videtur continere in hoc volumine præcepti in giro, & giro quantum in ipsis finibus, & infra esse videtur idest fluminibus, riuis, aquis, molendinis, fontibus, gurgitibus, locis, humettibus, cãpis, siluis, appẽdicibus, mõtibus, vallibus, parietinis, Ecclesiis recõciliatis, & inrecõciliatis pratis, pascuis cultis, & incultis, terris, vineis, sationalibus, & insationalibus, glandatijs, arboribus glandarijs, & inglandarijs paludibus tumulentibus salectibus, & salicetis virgarijs ficundeis cunctis, & ab antiquis habitationibus puteis adiacentibus lignis pro operibus hominum, & pro clusuris sæpis, limitibus cultis, & incultis forestis, lignas pro incidendum, & non ad incidendum, arboribus pomiferis, & impomiferis, turribus, defensionibus, mansionibus, fabricis nouis, & vetustis, griptis cerenarijs, transitorijs, ad que perendis omnibus ibi sunt intra istas fines intus habitibus ex omnibus lateribus, & infra, & vsque in cacumine montium quãtum aqua reuertitur super vos fuerit cum omnia, & in omnibus pertinẽtibus subter vel super quantũ vbidem natũ, & nascere visum fuerit, qui ibi infra predictos fines pertinet, vel pertinenter fuerit integris, & per integre vobis concessimus, & vestris posteris successiue vsque in sempiternum emissa preceptione retinendi gubernandi, conseruandi regendi pro vtilitati dicti uestri Cœnobij, nostrique beati Magni Christi Confessoris insuper Dei amore, nostræque animæ remedio, & salute. Promittimus nos tam pro nostris hæredibus, quam, & posterioribus nostris succedentibus vobis qui supra Ioãnes venerabili Abbati, & à uestris posteris successoribus antestare, & defendere ab omnibus hominibus pro eo quod commẽdati sunt in vestris vestrarumque successione, quam omnium fratrum orationibus Dei subueuienti misericordia, inclinati enim pro vestris orationibus, & precibus fuimus infra claustra nostri cordis, eaque arcana habuimus semper, nunc autem vobis reseruauimus, ex omnia vobis patefecimus, quòd cupitis Deò tuenti a præsenti octo ne Inditione, & vsque in sempiternum hoc quantum, & comodo superius legitur vobis, vestrisque posteribus successiue obtinendum, per huius seriem præcepti quicumque tam magna, quam, & parua persona, tam nos qui supra Marinus, & Ioannes, quam, & nostris hæredibus, vel quiuis ex posteris nostris successorum qui vobis, qui supra Venerabilis Ioannis Abbati, vel ex eorum successorum commorantibus in dicto Cœnobio, vbi nunc Deo auctoritati deseruitis hæc pagina huius præcepti inanire quisierit, vel de eis quem continentur minuere, aut exsorbiare voluerit quicumque hęc impedire uoluerit habeat maledictionem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, & Spiritu Sancto Anatema a tregentis decem, & octo patribus, partemque habeat cum impio Iuda traditore Domini nostri Iesu Christi, & nunquam quiescat in futuro iudicio, donec cũ impijs finis iudiciũ prætereat. Insuper compositure subiaceat, eademque persona quæ hoc inquietare voluerit vel præsum pserit tam vobis, quam vestris posteris successiue compositurus pœnę nominis Auri Errici eidem libras quinquaginta, & præsens nostra iam superius dicta concessio præcepti firma, & stabilis permaneat in perpetuum, quemadmodum impetrarunt à nobis concedere, & facere omnes nobiles, parentesque Gaietę nostres, & nos quidem inclinati precibus illorum, & vestris sicut actum est, congruum nobis fuit

sic illum

sic illum disposuimus scribendo à Ioanne præsbytero, & scriba ciuitatis huius in mense, & Inditione supradicta. Ind. octaua. Inuiolabilis seruandam, atque custodiendum pro iuris dominatuque Sancti Magni regendam. Ego Marinus Consul, & Dux subscripsi. Ego Ioannes Consul, & Dux subscripsi. Ego Mauronestes testis. Ego Ioannes filius Domini Ioannis. Ego Emiro filio Enaraldi. Ego Ioannes præsbiter, & scriba ciuitatis huius sicut mihi dictatum est per visionem Domini, & Duces compleui, & roboraui præsens testium roborationem in mense, & inditione supradicta octaua. Concordat cum authentico, &c. 1592. 7. Nou. per Ioannem Acticanum Casinatem, & alios notarios. In Ciuitate S. Germani in palatio Casin.

AD annum vsque 1172. nihil assequor de Cœnobio. Eo quidem anno Fundanus Præses, & Montecassinensis Abbas iampridem dissidentes ita componunt, vt Abbas agrum nescio quem in sementem ad foucas Ciuitatis Episcopo deferat, is autem contra restituat Ædes S. Magni, S. Onuphrij in campo Mellij, S. Heliæ in Ambrifio, S. Martini in Chirello, S. Martini in Mola, S. Mariæ (aliàs, Mater Domini) & S. Ægidij in Amphitheatro fundano. Testor ad Montem Cassinum codicem quēdam, siue album (*Petrus Diaconus*, inscriptum) Longobardico Charactere in membranis conscriptum, cuius initium, *Incipit Prologus Petri Diaconi in libro Priuilegiorum, ac prætextorum ad Venerabilē Seniorectum Cœnobij Cassinensis Abbatem*. Eadem huic Cœnobio fortuna, quæ de nostris quàm pluribus. Ad Commendatarios (qua via, omnino incertum) deuenit. Eo cum titulo potitus anno 1492. Iordanus Caietanus Patriarcha Antiochenus, & Capuę Archiepiscopus Pontificis voluntate sodalibus nostris committit, saluo tamen Monte Cassino, vnde, quod diximus, per tot sęcula dependerat, annuo censu aureorum quindecim Cal. Oct. persoluto. Cum Cœnobio contigit Oliuetanis Aedicula S. Mariæ Angelorum in Aede Paræciali S. Sebastiani de Fundis, & altera ibidem S. Hieronymo proximè constructa à Patriarcha, eiusque opera per Pontificem Monasterio aggregata. Alia permulta se præterea nostris daturum pollicetur Antistes (præstiterit necne non satis apparet) illa in primis Hortos duos Fundis, Aedes prædictas S. Honuphrij, & S. Aegidij cum horto ibidem prope Monasterium boues sexaginta, capras centum, aureos trecentos, quorum emolumēto Monasterio Cassinensi annuum soluatur stipendium Monachorum, prope S. Mannum Molam aquariam fabricaturum, nos piscatus in lacu peragendi quartam partem accepturos (iure debebatur ad S. Benedictum à Fundanis Principibus muneris loco trāsmissa) ex qua aliàs centum, aliàs centum & quinquaginta aurei proueniebant, nunquam tamen Monasterio redditi Fundorum comite fratre possidente. Hanc nusquam tenuisse nostros intelligo, cum Prosperum Columnam Fundorum Comitem, & Traiecti Ducem pro comperto sit anno Christi 1499. 3. Cal. Quinctilis sexdecim aureos perpetuam stipem contulisse, qua & hodie perfruimur, inde percipiendos. Et cum per opportunum accedat, Prosper quidem fuit verè Prosper, & benignus, huius Mona-

Iordanus Caiet. Patriarcha Oliuetanis attribuit.

Prosper Columna de hoc Monasterio bene meritus.

Monasterij Columna, & firmamentum. Præter collata beneficia è literis anno Virginis parientis 1505. datis ad Procomitem, & Iudices Fundanos perspicitur. In illis maximè profitetur se cum ædificationem, & absolutionem Monasterij, cui iam multum de suo erogauerat, habeat animo constitutum, quò commodiùs & sedeant Oliuetani, & Deo omni cura soluti deseruiant, circumdaturum illis defensionem (hoc populare vocabulum) qua semina terræ mandentur, qua pecora ad pascendum agantur, propterea traditũ eant administri limites, quam minimo Vrbis detrimento assignantes. Quod si nostra referat, inquit, cum tãtum agri, quantum decem millibus passuum comprehendatur, detulerimus, minimum donasse visuros, eorum vitæ probitatem agnoscentes, & quantum Fundorum è re sit, cum locus largè dotatus fuerit, amplum non minus Xenodochium excitatum. Et Deo confidimus, tum quòd ad muros, tum quòd ad census attinet, ocyus perfecturos, cum reliquis. De defensione mandata exhauriuntur; De ædificatione (ex perpetuis fortasse tumultibus, Regnique perturbationibus, vbi fortissimum sese ducem præstitit, non vacauit) de ædificatione, inquam, nihil sane spectabile, nisi vetustissimum, si à templo discedas ab ipso anno 1516. cernitur, à fundamentis constructo. Itaque Principem nostri amantissimum, quod miremur nihil est, si quando à curis Imperij ad pium, honestumque ocium secedere liceat cum Religiosis viris ad S. Manni frequentissimum fuisse, legitur elegantissimo marmore insculptum honorificum sanè monumentum. Magis tamen subleuatur tenuis hic locus (annus excurrebat 1519.) à Leone X. Pontifice Abbatia in Brutijs in Triuentina Diœcesi S. Ioannis de Viride, hodie plerumque de Rossello nuncupata. Nulla in diplomate mentio, cuius precibus pro more id fecerit, sed quòd exigui essent S. Mãni prouentus, & nihil præterea. Ab Antonio Lonardo conceditur Commendatario. Antiquitate perillustris est, & permultis olim prędijs sacrisque ædibus à regionis Proceribus dotata. Anno supra millesimum sexagesimo octauo Odorisius filius Belcomitis de Balneolo multis fundis Cœnobium donat. Post annum quinquagesimum Rinaldus alijque fratres Rinaldo Oppidi Pilei Domino geniti Aedes adiungunt S. Mariæ de Ciuitate Borelli, & S. Petri de Orsiciolibus. Anno à Virginis partu 1348. Raymundus Caudolius, qui Ciuitati Luperello imperat Dei amore compulsus dono dat, Molendinum vnum in territorio Castri Pilæ ad aquam. *Item....... collectæ S. Mariæ, quam habere debet idem Dominus in Casali dicti S. Ioannis de Viride, & Castelli de Casso (alibi Tasso) Item redditus frumenti, & menstrui, ac carium, tam viuorum, quàm mortuorum, quos dictos Dominus habet in Casali S. Petri de Lacichario de Tesculo pignatario. Item redditus pecuniæ, frumenti, & menstrui, quos dictus Dominus habere debet in Castro Roselli. Item pecuniam passuum quam idem Dominus habet in Castello de Casso ad habendum tenendum &c.* Et alibi sic loquitur. *Totam frumenti decimam, & aliarum victualium, quam annuatim habere debemus in territorio nostro de Rosello, quod territorium vocatur lu cerretio, ac etiam decimam, quæ peruenire*

Leo X. applicat Abbatiam S. Ioannis de Viride, hodie de Rossello.

Principes in Monasterium sanè benefici.

possit ex terris indiscussis ibidem existentibus, quod territorium vadit, seu ire pretendit vsq. ad fontem, qui dicitur fonte de Ianni (vel Panni) loponi cum suis finibus designatis, qui sunt hi, videlicet ab vna cuius parte transit flumen Rubeum ab alia &c. Volentes etiam, quod dicti Monasterij Abbas dictum territorium indiscussum discutere valeat &c. & recipere valeat fructus prouenientes ex eis &c. expoliantes nos ab omni iure in dicto territorio, &c. & dicto Monasterio liberè, & integrè appropriantes, excepto quòd homines de Rosello vasalli nostri volumus, quod in dicto territorio liberè sumere valeant aquam, & ligna, & cum eorum animalibus pascua sine aliqua contradictione &c. Eadem iura adhuc sustinent

Conditiones, quæ inter socios Fidanos, & Rosellanes intercedant.

Oliuetani, & maiora fortasse in illis tractibus. Etenim anno 1584. oct. id. Iun. inter nostros & Rosellanos graues conditiones latæ. Præcipuæ sunt, vt Rosellani veteres Abbatiæ filij serant, irrigent, ligna, & olera secent in vniuerso eiusdem territorio ad antiquos vsque fines, pro concessionibus Comitis Borselli, pernoctent, externa quoque pecora committant (fident, vulgaria gentis vocabula) cum fidentia & diffidentia, eaq. præsertim ad Pescolum Pignattarium spectantia, vt renuentibus ipsis nemo Rosellum ingrediatur, quibus mulctæ omnes, & omnia emolumenta perpetuò proueniant. Agros non indiligenter colerent, atque ex tota illa plaga, Cerrito etiam incluso, octauam Abbatiæ partem reddant. Propter sationem, irrigationem, aliasq. commoditates Rosellani de suo quotannis, quo die S. Bartholomæi natalitia commemorantur Cursoribus, & Athletis præmia proponant sex aureorum palmarium, primas & secundas Vesperas, solemne nec non sacrificium, vt m s obtinuit, in eodem templo celebrent, præter hoc seu solemni, seu priuato ritu rursus operentur cum statis peruigilijs, cereum selibrem mortuis incendentes Presbyteris tantummodo condicentes; Adhæc, S. Benedicti festo die, & Cal. Aprilis, in quem diem Abbatię celebritas, hoc est S. Ioannis de Viride incurrit eò cum oppidanis sacerdotibus, si possent, seruato pompæ ordine procedant, sacrisque maioribus litetur. Oppidanorum Dux, & pro eo absente Camerarius, cum ad Abbatiam 8. Cal. Sept. nundinæ habentur forum agitet. Eodem die pompa de more instructa facibus, & cantu sacræ Reliquiæ honorificè deferantur. Pro inueterata consuetudine patre, siue matre familias in oppido decedente hæredes Monacho residenti gallinam præbeant. Nemini eodem non assentiente Monacho donare, in dotem attribuere, siue alio quouis nomine abalienare liceat, laudemium tamen soluenti nihil denegetur. Agro triennium non exarato, omni iure populares decedant, & Abbatia potiatur. In singulos annos ad Monachum conferant lignorum duas, vel tres decempedas, eo cum instar te, tum pro cessione soluente. In sacris rebus populus Monachum Principem, velut Archipresbyterum agnoscat, qualis supra hominum memoria fuit. Abbatiæ quotannis tres & triginta optimi tritici tumulos ad sepulturas, decimas, & quartas ob Ecclesiam in oppido sitam ad eam pertinentem soluant. Cuius quidem rei Monachis ius antiquissimum. His altera ex parte res illa publica (suo tamen sumptu) a

quauis

quauis lite, quæ ijs de rebus excitaretur defendenda sit, & mense quinto Pontificius huius conuentionis assensus impetrandus, & Rosellanis tradendus; Qui tandem in ingressum (vt vocant) idque semel aureos centum & quinquaginta Monasterio pendant. Aliquot etiam ante annos millesimo nempe quingentesimo trigesimo primo inter Monasterium, & Pescolum Pignattarium coitum est, vt suos greges ad pabulandum, ad potandum, ad pernoctandum, cum commodius videatur, in Abbatialis partem territorij, quod veterrimus patiebatur vsus, deducant, & pro agnis, & caseis nec non septemdecim, quos afferre solebant Monasterio, medio Augusto perennè triginta caroleos quotannis numerent. Quod attinet ad templa, quæ diximus Abbati Montecassinensi ab Episcopo permissa anno post partum salutem 1172. quamuis interea sit S. Heliæ de Ambrisio, aut Ambrisio, reperio tamen eumdem Abbatem 1524. quasi antea non obtinentibus & reliquisse nobis, & donasse. Alia item campestris ædes S. Remigio in Fundano posita Monasterio adiuncta est, proximè tamen, quod audio, excitata.

De Monasterio Galatinio. XLVI.

SI quod Oliuetanæ Congregationis Monasterium bonis, iuribusque temporarijs nobile vnquam fuit, ac spectabile, tale visum in primis S. Catarinæ Nouellæ in S. Petro Galatinium. Eorum, quæ ad illud pertinent dilucida commemoratio altiorem postulat ingressum. Inter ornatissima, & amplissima loca Prouinciæ Hydruntinæ habetur, quam supra memorauimus, S. Petrus. Varijs temporibus varia sensit imperia. Multos vtique annos Vrsini, qui de Baltio dicuntur, principatum tenuerunt. Illo atque nostro iuxta seculo vnum in Oppido fuit commercium, & Græcorum & Latinorum Christum colentium, Græcè tamen sacræ Odes recitabantur; Latini eas non percipientes pro suo cultu, ac sensu audiendæ psalmodiæ cupidissimi, quod sanctè expetebant Raymundo de Baltio Principi detulerunt. Raymundus suis æquè, ac sibi eò valde propendenti gratissimum facturus in S. Petro Domicilia cum Aede S. Catharinæ Virgini, & Martyri consecrata extruxit, quo Minoridas inferret officia diuina latinè tractaturos. A Pontifice Vrbano V. anno salutis 1369. vt Cœnobium nuper excitatum acciperent Franciscani impetratum est. Haud longulè deinde Nosocomium egentibus instruxit, optimisque fundis locupletatum Bonifacius IX. anno Euangelico 1493. 11. Cal. Iunias à Pontificis Hydruntini, & cuiusuis legitimi Iudicis potestate, & imperio immunitatē dedit, omnino Sedi Apostolicæ, iureque, vt aiunt, patronatus nepotibus Raymundi subditum. In de stabilis fortunæ Xenodochio afferuntur, amplisque prouentibus ab optimatibus non solum, eiusque familiæ consanguineis, sed à clarissimis viris, in que finitimis locis plurimùm au- S. Petrus de Galatino. Raymūdus de Baltio Princeps Aedem, & Cœnobium S. Catharinæ construit. Excitat & ximè Xenodochiū.

Principũ beneficia i hoc Monasterium. ctoritate valentibus cumulatur. Sueua Baramontia tutelare prædium, hodie Feudum, dimittit, nomine Petri Alamanno in Oppido Specchia. Thomasia Amendelia partem vici, quem Colomitum appellant cum popularibus & iuribus attribuit, & 1431. postremùm testata iubet in æde S. Catharinæ sepeliri, suumque vicum, feudumque nomine Inianum cum alio coniunctum, quod Cenata appellatur, quæ, vt perhibent, Colomito continentur, posthac Hospitio adscribi. Tantum itaq. fortunarum comparauit, vt mihi pro comperto sit anno salutis 1429. Ioan. Antonium Principem Tarentinum eiusdem Raymundi filium vncijs trecentis vendidisse oppidum Balneolum cum Castello, siue arce, hominibus, subditis, & agris sibi, hæredibusque merum & mixtum Imperium, iurisdictionis facultatem *in criminalibus, & gladij potestate*, subie- *Hospitium facultatibus augetur.* ctionis stipendium, (vulgò Adogum) & quodvis portorium impositum, vel imponendum. Hospitalis Aedes ab eodem paulò post Petreium (vt vocant) Casale, cum ijs, quæ sub eius ditione sunt, alijsque facultatibus, ijsdem tamen Principi, successoribusque reseruatis vncijs quinque & quadraginta, emit, quas Maria Enghina olim Raymundi Principis coniux, Neapolitanorum mox regina numerauit. Eadem ad Balneolum coemendum, quæ singularis in Hospitium pietas fuit, centum ac tres vncias contulit. Hæc autem venditio, & emptio Ioannæ secundæ probatur anno post partam salutem 1430. Regina cum summo piæ domus ornandæ desiderio æstuaret, præclarum posuit beneficium, vt feudalem, vt ita dicam, operam, & portoria Balneoli, Petroijque remitteret, quamuis aliter in regio Aerario connotarentur, ac sciuit, ne pro illo sex amplius tareni, & pro hoc plus duo soluerentur, *Feuda Hospitio adiuncta.* nec quisquam in posterum grauius inde stipendium exigeret. Venijt præterea Hospitio à Ioanne Antonio Principe (qui annus erat à restituta salute 1451) centum vncijs rusticum feudum nomine Spunganum. Erat latifundium muro circundatum in ijs, quæ ad Solitum pertinent Solẽ versus Orientem positus, veteri in singulos annos tributo vnius tarini, & granorum quinque Principi delato. A quo verò, quo pacto, quo tempore Xenodochio feuda, atque Oppida, Aradeus, Turris Padulia, Sfalonganus, aliaque, de quibus infra, assignata sint, nusquam repertum. Illud certè generatim è tabulis excipitur, varios ea Principes tradidisse, eaque sic adscripta, perinde ac bona à suis maioribus delata plures Neapolitanos reges confirmasse satis constat. Tenebant Xeniam Aedem S. Catha- *Minores Obseruantes obtinẽt* rinæ cum vniuersis iam recensitis facultatibus Minores Obseruantes cũ anno 1446. decurrente per Io. Antonium Principem Eug. IV. admonetur, velle se, cum sodales illi non eam sapienter administrarent, non ita scilicet, vt debuerint, perceptos inde fructus collocãtes, vt à templo post hac sepositos nulla ratione pertractarent, liceretque sibi pro arbitrio, cõsultò duntaxat Præfecto, Rectorem constituere, eumque pro necessitate remouere, qui continenter hospitaretur, egentibusque omnia, Minorib. & ipsis asperè viuentibus non exceptis, impertiretur. Pontifex assentitur.

Popu-

Populares præficiuntur, necessaria quæque adiunctis Patribus subministrantes. Paucis annis interiectis Principe sine prole abeunte, Principatus ad Ferdinandum I. Neapolitanorū Regem reuertitur, qui æque iussit Hospitium duobus Procuratoribus per Commune S. Petri eligendis, & ab alio è Regia euocando gubernari, idque stetit, quousque anno 1494. Alphonsus II. filius in Regno subrogatus est. Is cum animaduerteret, Hospitium lōgè alia, quàm par esset, ratione gubernari, redditusq; erogari, quoad fieri posset restituturus, in Aedem, Aedisq; iunctum Hospitium, dante Pontifice, Cœnobitas, qui propria habere, ac possidere publicè possent, quod Minoribus penitus interdictum, quique vniuersa eiusdem loci, & bona, & iura, siue sacra, siue popularia procurarent, transcribēdos existimauit. Rex ergo Oliuetanis, quod aliàs significatum est, eximio quodam amoris vinculo copulatus, opportunè, iter illà facientem Ioannem Cardinalem S. Susannæ, siue Montisregalis Legatum Apostolicum amplissimo cum imperio in Siciliā citra Charybdim enixè precatur Templum cum Hospitio nostræ, vt tradat Congregationi. Sodales Franciscani Regis consilium de Monachis inducendis percipientes in Prouincialibus Comitijs habitis Neapoli IV. Non. Maij locum dare statuunt, accipiente Cardinale. Verùm licet affirment, (in tabulis ita scribitur, *considerantes prædicta cedere in augmentum diuini cultus, & habita prius, vt dixerunt, deliberatione matura intra se, & etiam contemplatione præfatæ Regiæ maiestatis, & præcipuè considerātes præfatum Dominum Regem iustissimis causis, Deoque acceptissimis, immo verius instinctu diuino ad infrascriptam renunciationem petendam moueri sponte, non vi, aut dolo,*) Aedibus illis cedere, re vera tamen non æquo animo faciunt, & coacti, vt nimirum (quod tabulæ testantur) Regi morem gerant, cuius animus apertè, ac publicè foris (tanta erga nos beneuolentia) adeo innotuerit, vt id agere scenæ seruientes satius duxerint, quàm eius repugnare voluntati, cuius auctoritas irritos conatus facere potuerit. Itaque potiuntur Oliuetani Monasterio, & Hospitio S. Catharinæ cum stantibus non tantum bonis, sed & cum supellectile per iudicem ineuntibus possessionem. F. Michaele Volaterrano Visitatore, & F. Bartholomæo Brabantino eodem anno à natalibus Christi 1494. VI. cal. Quinctilis. Id non sine graui Minoridum Sociorū incommodo, & vtrorumq; tumultu factum est. Traditur enim, Alphonsum Regem Licio ad Franciscum quendam Gorgiatum Regium Procuratorem misisse, vt cum didicerit in migratione Franciscanos expilasse, vt Regis vocabulo vtar, Sacellum argenteis multis, Crucibus, Calicibus, & similibus, & nonnullis Sanctorum Reliquijs, & mammilla præsertim S. Agathæ Virg. ex quibus alia occuluisse in Aedibus S. Petri, alia ad sua Cœnobia Gallipolim, & Vxentum transmisisse, Diuinam, regiāq. Maiestatem nihil metuentes, grauissima, & popularibus, & Ecclesiasticis, quorum Antistites commonefaceret, interminatus, vt efferantur, & pristino loco reddantur, efficiat. Sed annus nondum effluxerat, cū Frāciscanis recuperandi, vnde abierant inuiti, satis opportuna sese obtulit

Alphonsus II. Rex Neap. traditOliuetanis.

occasio

occasio. Prospiciens Alphonsus Carolum VIII. Galliæ Regem ad arma in Italiam properare dubia populorum fide, regnum filio tradidit, in Siciliam traiecit, & Carolus rerum potitus est. In hac vicissitudine Principum captata occasione Obseruantes nouum Regem adeunt, se cum centesimum ante annum Cœnobium S. Catharinæ summa cum quiete obtinuerint D. Alphonsum (regius titulus non adscribitur) anno superiori non sine iniuria sublatum Oliuetanis attribuisse, literis surreptitijs à Cardinale Montisregalis legato impetratis, qui tūc sese Neapolim ad regium ei Diadema imponendum contulerat, significantem se iam renūciasse, quo vel posito, coactos exijsse, & si etiam sponte migrauerint, cōtra ius factum, Generalibus Comitijs, quod in his rebus exposcitur, non assentientibus, propterea se concessionem iniquam contendere. Rex ad Archiepiscopum Brundusinum, & Episcopum Liciensem literas dedit, qui ea in causa, quæcunq; ius exegerit, persecuti Franciscanos reponant. Oliuetanis rem suam, ne Cœnobio eijciantur, pro facultate defendentibus, Minores iterum ad Regem illos in diē ducere, quòminus obsequantur, vt causam aliò referant, postulantes. Rescribitur Præsidibus, vt, quouis Oliuetanorum iure obsistente, litē decidant. Interea Carolo in Galliam profecto, Gallis Italia pulsis, Regno primùm Ferdinando, inde Federico Aragonensibus reddito in Cœnobij possessione persistunt Montoliuetenses. Anno autem humanæ redemptionis 1502. Gallis Rege Ludouico XII. Neapolim occupantibus, Sodalibus nostris iterum instatur. Hi libera, quam in Conuentu, vt exposuimus, renunciatione, Alphonso ediderant, alijsque argumentis causam sustinentes, perficiunt, vt Pontifex anno 1503. assignationem Cœnobij nostræ Congregationi à Cardinale habitam confirmauerit. Hinc quæcumque à Franciscanis ea de re petuntur omnino corruant. Nullus tamen inter vtramque familiam Cōtrouersiæ modus ad Vrbem. Anno tandem Christiano 1507. causa sic obtinuit, vt Minoribus Oliuetani Cœnobij ædificia cum mobilibus, atque Aedem sacram cum supellectile ex Indice à Monachis primò ingredientibus perscripto, nec non Hortum, quem Parcum dicunt ab Oppido non longè disiunctum permittant, ea lege, vt in eodem Tēplo lapideum S. Benedicti à nostris erectum Signum ne amoueatur, ac triennio post ædes nonnullas dimittant, Principis, vulgò, nominatas Minores, altera ex parte Hospitium cum omnibus iuribus concedant, nihil, siue in alimenta comparanda, siue in ædificia restituenda, quod iam postulasse videbātur, retinentes. Omnia comprobante Pontifice VI. cal. Quinctilis F. Aloysius Salernitanus Visitator, & F. Benedictus Anuersanus Vicarius, F. Ludouico de S. Petro Custodi, alijsque socijs Obseruantibus Cœnobium cū supellectile, Templum cum sacris ornamentis, ac Sanctorum Reliquijs, in quibus complures erant vtique insignes, Costa S. Blasii, Digitus S. Pātaleonis, Mamma S. Agathæ, Dens S. Catharinæ, bini digiti S. Io. Chrysostomi in sua quæque argentea pyxidula, aliæque permultæ, restituunt. Nostri Cœnobio carentes haud procul ab Oppido situm elegere, vbi Xe-

Alphōsus II. in Siciliam traijcit.

Controuersia inter Minores, & Oliuetanos ita cōstituitur

niæ

niæ Domus, vineas consitas dictitant, & eodem anno instituerũt, nouũque Monasterium, Aedemque satis nobilem eo ipso S. Catharinæ, Nouellæ tamen additamento, titulo imposito, magnificentissimè excitarunt. Interim, vel in domicilijs Hospitij, vel in domibus vulgò dictis de Principe, eò, quod facilè crediderim, ad trienniũ permissas, & Minoribus deinde relinquendas. Fruitur hodie hoc nostrum Cœnobium omnibus facultatibus, iurisdictionibus, ac priuilegijs à Regibus Neapolitanis alijsque Principibus iam Hospitio concessis, & alijs, quæ progrediente tempore acquisiuit. Præcipua autem sunt, quæ Feuda, & Baronias appellant, oppida mœnibus circumsepta Aradeum, & Balneolum cum omnibus indigenis, & popularibus, in quos cum ciuile, tum criminale ius persequitur *cum banco Iustitiæ, & plena meri, ac mixti imperij, & gladij potestate*, primarum, & secundarum causarum, non ciuilium modò, sed & criminalium cognitionem exercet, Duce præposito, qui tribunal, & publicas in S. Petro custodias obtinet, vbi quibuscumque petentibus ius dicit. Ita prorsus complures annos aliud Oppidum, siue Castellum satis frequens Turrem Paduliam nomine tenuit. Anno tamen 1545. ad grauia Sedis Apostolicæ vectigalia, æsque alienum multiplex dissoluendum, Balneolum pignori dandum aureis sexcentis supra bis mille, & ad Decimas Aradeanas recuperandas, quod infra ostendetur, aureis bis mille, & septemdecim Turrim Paduliam necessariò vendunt, annuente Pontifice Marco Cauaccio Neapolitano Balneolum recepturi tamquam multis sese negocijs expedituri. Sunt præterea Monasterio alij Vici, siue feuda inculta, vel inhabitata, Colomirum, Sfalonganum, & Capraríca. In his frequentibus ciuili iudicio fungeretur, vt est Diploma Ioannæ, & Caroli datum anno salutis 1518. si quos in Coloniam deducere posset, extraneos tamẽ, neque in eorum albo descriptos, qui pro focis exoluant, per decennium à quolibet regio vectigale immunes haberentur. Vicus quoque Petroium inter Cœnobialia prædia numerabatur, sed anno decurrente 1530. Ferdinando Scanderbechio, qui S. Petro Ducis titulo præerat, concessum. Id verò fuit in causa, quia cum in Aradeanos, Turripaduliares, Balneolanos, aliorumque Pagorum cõterraneos ius dumtaxat ciuile nostri, Dux verò criminale exerceret, &, quod aiunt, cum quatuor literis arbitrarijs, & mero penitus, mixto atque absoluto imperio, inter Ducem, & Monasterium quotidianæ ciebãtur controuersiæ, turbis occurritur habita permutatione. A Monasterio Duci Petroium, à Duce verò Monasterio traditur iudicialis potestas, qua in prædicta feuda vtebatur. Priuilegio gaudent subditi nostri a Ferdinando II. anno restitutæ salutis 1515. XIII. cal. Sextilis, ne cum Ecclesiæ, & regio Hospitio subijciantur, cogantur vt armatos excipiant, argentum persoluant, præsidia mittant maritima, paleas ac ligna comportent, aliaque huius generis onera subeãt. A decimis, quas ex Colomiro, & Aradeo Monasterium exigit non mediocris vtilitas. Aradeanos hoc ius è Cœnobio auertisse, diuque exactionem detinuisse comperio, cum anno

Oliuetani nouũ Cœnobium penè in Galatina, alterο Minoribus relicto.

Feuda Monasterij Galatinæ.

Priuilegia eiusdẽ Monasterij.

anno

anno Christi 1533. populares illi in publico Conuentu profitentur post hominum memoriam quicunque agros obtineant, præter hortos, fundosque pomærium attingentes, eorum omnium, quæ in illis gignerentur, Hospitio decimas reddere solitos. Eo redditu plures ante annos defraudatum Monasterium, proinde iniquum id percipientes ad malè conscium animum eleuandum, eòque magis quò maius ab Hospitali beneficium accepissent duobus millibus aureorum rei illius publicæ enumeratis sibi mille aureorum mulcta constituta, decimas, quas hodie soluũt, se quotannis soluturos pollicentur. Ædes quinque iunctæ Monasterio. Hospitalis, quò diebus festis Monachus sacrificaturus accedit, & Hospitalitas cui', & quibus oportet exercetur duodecim semper lectis compositis, paratisque omnibus tanto pietatis officio necessarijs. S. Claræ de Solito, qua de Ferdinãdus primus in literis ad Archiepiscopum Hydruntinum, Episcopum Neritensem, aliosque Episcopos finitimis anno salutis 1472. ita scribit. *Sunt anni elapsi quinquaginta, vel circa, quòd Cappella S. Claræ de Solito deuenit in ius, & potestatem Hospitalis S. Catharinæ, bonaque omnia ipsius incorporata fuerunt dicto Hospitali*; faciant propterea, ut ea possessio nulla prorsus pacto interturbetur. S. Mariæ de Camera Colomiti, quę iure patrocinij ad Hospitium pertinet, vt cum vacauerit, meminerim me legere, Archiepiscopum Hydruntinum anno 1418. petente D. Pippacius tunc temporis vici Barone, anno 1482. rogantibus Præfectis Hospitij, & anno 1538. Abbate S. Catharinæ summo studio expetẽte, qui Baroniæ successerat proposito, atque oblato ab vnoquoque sacerdoti tradidisse. S. Constantinæ de Capraria. Illa quidem ante annos quinquaginta specus potius, quàm ædiculæ speciem præseferebat, sed rumore quodam dissipato ex picta Virginis, quæ ibi cernebatur effigie, multa tribui beneficia', frequentior in dies multitudo confluere. Quamobrem Abbas principiò hominem constituit, qui Eleemosynarum curam gereret, quibus quotidie sacris operandum curaret, mox eadem de causa conductum præponit Sacerdotem. Ea tempestate inter Monasterium, & Episcopum Vxentinum magna fuit controuersia, hoc contendente Sacellum ad Episcopatum pertinere. Causa stetit pro Monasterio. Obtinet postremo ædem campestrem extra S. Petrum, Cœnobium versus Annunciatæ Virg. titulo cum possessionibus ipsam ambientibus. Anno 1554. D. Petrus Paulus Galatinius summa in re Oliuetana vicem sustinuit.

Aedes Monasterio adscriptae.

De Monasterio Liciensi. XLVII.

Normannia familia.



SI quis in Historijs, vel mediocriter versatus quãtò clarissima, ac regia Normannorum familia, ex qua Neapolitani Reges extiterũt, rerum diuinarum studio exarserit, & quanta in Eccl. Romanam religione præfulserit, cui Rogerius primus Neapoli regio diademate splendidus sese cum nepotibus vectigalem, & stipẽdiarium

rium fecit pronunciau(er)itque, cognouerit, nulla capiet admiratio ab illis, Abbatiam SS. Nicolai, & Cataldi extra Licium amplissima cum dote excitatam; Tancredus igitur, qui Comes Licio præerat, illius Rogerij nothus; quique, vt aiunt, Neapolitanum quoque regnum obtinuit, Religionis affectu, & Patrum exemplo incitatus, anno circiter ab Orbe reparato 1180. Templum Cœnobiumque Benedictinis construendum suscepit in suo præter Oppidum fundo, in eorum, quos antea diximus, Sanctorum honorem, pluribus agris in dotem attributis; pago, qui Aurius nuncupatur, alijsque rebus, quæ cum percipi aliter non posse videã, quæcunque velit in Diplomatibus ab eodem Principe editis, & identidem adducendis examinabit. Inde summa eius magnificentia insigniter elucebit, eosque, quibus huius Cœnobij cura demandabitur nõ spernendam accepturos vtilitatem confido, omnia enim quæcunque possidet, eorumque limites nominatim expressos habent in promptu. Primum illud est.

Tãcredus Norman-nus ponit Abbatiã SS. Nic & Cataldi.

IN nomine Dei æterni Saluatoris nostri Iesu Christi. Amen. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo primo Regni verò Domini Vv. Dei gratia magnificentissimi Regis Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ 16. Mense Sept. Ind. 14. Quas grates Domini nostri Iesu Christi exhibere debeamus, nec mens nostra potest concipere, nec lingua proferre laudes. Multas namque per eius prouidẽtiam sæpe numero largitates suscepimus, & innumerabilia per ipsum beneficia profitemur, pro quibus nihil dignum nos esse cognoscimus, quia nulla possunt profectò merita exhiberi, quæ vicem collati superna prouisione beneficij reformarent; licet autem mortalia sæcula nihil tam peculiare possint offerre in plenitudinem gratiarum celesti fauore concessarum; Adhoc tamen alacri studio charitatis se quisque debet reddere vigilantem, vt habeat in terribilis nouissimum Iudicij diem, quod tempore villicationis suæ ante consistorium sublimissimi iudicis repræsentet. Sed quia sine fructu boni operis nihil constat esse perfectum, nec mercedis retributio sperari potest sine labore. Iccirco nos Tancredus Dei, & regis gratia Comes Licij ad honorem Dei, & Beatæ, & gloriosæ, semperque Virginis Dei genitricis Mariæ, & beatorum Christi Confessorum Nicolai atque Cataldi memoriam gloriosam Ecclesiã iuxta ciuit. Licij in nostro proprio fundo iustis, & proprijs sumptibus, & labore pro remissione peccatorum nostrorum fecimus fabricare, vt in ea, diuinitate propitia, & per patrocinia gloriosa Sanctorũ ad laudẽ, & perpetuæ prosperitatis salutẽ Dñi nostri regis Vv. semper triumphatoris frequenter, et salubriter celebrentur diuina, & per ipsorum incrementum, & preces clarissimas sit ipse gloriosa sobole floridus, & de victis hostibus triumphator. Quæ sanè cum sit in sola protectione summi Pontificis constituta, sic ex priuilegij eiusdem Domini Papæ, recitatione clarescit, nullius pontificum audientiam perhorrescat. Collegium itaq; personarũ ibidẽ seruiẽtium Monachorum esse volumus religiosorum virorũ secũdũ B. Benedicti Regulam, qui diuino ministerio vigilanter deseruiant, nullius pontificum iurisdictioni subiecti. Ad cuius Ecclesiæ substentationem, atque ornatum, & consequenter in causam alimentorũ ibi seruientium personarum concessimus terras

Tancredi Comitis Liciensis, qui & huius Cœnobij Auctor, Priuilegium.

eidem Ecclesiæ adiacentes, quarum hi sunt fines. A parte Orientis uia, quæ vadit ad Aurium. A parte Occidentis via, quæ vadit ad Brundusium. A parte Austri iūctura viarum. A parte Septentrionis terra Liciensis Episcopi, quæ est super puteum, & terra magistri Constantini. fines autem honesti sunt hi. A parte Orientis via Aurij. A parte Occidentis via Sanctæ Praxedoniæ. A parte Austri terra Magistri Rasilij, & protopapæ. A parte Septemtrionis terræ Monasterij S. Ioānis de monialibus, & quædam terra, quæ est iuxta clausuram nostram. Item à parte Orientis, via quæ vadit Horiam. A parte occidentis, prædicta clausura. A parte Austri via, quæ vadit ad puteolū. A parte Septemtrionis terra Nicolai de Rozza. Concessimus quoque eidem Monasterio duas terricellas in porta S. Iusti, quarum vna est in parte orientis iuxta hortum Magistri Perroni, & altera in parte occidentis. Ad hæc concessimus eidem Monasterio Casale nostrum Aurium, sicut est suis finibus limitatum cum vniuersis tributarijs ibi manentibus, & eorum hæredibus, & cum omni iure, quod habuimus in affidatis, & Francis hominibus ipsius Casalis. Concessimus insuper eidem Monasterio Ecclesiam S. Angeli de Tremititis cū terris, & tenimentis ipsius. Prædicti autem Casalis, & eiusdem Ecclesiæ S. Angeli hi sunt fines. In primis incipit à ficu blanca, quæ sunt in verticellis, & vadit per parietem, qui est finis inter tenimentum prædicti Casalis Aurij, & terrarum S. Ioannis, & exit ad viam, quæ vadit ad Sanctum Arzōtium, & per eamdem viam vadit ad serram arenulæ, & vadit per eamdem serram usq: ad parietem, qui est finis inter tenimentum S. Angeli, & tenimentum Cesani, & descendit cum eodem pariete versus orientem vsque ad viam quatuor finetarum. Inde incipit paries, & uadit versus Septemtrionem, qui videlicet paries est finis inter tenimentum S. Angeli, & Musezzasui, & vadit vsque ad tenimentum S. Martini. Inde vadit per serricellam vsque ad viam, quæ vadit ad Sanctum Martinum, & vadit per ipsam viam, & dimissa eadem via uadit per serram, & parietem vsque ad parietem de episcopana, & uadit cum eodem pariete uersus occidentē, super puteum siccum, & vsque ad uiam de uicclano, & cum ea uia descendit usque ad pedem serræ de flagis, & uadit per eamdem serram usque ad uiam, quæ uadit ad Aurium, inde reuertitur usque ad occidentem per uiam tenimenti de surbo, & uadit per speeclam, & per ripam serræ de Runiaco, & uadit per parietem, & terras de regina, & per parietem terræ de acutis, & descendit per casellas, & uenit per parietem extra mellinolas, & uenit usque ad uiam, quæ à parte Septemtrionis iuxta terram de Guala, & uadit per serram, & parietem vsque ad hortalia mezzani, & inde uenit ad latum Ruffini, & inde uenit ad troppam, & uadit per serram. quæ est finis prædicti Casalis, & S. Ioannis, & sic redit percurrens usque ad prædictam ficum blancam. Prædictum itaque Casale cum præfatis finibus, & cum uniuersis tributarijs eius ubicunque fuerint in tota terra comitatus nostri, & cum hæredibus eorū, & cum omni iure, quod habuimus in affidatis, et francis hominibus ipsius Casalis prædicto Monasterio concessimus, sicut superius denotauimus. Concessimus etiā eidem Monasterio Gualtinam nostram in usum piscium ipsorum Religiosorum, pro quorum namque uestiario concessimus ibi quadringentos Ducatos annuos ex redditu prædicti Liciensis fluminis per uices quatuor percipiendos in unaquaque centum, ut prædicti Religiosi uiri absque necessariorum strepitu quiescentes ad laudem Dei, & memoriam prædicto-

prædictorum Sanctorum, & pro remedio animarum gloriosorum Regũ Rogerij, & Vv. Dominorum nostrorum f. mem. atque genitoris nostri Domini Rogerij quond. Ducis benignæ recordationis, & genitricis nostrę, nec non, & Domini Guilelmi bonæ memoriæ fratris nostri, & omnium parentum nostrorum remedio sacratissima afferre possint libamina. Vt & ipsi huius nostri florentissimi operis participes constituti fęlicissimam æternæ claritatis percipiant portionem. Pro cuius sanè Ecclesiæ incremento concessimus tibi fratri .... & venerando Abbati ipsius Ecclesiæ Domine Octauiane, tuisque successoribus in ipsa ciuitate Licij de extraneis, & aduentitijs affidandi licentiam. Curiam, & iudicem, & notarium de nostris hominibus ex vniuersis causis præter illas, quæ in publico, & ad censuram regiam pertinere videntur. Quod is, qui pro tempore prælatus extiterit, primò, secundò, tertiòve admonitus iustitiam facere distulerit volumus, vt executio ipsius negotij deueniat in curiam nostram, & hæredum nostrorum, & si qua compositio inde exacta fuerit, volumus, vt ad manus Ecclesiæ conferatur. Et quoniam quantò nostra viscera deuotius extenduntur in largiendo, tantò credimus hoc opus nostrum egregiũ apud Dei clementiam placabile fieri, & acceptum. Iccirco ex præsentis Priuilegij nostri tenore adiungimus iam dicto Monasterio vineas, & Iardenum, quæ fuerunt quondam Accardi Guar. in pertin. S. Cesarij cum terris adiacentibus ibi, sicut his finibus sunt conclusę videlicet à parte Orientis sunt vineæ filiarum Rogerij spani. a parte Occidentis vineæ filiorum præsbyteri Theodori de sancto Iacobo, quæ sunt in feudo Leucul. Item à parte Austri vineæ filiorũ Gulielmi pallone, & vineę præsbyteri Petri, & Fermosi fratris eius. à parte Septentrionis vineæ Minaldi Crispini, & fratris eius, & vineæ Ioannis Garzaniti, & vineæ Ioannis Tenini. Concessimus præterea eidem Monasterio Ecclesiam S. Barbaræ prope territorium Casalis nostri Valesii cum vineis, terris, & tenimentis suis, sicut sunt suis finibus limitatæ videlicet a parte orientis est terra Iacob, & vadit per riuũ, & viã Tuturani, et ab eadem parte orientis uadit per paludes geminas, & vsque ad riuũ terræ præsbyteri Andreæ, & incipit ab arbore, quæ dicitur de Lama, & à terra leonis porcarij, & à terra Vrsonis accatte, & vadit vsque ad paludicellam, & venit iuxta speclam vsque ad viam. Turcharuli, & per parietem, quæ est in parte occidentis vsque ad paludem longam, & vsque ad uiam, quæ uadit ad sanctum Petrum, et pergit per siluam, quæ est finis S. Petri, & descendit ad terram iudicis Philippi, & redit per riuum vsque ad terram Iacob. Præterea concessimus eidem Monasterio vineam, quæ fuit cuiusdam Villani nostri nobis in tenimento Valesii pro morticio pertinentem, & quandam terricellam nostram, quam iuxta vineam ipsam habemus, cuius vineæ, & terricellæ hi sunt fines. A parte Or. sunt vineæ Ioannis Fortis & Lucæ. A parte Austri uineæ Papæ Nicolai, & Andreæ Scardani. A parte Occiden. vineæ Andreæ de stritta, & terricella Iacob. A parte Sept. vinea præsbyteri Andreæ, & Ioannis Coloridi. Animalia verò ipsius Monasterij per vniuersum demanium comitatus nostri tam in pascuis, quàm in aquis iacentibus habere volumus communionem absque vlla molestia, & affidatione. Concessimus quoque eidem Monasterio, & rectoribus eius, ut liceat eis demanias res eiusdem Monasterij in toto Comitatu nostro absque alio plateatico uẽdere, & quod voluerint ad usũ dicti Monasterij absque plateatico comparare. Hæc igitur, quæ pro commodo illi

seruientium personarum in dicto Monasterio habere concedimus volumus, ut ex præsenti nostri Priuilegij tenore robur uim, & auctoritatem accipiant, & omnia francè, & liberè possideat in æternum, quia nec nobis, nec nostris hæredibus, uel successoribus in ipsa ecclesia, uel in rebus prædictis ius aliquod reseruamus, nisi solam orationem, & uidendum (aliàs, *vidandam*) *sicut unus ex fratribus tam in uita, quàm post obitum nostrum. Sed tam homines, quàm prædia, & eius animalia uniuersa perpetua uolumus gaudere immunitate, ita quòd non liceat nobis, aut hæredibus, uel successoribus nostris prædictā concessionem, & oblationem nostram aliquo futuro tempore disrumpere, minuere, uel in aliquo uiolare. Ad securitatem ergo ipsius Monasterij, & perfectum firmamentum præsens Priuilegium per manus Simeonis de Matera nostri notarij scribi, & bulla plumbea nostro impresso tipario iussimus roborari, & in eo nos propria manu subscripsimus, & subscriptos alios præcepimus subnotari. ann. mense, & ind. præscriptis. † Ego Tancredus comes Domini Ducis Rog. b. mem. filius concedo, & confirmo. † Ego Petrus Liciensis Episcopis interfui. †* Vv. *de la Tora Comestabilis Comitatus Licij, &c.*

Petr⁹ Eps Liciēsis opē fert Tācre do Abba- tiam adi- ficanti.

LIcet autem affirmare, Comitis incepto Petrum ipsum Liciensem Episcopum maximè opitulatum, eò quia inter Principem Ecclesiā, & nuper ædificatum Monasteriū omnem controuersiæ igniculum extincturus propter decimas, quas illa ex fundis à Comite huic assignatis percipere solebat, Canonicorum Senatu non abnuente, eodem anno 1181. eas Monasterio permisit, quibus tamen compensandis tradidit Comes agros nonnullos ad S. Petri de Lama eiusdem Ecclesiæ vicum pertinentes. *Concedimus*, inquit Episcopus, *insuper vt Presbyteri Casalis Aurij respondeant amodo Monasterio supradicto, & eius rectoribus de Censu Canonico secundùm quòd nostræ consueuerant Ecclesiæ respondere, & de omnibus personalibus actionibus Tractor de criminalibus, & spiritualibus, excepto si alij Clerici auiditate detinendi ius Ecclesiæ Liciensis, vel subfugiendi curiam nostram apud Casale ipsum voluerint se receptare. Vnam quoque libram incensi, quam ab Ecclesia S. Barbaræ de Balisio nostra Liciensis Eccl. annuatim solita erat habere, & totum dominium proprietatis, quod in eadem Ecclesia nos, & nostri successores aliquando exigere poteramus, remittimus ex toto Monasterio prælibato, saluo Episcopali iure, quòd in eadem Ecclesia S. Barbaræ habemus &c.* Ideo Alexander III. eadem memoria à Comite, & Episcopo ad Monasterium muneris loco transmissa confirmans, ait. *Ex dono Venerabilis fratris nostri Petri Liciensis Episcopi. Ecclesiam S. Barbaræ cum decimis & pertin. suis, quæ sita est in loco Valesij Ecclesiam S. Petri, & Ecclesiam S. Anastasiæ cum earum pertinentijs. Decimam Casalis Aurij, & decimas omnium terrarum, quæ sunt circa ipsum Monasterium. Ex dono supradicti Comitis Tancredi terras eidem Monasterio adiacentes, Casale Aurij cum tenimentis suis. Totum tenimentum S. Angeli de Trimitito, vineas, & Iardenum, quæ fuerunt quondam Accardi Guaraunci in pertin. S. Cæsarij cum terris ibi adiacentibus. Vineas, & tenimentum S. Barbaræ in territorio Valesij, & alias vineas & terras, quæ sunt iuxta tenimentum ipsius Ecclesiæ, & Gualtinam piscium ad vsum fratrum &c.*

Anno

Anno subsequente 1182. Comes tres pagos adiecit, Valesium, Cassianum, Oliuam cum vineis, & horto in Brundusino. E Tabulis compertissimum.

IN nomine Dei æterni & Salut. nostri Iesu Christi. Amen. Anno Dominicæ Incarn. Mill. cent. octog. secundo. Regni verò Domini nostri Vv. Dei gratia magnificentissimi Regis Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, anno XVII. Men. Ian. Ind. XV. Quas grates Domino nostro Iesu Christo exhibere deuotissimè debeamus, nec mens nostra concipere valet, nec aliquatenus lingua proferre laudes. Cùm multas per ipsius prouidentiam sæpe susceperimus largitates, & per ipsum innumerabilia beneficia dignè profiteamur. Dum nihil pro his omnibus dignum esse noscamus, præsertim cum nulla possint profectò merita exhiberi, quod vicèm collati beneficij, superna prouisione reforment, & licet mortalia secula nihil tam magnum possint offerre in plenitudinem gratiarum fauore cœlesti concessarum, tamen ad hoc alacri studio charitatis, quisque debet se reddere vigilantem, quatenus habeat in nouissimo terribilis iudicij die, quod pro suæ villicationis tempore ante præsentiam sublimis iudicis deuotissimè repræsentet. Verùm quia sine fructu boni operis nihil constat esse perfectum, neque condigna retributio alicuius mercedis potest sine labore sperari. Ea propter nos Tancredus Dei, & regia gratia Comes Licij cupientes pro temporalibus æterna præmia in cælesti patria adipisci ad honorem Dei, & gloriosæ semper Virginis Dei genitricis Mariæ, Sanctorumque Christi Confessorum Nicolai, atq. Cataldi, in quorum vocabulo quandam Ecclesiam ante ciuitatem Licij nostris sumptibus proprijs fabricari fecimus pariter, & construi, vt Deo laudes debitè exhibeamus in ea, & ad perpetuæ prosperitatis salutem Domini nostri gloriosissimi Regis Vv. semper triumphatoris assiduè, & salubriter diuina officia celebrentur. Octauianum nomine summæ honestatis, & religionis virum in eâ duximus statuendum de electione, atque consensu fratrum suorum Deo famulantium de eadem, cui Ecclesiæ Abbati, & fratribus præsentibus, & futuris de nostris largitionis gratia damus, concedimus, atq. tradimus subscripta loca, & Casalia cum pertin. & omnibus vtilitatibus eorumdem, nec non & omnibus hominibus in ipsis Casalibus commorantibus, & ad dominium, & proprietatem ipsorum Casaliū de iure spectantibus, nec non & eum descendentibus ab eisdem. Ita quidem vt liberè, & sine aliqua datione Casalia ipsa cum dictis hominibus tam tributarijs quàm stallatis, prout fuerant de demanio feudi quondam Accardi Guaranei, & ipsa debita seruitia præstare consueuerunt. Ita quidem quòd dictus Abbas, & fratres liberè sine alicuius nostri baliui contradictione pariter, & impedimento Casalibus ipsis vtantur etiam, & hominibus nominatis iuxta quod hactenus per prædictum Accardum, vti consueuit & frui. Casalia verò sunt ista videlicet. Casale quod dicitur Balesium. Casale quod dicitur Callianum, & Casale Oliuæ, eo tamen excepto, quod in ipso Casali Oliuæ tenet, & possidet Ecclesia Hostunensis. Homines verò tributarii, & stalliati, qui morantur in Casali Balisij, & Calliani sunt hi, &c. In Casali verò Oliuæ hi morantur homines tributarij, & stalliati, &c. Item in Turcarulo, &c. Item in Cisterne, &c. Item in Casali Terenzano, &c. Prædicta namque Casalia cum omnibus præscriptis hominibus eorum-

Tācredus Licij Comes nouas ædes, vel (ut ita dicā) noua Casalia adijcit Monasterio.

eorumdem, vbicumque fuerint in tota terra Comitatus nostri, & cum hæredibus eorumdem descendentibus ab eisdem, & cum omni iure, quod habuimus tam in tributarijs, quàm & hominibus stalliatis Casalium eorumdem prædictæ Ecclesiæ Sanctorum Nic. & Cat. concessimus, donauimus, & liberè tradimus secundùm quod superius continetur. Et quoniam quantò nostra viscera in largiendo penitus, & deuotiùs extenduntur, tanto credimus hanc nostram concessionem apud Dei præsentiam placabilem fieri, & acceptari. Idcirco ex præsentis tenore priuilegij nostri adiungimus Deo, & affatę Ecclesiæ Sanctorum Nic. & Cat. vineas, & Iardenum sitas in pertinentijs Brundusij in loco, qui dicitur Modius cum domo vna palaciata prope Ecclesiam Sanctæ Ecaterinæ, quas titulo emptionis habuimus à Ioãne filio quondam Grimoaldi, & Gemma viro, & vxore ciuibus Brundus. prout in instrumentis inde confectis, & per nos dicto Abbati ad Ecclesiæ suæ cautelam meritò assignatis continetur manifestè. Et, vt hæc omnia, quæ pro vtilitate, & commodo personarum seruientium dictæ Ecclesiæ haberi concessimus, & præsentis priuilegij nostri tenore robur obtineant, & vim, & auctoritatem accipiant infinitam volumus & mandamus, vt ea omnia francè & liberè dicta Ecclesia possideat in æternum nobis, nec nostris hæredibus, vel successoribus in ipsa Ecclesia, vel rebus prædictis ius aliquod reseruantes, nisi solam orationem, & uidandam, sicut vnus de fratribus tam in vita, quàm post nostrum obitum, quod specialiter duximus reseruandum. Sed tam homines, quàm & prædia perpetua volumus immunitate gaudere, ita quod non liceat nobis, aut hæredibus, vel successoribus nostris prædictam concessionem, & traditionem nostram aliquo futuro tempore disrumpere, minuere, vel in aliquo reuocare. Ad securitatem igitur ipsius Ecclesiæ, & perpetuum firmamentum præsens Priuilegium per manus Simeonis de Matera nostri Notarij, & bulla plumbea nostra tipario iussimus roborari, & in eo propria nos manu subscripsimus, & subscriptos alios præcepimus subnotari. Anno. Mense. & Ind. præscriptis. † Ego Tancredus Comes Domini Ducis Rog. beatæ mem. filius hoc concedo, & confirmo. † Ego Petrus Liciensis Episcopus interfui. † Vv. de la tora Comestab. Comitatus Licij. † Ego Nicolaus Manescalcus testis sum, &c.

Anno 1185. ab eodem Comite Monasterium Olivueto ad S. Mariæ de Carrata, & latifundio S. Andreæ augetur. Extra Licium esse arbitror; de eo infra pluribus. Hoc est diploma.

Tancredi Comitis Liciẽsis diploma pro Monasterio.

IN Nomine Dei æterni & Saluatoris Nostri. Amen. Diuinæ Maiestatis intuitu, cui dicata sunt Monasteria, & vniuersæ Ecclesiæ dignum duximus vniuersas Ecclesias, & præsertim eas, quas proprijs sumptibus construi fecimus reuerenter colere, & beneficijs nostris extollere, & earum paci, & quieti ita in posterum prouidere, vt Deo ibi honorificè seruiatur, nec virorum ibi Deo seruientium preces aliquo conc[u]tiantur incursu, vel turbine procellarum. Hinc est, quòd nos Tancredus Domini Ducis Rogerij diuæ, & recolendæ memoriæ filius Dei, & regia gratia Comes Licij, desiderantes augmentare, & ditare Monasterium Christi Confessorum Nicolai & Cataldi, quod proprijs sumptibus fecimus fabricari ad preces, & instantiam fratris Octauiani venerabilis Abbatis eiusdem Monasterij, vt Deus omnipotens augeat, saluet semper, & conseruet semper incolumem Dominum

num

num nostrum gloriosissimum regem, & pro salute nostra, & parentum nostrorum remedio eidem Monasterio perpetuò concessimus quasdam oliuas, quas iuxta Ecclesiam S. Mariæ de Cherrata in proprio fundo inseri fecimus, quæ his finibus concluduntur. Ab Orien. est maula calone & carrara, quæ pergit ad clusuram, quæ pergit ad Ecclesiam S. Mariæ. Ab occid. sunt oliuæ eiusdem Ecclesiæ S. Mariæ cum puteo. Ab austro clusura eiusdem Ecclesiæ cum horto. A Sept. terræ cum mandris, & oliuis prædictæ Ecclesiæ. Intra verò hos fines concessimus eidem Monasterio prædictas oliuas ad semper habendum, & possidendum, vt amodo omni futuro tempore præfatum Monasterium liberum, & absque aliqua exactione seruitij oliuas ipsas teneat, & possideat, & dominetur sine aliqua contrarietate, & requisitione nostra, et hæredum nostrorum, seu successorum. Præterea rogati plurimum à prædicto venerabili Abbate, vt concederemus præfato Monasterio curiam hominum Ecclesiæ S. Andreæ, de quibus hominibus, et alijs possessionibus ipsius Ecclesiæ idem venerabilis Abbas cum venerabili Bantino Abbate vicariam fecit, quia homines ipsi in curia nostra, & baiulorum nostrorum à iudicibus nostris in eorum causis iudicabantur, & ab eis quotiens expediebat adiutorium exigebamus: misericorditer admittentes preces iam dicti Abbatis concessimus eidem Monasterio nostro perpetuè habere prædictorum hominum curiam absque alia contrarietate, & requisitione nostra, & hæredum nostrorum, seu successorum, nec vt de cætero ab ipsis hominibus adiutorium, vel aliquam seruitij exactionem nos, vel nostri hæredes, seu successores exigamus. Si quis autem huius nostræ concessionis temerarius violator extiterit componat parti iam dicti Monasterij libras auri duodecim, & totidem cameræ nostræ præfata concessione firma in suo statu, & inuiolabili permanente. Ad futurorum autem memoriam, & prædicti Monasterij securitatem hoc præsens scriptum concessionis per manus Vrsonis de Monte piloso notarij nostri fieri fecimus, & bulla plumbea nostro impressa tipario iussimus roborari. Anno ab Incarnat. Domini nostri Iesu Christi millesimo centensimo octogesimo quinto. Regni verò Domini nostri magnificentissimi Regis Vv. anno vicesimo, & comitatus nostri anno sextodecimo Mense Febrna. Ind. 3. feliciter. Amen. † Ego Tancredus Comes Domini Ducis beatæ mem. filius hoc concedo. † Ego. . . . . comitatus Licij. . . . . testis sum. † Ego Rogerius de Oria, &c.

Alia multa Comes elargitur in oppido, & agro Hostunensi. Proximæ tabulæ testantur.

AB Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi millesimo centesimo octogesimo quinto. Regnante Domino nostro Guillelmo Dei gratia Rege gloriosissimo anno vicesimo, & comitatus nostri anno sextodecimo Mense Madij tertiæ Ind. Peculiare satis est, & singularis industriæ felicissimum donum, vt ad ea intentionis nostræ principium reuocemus, ex quibus ad veram beatitudinem sperare possumus gloriosos successus. Triplex namque est artificium, quod perducit hominem ad ea vnde cecidit claritatem. Fides immarcessibilis operis fecunditas, & confessionis in Christo. Sed quia inter cætera opera, quæ fiunt in orbe terrarum illud est, quod tanquam sydus irradiat, cum quis domum Domino fabricare, fulcire, & reformare proponit ex qua omnium bonorum principium credimus emanare. Idcirco

nos Tancredus Domini Ducis Rogerij bonæ memoriæ filius Dei, & regia gratia Comes Litij ad honorem Dei, & virorum illustrium Sanctorum Nicolai, atq. Cataldi memoriam Ecclesiam in territorio Litij fabricantes sub ijs, quæ ad substentationem ipsius Ecclesiæ pertinent, & ornatum propositi nostri est animum reuocare, & suggerente nobis Domino Octauiano venerando Abbate quædam ipsi Ecclesiæ concedere in territorio. Hostunensi, ex quibus & honorificentiam, & immunitatem necessariorum possit consequi in futurum. Quapropter ex serenitate animi, & de munificentia nostræ intentionis ex præsentis priuilegij nostri tenore præbemus auctoritatem eidem Ecclesiæ affidandi aduentitios homines, non tamen de comitatu nostro in suo proprio solio. De quibus etiam curiam iudicem, & notarium habere concessimus ex vniuersis causis, præterquam de illis, quæ in ius publicum, & ad censuram regiam pertinere videntur, & vt ab ipsis nihil seruitij, vel adiutorij exigamus. Et de omnibus rebus eorum emptis, vel venditis in tenimento Valesij de placza eidem Ecclesiæ omnino respondeant. Damus etiam licentiam construendi tarpetum pro molendis suis oliuis, atque suorum tamen hominum, & non aliorum in ciuitate Hostuni. Præbemus equidem in partinis eiusdem Ciuitatis quinquaginta arbores oliuarũ, & horticellum cum cisterna, & aquarium iuxta eum, qui ex parte morticij ad nostras cecidit manus, & est iuxta, hortum Atinolfi, & Iaconi Tancredi. Et quicquid morticij habemus in terricellis circa Ecclesiam. Concedimus in Gualdam in proprietatem dictæ Ecclesiæ Castellum paganum cum septuaginta quinque modijs circumquaque terrarum cum aquario. Illud namque ex huius scripti nostri patrocinio indulgemus, vt eiusdem Ecclesiæ animalia propria tam in pascuis, quàm aquis iacentibus præter locum publicum, & foueas, quas in alijs locis nos, vel hæredes nostri ædificabunt, habeant communionem absq. vlla molestia, & affidatione, & vt possit laborare sine vllo terratico, si eiusdem Ecclesiæ terræ sufficientes non fuerunt, debitumque exceptis nostris culturis. Confirmamus etiam ipsi Ecclesiæ quicquid Maiora bonæ memoriæ Sancti Stephani Abbatissa pro parte sui patris, & sui patrui iustè tenuit, & possedit. Hæc igitur, quę ad commodum, & incrementum ipsius Ecclesiæ SS. Confessorum Nicolai, atq. Cataldi ex præmio liberalitatis vestræ concessimus ex præsentis priuilegij nostri tenore cum robur, & auctoritatem accipiant, & ab omni vexatione nostra, nostrorumque hæredum, & successorum perpetua volumus gaudere libertate. Si quis autem temerariè, quod absit, hanc nostræ concessionis, & traditionis cartulam infringere, vel euacuare tentauerit oblig. eum...... parti Ecclesiæ pœnam regalis vigintiquinque, totidemq. in publico. Et quod prius legitur inuictè adimplere. Et hæc cartula nostræ concessionis, & traditionis firma, & inconcussa omni tempore maneat. In qua nomen nostrum nostris proprijs manibus subscripsimus, & eam nostro tipario bullari fecimus. Quam iussimus scribere per manus Ioannis Bussulini curialis notarij mense & ind. prætitulatis. † Ego Tancredus Comes Domini Ducis Rogerij beatæ memoriæ filius hoc concedo. † Ego Maroldus Hostunensis Episcopus, &c.

Ea fuerunt Priuilegia, siue beneficia, quibus Comes Tancredus exornauit Monasterium SS. Nicolai, & Cataldi. Exornant & alij, qui Tancredum consecuntur Licensium Comites. Vgo ante alios, qui cum annus

nus efflueret 1286. superius flumen integrum concedit, ex quo iam Tancredus aureos in annum quadringentos destinauerat. Hæc autem Vgonis concessio.

Vgo Normannus & Licij Comes multa donat Abbatiæ.

NOs Vgo Comes Brennæ, & Licij. Notum facimus vniuersis. Quòd cum ex concessione nobis facta à Serenissimo quondam Domino nostro Carolo illustri Hierusalem, & Siciliæ Rege, inter alia, quæ habemus in terra nostra Licij teneremus, quoddam flumen. Religiosi viri Dominus Nicolaus Abbas Monasterij Sanctorum Nicolai, & Cataldi de Licio & Conuentus eiusdem inuenientes sæpe sæpius coram nobis exposuerunt nobis, quòd ex concessione quondam facta ab illustri viro Domino Tancredo Comite Licij proauo nostro, annuatim ex reddi-tu dicti fluminis pro vestiario dictorum fratrum habere, & percipere debere quadringentos ducatos: nec non ex concessione quondam Domini Gualterij illustris Comitis Brennæ aui nostri, & Dominæ Albiciæ comitissæ vxoris dicti Domini Comitis auiæ nostræ habere similiter, & percipere debeant præter prædictos, quadringentos ducatos: alias libras viginti septem annuatim de redditibus fluminis supradicti. Iuxta quod in Priuilegijs prædictorum Dominorum nobis præsentatis, & ostensis vidimus contineri. Quos prædictos ducatos, & libras annuatim percipere non poteramus, & onerosum, & damnosum erat nobis dictos ducatos, & libras præstare dictis petentibus si dictum flumen tenere vellemus. Cum oporteret nos magis eidem Monasterio annuatim præstare, quam perciperemus de redditibus fluminis sup. Nolentes etiam prædictum Monasterium ab antecessoribus nostris fundatum in præiudicium animæ nostræ suis iuribus defraudare de bona, & spontanea voluntate nostra concessimus eidem Monasterio, & prædicto Abbati nomine ipsius Monasterij recipienti flumen prædictum pro prædictis quadringentis ducatis, & viginti septem libris, quæ annuatim pro ipso flumine recipere debebant. Cuius fines hi sunt. In primis incipit à palude fætida, & inde vadit ad paludem longam, & inde descendit ad voltam curruum, & desuper currentem vadit ad currentē hortus sarraceni, & ipsum hortum sarracenum. Et inde descendit ad fines campi de Riccardo. Et inde vadit ad vadum arenæ altæ, & per littus maris reuertitur in palude fetida, vnde incipit, tali quidem modo, vt amodò in antea in perpetuum dicti Abbas, & Conuentus, & sui successores prædictum flumen habeant, & teneant, & possideant, & omnes vsus fructus, ac redditus ipsius fluminis pro vestiario Monachorum dicti Monasterij ad opus, & vtilitatem ipsorum habeant, & percipiant francè & liberè & absque aliqua seruitute sine omni nostra, nostrorumque contradictione. Vnde ad futuram memoriam, & prædicti Monasterij cautelam præsens scriptum concessionis nostræ sibi fieri fecimus sigillo nostro pendenti munitum. Actum Brundusij. Anno Dominicæ Incarnatione millesimo ducentesimo octuagesimo sexto. Dominante Domino nostro Charlo primogenito illustris Domini Charli Principis Salernitani primogeniti, & hæredis quondam Serenissimi Domini Charli Hierusalem, & Siciliæ Regis Dominij eiusdem anno secundo Mense Madij secundo quartadecimæ Indictionis.

Basiliani, vel Benedictini habent ante nos hanc Abbatiã; Alphonsus Rex Oliuetanis aggregat.

HIs omnibus fortunis, opibusq. Monasterium, fructuum perceptione ex praua Præsulum administratione profecta, & Monastici cultus exercitatione, cum decretus non aleretur Monachorum numerus, quos aliæ Tabulæ Basilianos, pleræque Benedictinos nominant, vtique collapsum nostrorum adminiculo confirmandum, & restituendum existimauit optimus Rex Alphonsus Aragonensis. Et iccirco Summi Pontificis tum Alex. VI. accepto consensu per Io. Cardinalem S. Susannæ Legatum in illis regionibus aggregauit. Non improbat Leo Decimus anno 1512. Diplomate conscripto. Alphonsus, quæ proximè consequuntur assignat. Aloysii olim Paladini, *Iardenum nominatum de Belloloco* (aptissimum certè vocabulum, Monasterio proximum est) *cum turri, & membris suis. Quandam Hostariam, siue Hospitium in platea publica Licij consistens in diuersis membris cum tribus Apotecis duo magazena simul coniuncta. Tenimentum nominatum vulgariter lo Bosco cum feudo nominato, Planca cum Pantano, & mẽbris suis iuxta eorum fines cum iuribus, fructibus, actionibus, iurisdictionibus &c.*

Priuilegiũ Ferdinãdi primi.

Circa Monasterium liberæ quotannis fiunt nundinæ ab octauo ante Cal. Aprilis in consequens octiduum priuilegio Ferdinandi primi, qui anno à Virginis partu 1463. Liciensibus postulantibus à S. Mariæ de Carrata, vbi à duodecimo ad octauum cal. Maij habebantur, huc transferũtur. Carolus V. sub annum Christianum 1517. approbat mille aureis damnans, qui suo huic nouo beneficio aduersetur. Et hodie persistunt, 60. circiter aureos paucis illis diebus è locis, vel officinis, quæ locantur, Monasterio exigente. Quod ad templa, aliaque sacra iura pertinet, quã supra memorauimus, in aditu propemodum Licij collocata ædes S. Andreæ prima occurrit, de cuius extructione, à qua quingentesimus hic annus est, & quinquagesimus, deque prædijs attributis ita legimus.

Tẽpla, quibus Abbatia fruitur.

Templi S. Andreæ Origo.

IN nomine Sanctæ, & ind. Triuit. Anno ab inc. Do. N. I. Christi millesimo quinquagesimo septimo ind. 9. Regnante Domino nostro Roberto Guisardo totius Apuliæ Duce. Ego Ramaldus frater Accardi vnà cum fratre nostro.... & alijs fratribus nostris Rogerio, & Arnaldo conspirati à Dei misericordia, Ecclesiam S. Andreæ Apostoli pro redemptione animarum nostrarum, & nostrorum patrum, vel matrum dedicari fecimus eidem Ecclesiæ, donationem nostra propria, atque bona voluntate de terra nostra, alijsque bonis nostris fecimus. In primis clausoria tria, quæ sunt in circuitu eidem Ecclesiæ, sicut sunt assignatæ apud.....donamus eidem Ecclesiæ omnes terras Ficulæ vnà cum Galtina vsque mare, quæ terræ sunt per has diuisiones, à parte meridiei sunt terra, vlmi, & ibi sunt fines terræ Ficulæ. Ex parte orientis sunt terræ....& ibi diuisæ diuiduntur, similiter desuper ex parte meridiei est terra leonis pardi, & pergit vsque Cabamussellum, & exinde vadit vsque Galtinam, quæ pergit vsque mare, & in medio sunt terra Ficulæ, quæ similiter pergunt vsque mare. Et in casale Banciæ concedimus præfatæ Ecclesiæ S. Andreæ duas Ecclesias, videlicet Ecclesiam S. Mariæ Dei genitricis, & Ecclesiam S. Demetrij cum Cimiterijs suis, & retro ipsarum Ecclesiarum duo clausoria pertinentia ipsis Ecclesijs. Concedimus etiam præd. Eccl. duos villanos in cognominato Casali habitantes

ibi


ibi simul cum casis, vineis, & hortis suis ad seruiendum eidem Ecclesiæ S. Andreæ, nec non & puteum damus cum platea per circuitum pedum sexaginta, & terras ad laborandum sicuti per hos fines signatæ sunt præfatæ Ecclesiæ damus. primus finis est &c. & totas nostras decimas piscium eidem Ecclesiæ concedimus S. Andreæ. Item hanc potestatem eidem Eccl. concedimus, vt homines vndecumque venerint, & ibi se affidare voluerint in ipso sacro loco Ecclesiæ, vel suis tenimentis se securiter affident, & habitent ibi, & præfatæ Ecclesiæ seruiant, & si in aliquo deliquerunt in nullam Curiam iustitiam faciant, nec ad Curiam prædictæ Ecclesiæ sunt. Hæc autem omnia, & quæ supra leguntur volumus, vt illibata persistant omni tempore. Et si quis hæc substulerit, vel subtraxerit componat in Curia Domini nostri Roberti Ducis quinquaginta auri solidos, & in sacro loco præfatæ Ecclesiæ alios quinquaginta. Ego Ralnaldus &c. Ego &c.

CVm autem anno Seruatoris 1555. Abbas Romam retulisset, Ecclesiolam illam nullo circundatam ædificio, post quintum, & vigesimum annum nunquam sacrificatum, nec tum sacrificari, qua lege non tenebantur Oliuetani, dubium quidem esse, quin aliquo illato bello excideretur, esse prorsus facinorosorum, & contumacium receptaculum, & latibulum, Ranerius Cardinalis S. Angeli summus, vt loquuntur, Pœnitentiarius potestatem fecit, vt cum omnibus iuribus ad Monasterium transferretur. Simplex Liciense Templum S. Procopij anno 1214. à Ruperto Episcopo, assentientibus Canonicis, pietatis ergo Petro Abbati donatum est cum annuo, quod cum cæteris maximæ Ecclesiæ soluere consueuerat, stipendio, annua excepta (hodie tarino, & grano) thuris libra. Abbati, qui Monasterio præpositus sit quatuor siue beneficia, siue Cappellanias, vt vocant, in quatuor Principis Ecclesiæ sacerdotes conferendi ius est. Habeo hanc originem. Anno Christianæ legis 1508. cal. Febr. Ioannes Bachilerius Sacerdos Liciensis quatuor nominatim relatis sacerdotibus agrum Couiello cum ijs omnibus, quæ ad eum pertinerent, testamento reliquit, qui semel atque iterum singuli in Hebdomadem operarentur, bis videlicet in S. Spiritus pro fratre Antonello, & Elisabetha fratria, bis in S. Claræ super aram, cui imposita eius Virginis effigies pro testatore, bis in S. Francisci de fratribus pro Maria Garzia Altobelli Maremontij, quondam vxore, bis denique in S. Crucis in ara Iecterij Epistolæ (ita planè) pro parentibus Nicolao Bachilerio, & Cobella Maremontia. Iubet prætera Sacerdotibus illis obeuntibus perpetuo alios de Liciensibus eligendi, atque ab officio discedentes vnum, siue plures pro tempore, eiusque arbitrio amouendi, atque in eorum locum alios summi Templi modò presbyteros sufficiendi penes Abbatem esse, qui à Sacerdotibus electis laborum mercedem decem in annum Tarenos excipiat. Et si quis fortè fortuna, vel legata interturbaturus, vel agro. Sacerdotes euersurus à Pontifice literas, siue Diplôma, siue aliud quiduis scriptum expresserit, sibi cuncta tribuere, & vendicare Abbatem eodem sacrificiorum numero ad Cœnobium translato. Hostuni, quod ex allatis priuile-

Abbas Liciensis ecclesiæ in Æde Cathedrali quatuor, vt aiunt, Cappellanias.

gijs alterum ostendit, Ædem, & sacrarum olim Virginum S. Benedicto inseruientium collegium quingentos, & amplius, ante annos constructum obtinebat, à Miroldo Hostunensium Episcopo Octauiano Abbati in administrationem anno Domini 1182. permissum, multisq. censibus, & præcipuè Latifundio in ora maritima ditatum. Hodie, vt existimo, magnificum esset, socijsque nostris iter illà facientibus commodissimum. Sed cum anno ab Orbe redempto 1530. decimæ nescio quæ, siue subsidia Clementi VII. dependenda essent, diuendita omnia, à Monasterio fortassis nimiùm recedentia. Butunti præter census, & multos S. Sabino nũcupatos intra, & extra Vrbem constitutos, & oppidum Medunei à nostro S. Leonis Monasterio anno 1527. coemptũ in Aedibus S. Mauri, & S. Ambrosii ius Patroni à Canonicis eidem Octauiano Abbati Barensi Archiepiscopo permittente anno 1185. concessum possidebat. Cur ad hæc vsque tempora non manserint, quoue loco Aedes fuerint, nihil reperio.

De Monasterio Butuntino. XLVIII.



SI nostræ Congregationis studiosissimus Alphonsus nullo negocio, quod non supra fidem est, eius imperio tribuendum, Monasterium obtinuit, Butuntinum fuisse censeo S. Leoni piè consecratum. Donatus ea ætate Acquauiuius Aragonensis Prothonotarius Apostolicus possidebat. Is, vt regio loco natus, Alphonsi Regis voto libentissimè indulsit. Tertio itaque cal. Maias anno partæ salutis 1494. de hac re optatissimæ à Pontifice literæ perferuntur, & anno consequente cum F. Iacobo Lucensi Abbate eadem Montoliuetenses dimittuntur. Neque hic, quod sua opera in nostram Cœnobium, & quæcunque ad ipsum antiquitus pertinerent, possessionem aduenissent voti compos Alphonsus, nam ingenita pectoris magnitudine de suo etiam conferre voluit, Duo nimirum tutelaria prædia (feuda hodie) in Butuntino, attamen culta infrequenter Caluarnam, & Sergium. Audio Rogadeum nescio quem possidere. Id vnde factum sit, nihil scio. In exploratis tantum, trigesimo post anno, quàm à nostris aditum sit, M. Antonium Rogadeum litem excitasse, sibi vtpote filio Colletti, asserentem debere. Erat autem restitutæ salutis 1526. cum in has leges vtrique cõuenitur. Monasterium omni in ea iure decedat, & M. Antonio, eiusque hæredibus cedat, is verò mille aureos numeret. Vtrique satisfaciunt. Iam verò, seu quòd conuentio nulla debita à præsidentibus data facultate, seu quòd Cœnobij incommodo transacta sit, siue quid aliud intercesserit, dicere audiui tanto annorum spatio elapso adhuc sub iudice litem, vtrinq. fortiter contendi. Trecentis ab hinc annis Reges Neapolitani anniuersaria Nundinarum celebritate Monasterium decorarunt, qua de, vt certi aliquid sit, duo describenda Diplomata. Vnum est.

Alphõsus Rex Aragon. Monasterium Butuntin. ad Oliuetanos trãsmittit. Feuda duo adiungit.

Priuilegiũ de Nundinis, vt ex diplomate duplici.

Sancia

Sancia Dei gratia Hierusalem, & Siciliæ regina &c. Capitaneis, & Vicarijs, vel eorum locum tenentibus Ciuitatum nostrarum Butunti, & Rubi, nec non Casalium Bituretti, & Casabartolæ &c. Præsentibus, & futuris fidelibus suis gratiam, & bonam voluntatem. Pro parte religiosorum virorum Abbatis, & Conuentus Monasterij S. Leonis de ciuitate nostra Butunti fidelium, & deuotorum nostrorum continet expositio sane relatione veridica facta nobis, percepimus, quod ex concessione facta Monasterio prælibato, & ipsius Abbatibus, & Rectoribus per Capitaneos, reges, & principes auos, & proauos prædecessores nostros Monasterium ipsum in campo curti, & domibus seu tenimento ipsius Monasterij forum, seu Nundinas dierum octo incipiēdo à die duodecima de mane mense Aprilis annis singulis in antea numerandis continuatis ipsis octo diebus sine aliquo internallo francas, & liberas emendi, & vendendi à mercatoribus, & hominibus tam ciuibus, quā cæteris venientibus sine aliqua solutione iuris dohanæ. Quòd si dicti dies octo franchisiæ nundinarum ipsarum intra tempus quadragesimale euenerint, quod ipsi dies octo immunitatum, & franchisiæ supradictæ differuntur, & differri sunt soliti vsq. ad tempus seu festum Paschatis venientis, & sic seruatum fuit, & est tam per dictos prædecessores nostros, sub quibus fuit, & erat dominium dictæ ciuit. Botonti, quam per baiulos, & per prædecessores baiulorum à tempore, cuius in contrarium memoria hominum Botontinorum non existit. Nos verò volentes sequi vestigia dictorum prædecessorum nostrorum prædictam prolongationem immunitates, seu franchisias dictarum nundinarum dierum octo incipiendo à die lunæ sequentis de certa nostra scientia confirmamus, ratificamus, acceptamus, & de nouo damus, & nostræ potestatis, & auctoritatis munimus, roboramus eisdem Abbati, Monasterio, & Cōuentui omni futuro tempore stabiles, vtiles, inuiolabiles, & reales, nec non dictam potestatem dictas nundinas celebrandi liberas, vt supra seruetis, & seruare faciatis inlæsas, vt habetis charam gratiam nostram à dictis baiulis, & alijs quibuscumque molestiam inferri. Itaque non oporteat super hoc de alto remedio prouideri. præsentes autem literas post opportunam inspectionem earum restitui faciatis præsentanti. Datum Neapoli per Alphonsum Cummanum de Neapoli iuris ciuilis professorem Mag. & Vicarium Curiarum appellationum Iudicem locumtenentem vice Prothonotarij regni Siciliæ Anno Domini 1344. die duodecimo Maij duodecimæ Indict. Alterum verò superiore diffusius, & illustrius. Sancia Reginæ de Nundinis Priuilegium.

Nos Ioanna, & Carolus eius filius primogenitus Dei gratia Reges Castellæ, Aragonum, Legionis, vtriusque Siciliæ &c. Vniuersis, & singulis, præsentium seriem inspecturis tam præsentibus, quàm futuris. Confirmantis auctoritas frequenter ius exhibet interdum verò abundantioris cautelæ robur indulget, quæ dum beniuolum animum confirmantis ostendit, ipsum, & quodam premissi debito ad obseruantiam suæ confirmationis astringit. Sanè maiestatibus nostris expositum fuit pro parte venerabilium, & deuotorum Religiosorum Abbatis, & Monachorum venerabilis Monasterij S. Leonis de Botonto ord. S. B. Cong. M. Oliueti de obseruantia Prouinciæ terræ de Bari nostræ Siciliæ citra Farum regni, quod dictus Abbas, & Conuentus ex concessione antiquissimorum regum istius nostri regni, & signanter Regum clari nominis de Serenissima Domo Aragonum fuerunt, & sunt in Priuilegium de Nundinis alterum, & recentius.

possef-

possessione à tanto tempore citra, quod memoria hominum in contrarium non existit, & habent facultatem potestatem, & auctoritatem faciendi celebrare singulis annis in festo S. Leonis mensis Aprilis nundinas per octo dies in campo, & domibus, & curti dicti Monasterij cum franquitate, & exemptione ab omni solutione fiscali, & cum facultate congregandi pondera mensuras, & cannas, & sigillandi, vt mercantiæ recto pondere, & mensura vendantur, & emantur, & cum omni iurisdictione ad confluentes ad dictas nundinas. Prouidendo, quòd nulli ex confluentibus ad dictas nundinas possint conueniri coram alijs officialibus, seu tribunalibus præterquam coram officialibus dicti Monasterij, & cum multis alijs prærogatiuis præeminentijs, & iurisdictionibus in eorum priuilegijs expressis, & consuetudinibus antiquis ritibus, vsibus, & obseruantijs solitis, & consuetis, & signanter quòd Magister Iuratus, & Magister mercatus cum alijs de dicta Vniuersitate, qui soliti sunt assistere vexillo tempore dictarum nundinarum teneantur custodire, & prouidere circa custodiam dictæ terræ tempore pestifero, & non permittant intrare dictã terram personas à parte pestifera venientes, imò illis prohibere, ne ad dictas nundinas veniant, nec merces venientes à parte pestifera in dictas nundinas venire permittant, prout in eorum priuilegijs Serenissimorum Lisdali (Ladislai, puto) *reginæ Ioannæ Aloÿsij Alphonsi I. Ferdinandi I. Alphonsi II. & Friderici vsibus, & consuetudinibus illorum, ad quæ relatio habeatur, hęc, et alia serosiùs dicunt cõteneri. Fuitq. pro parte dictorum deuotorum Abbatis, & Conuentualis dicti Monasterij S. Leonis de Botonto Maiestatibus nostris humiliter supplicatum, vt facultatem celebrandi dictas nundinas tempore præstatuto in eorum priuilegijs expressis, & prout sunt in possessione, ac etiam facultatem, ne vllo tempore pestifero venientes à partibus pestiferis ad dictas nundinas, nec alio etiam tempore ad dictum Monasterium confluant, aut veniant personæ ex partibus pestiferis prouenientes, pro ut in eorum priuilegijs serosiùs dicuntur contineri, eorumque priuilegia super prædictis eis concessa vsus practicas, & obseruantias de nostra solita benignitate laudare approbare ratificare, ac confirmare, ac quatenus opus sit eisdem Religiosis de nouo cõcedere dignaremur. Nosque eorum supplicatione benigne suscepta ob feruentem deuotionem, quam in tam pium, sanctumque Cœnobium, totamque religionem diui Benedicti habemus, tenore præsentis, deque nostra certa scientia deliberatè, & consultè dictis Abbate Monasterio, & Conuentui S. Leonis de Botonto facultatem celebrandi, & celebrari faciendi tempore, & locis in eorum Priuilegijs expressis nundinas singulis annis cum franquitatibus, immunitatibus, & exemptionibus, & facultatibus, & omnibus, & singulis alijs in eorum priuilegijs expressis, & contentis, & ritus, & consuetudines hactenus obseruatas, prout meliùs, & pleniùs hactenus vsi fuerunt, & in præsentiarum in possessione existunt, & iuxta dictorum priuilegiorum tenorem, quæ licet hic non inserantur, haberi tamen pro insertis volumus, & mãdamus, laudamus, approbamus, ratificamus, confirmamus, ac quatenus opus sit eisdem Religiosis de nouo concedimus cum facultate prohibendi venientibus à partibus pestiferis, ne ad dictas nundinas, aut Monasterium confluant, nostræque huiusmodi laudationis approbationis ratificationis, ac quatenus opus sit noua concessio, cæteraque omnia, & singula præcontenta sint, & esse debeant nunc, & in omni futuro tempore firma stabilis valida, & realis, nullũque in iudicijs aut extra sentiens*

tiens diminutionis obiectum defectus incommodum aut alterius noxiæ detrimentũ sed in suo robore, & valore persistat. Quapropter illustri Viceregi magno quoque Camerario, Magistro, Iustitiario, Iudicibus magnæ Curiæ, Præsidentibus, & Rationalibus Cameræ nostræ Summariæ Gubernatoribus Prouincialibus Thesaurarijs, dohanerijs secretis, vice secretis, & alijs quibus ius officialibus tam maioribus, quã minoribus, & quocumque nomine nuncupatis, & iurisdictionem in dicto nostro Regno exercentibus, & præsertim Capitaneo Sindicis, & Vniuersitati de Botonto præsentibus, & futuris dicimus, & districtè præcipiendo mandamus pœna vnciarum auri mille adiecta, quatenus huiusmodi nostram laudationem, approbationẽ, ratificationem, & confirmationem, & quatenus opus sit nouam concessionem, cæteraque omnia, & singula præcontenta teneant firmiter, & obseruent, tenerique, & obseruari per quos deceat faciant, & non contrafaciant, vel veniant, seu aliquid contrafacere, vel venire permittant ratione aliqua siue causa si .... & indignationis nostræ incursum pœnam præappositam cupiunt euitare. In cuius rei testimonium præsentem fieri iussimus nostro magno negotiorum Siciliæ citra pharum Regni sigillo impendendi munitam. Datum in oppido Brussellarum die 30. mensis Aprilis quintæ Ind. Anno à Natiui. Domini 1517. Regnorumque nostrorum &c. yo el Rey.

SEd annos ante 15. qualis qualis causa fuerit, nundinatores vsque adeò auersi, vt neque eò commeent, neque velint se vnquam commeare solitos. Magnam fecit iacturam aureorum, quod aiunt, in singulos annos trecentorum. Et quidem tanti hæ nundinæ putabantur, vt, vel cum pestilentiæ glisceret suspicio, nequaquam intermitterentur. Id quidem anno Euangelici dogmatis 1479. contigit, cum, oppidanis ex eo, quod pestis Barolum inuasisset reclamantibus Rex tamen Fridericus voluit omnino nundinari, quod in primis foret è re Monasterij. Pendet ex hoc Cœnobio Aedes, quę S. Maria mater Domini vocitatur, cuius Ius patrocinij nomine ad Laicos spectabat à Bernardino Regino tradita Pontifici, qui ea nos auxit anno 1537. Eiusdem sæculi 89. Theseus quidem Alettus prodit suam esse contendens, longa tamen habita Controuersia euincitur, eaque hodie perfruimur. In S. Leonis sacrario ligneum brachiũ exhibetur argenteis laminis cõuestitum, in quo medio grandiusculum ossis frustulum, aiunt, S. Leonis Pontificis conspicitur. Nullũ re vera monumentum, nisi quod supra portulam, vbi reliquiæ, antiquioribus legitur elementis. Sanctus Leo. Hic enarrandum puto, Gioiæ, quod oppidum est, medio ferè itinere, quo Butunto ducimur Tarentum domũ esse prætereuntibus Oliuetanis Hospitalem. Qui spectauerit, indignum, quid esse arbitrabitur, quod in hoc libro inseramus, attamen considerati, quæ hinc loco abhospitijs nudo, sit nostris commoditas, præclarè factum videbitur, vt, eius, qui illa in cæteris donauit Monasterium, memoria custodiatur. Fuit anno 1531. Franciscus quidam Milionius Gioiensis noster oblatus.

Reliquia S. Leonis Pontif.

Hospitium Gioiense Oliuetanum.

De Monasterio Leoniceno. XLIX.


Vblica quædam opinio, ac vetustissima traditio circumfertur, & quibusdam pariter Historiarum monumentis legi perhibetur, quo tempore Attila Hunnorum Rex, quē flagellum Dei cognominarunt in Italiam exercitum promouit sub annum nostræ salutis 490. in planicie, locisque palustribus mille passus Leonico, & tantundem Lobia disiunctis, quod oppidum sub Vicentinum, & sub Veronense dicitur recta via, qua Veronam Leonico ducimur, inter Regis copias, & Leonicenos, aliosq. ex finitimis locis contractus magna vtrorumque internecione acie dimicatum, ac multis post annis querulas quasd. & horribiles voces à prætereuntibus exauditas, vt cum nec breuiori, nec commodiori itinere Veronam contēdi posset, Leoniceni, quibus illà transeundum erat, laruis plerumque corriperentur, pessimisque modis acciperentur. Res igitur Leonicena tam graui calamitate suos liberatura ad Pontificem confugit, suamque necessitatem exponendam curat, vt locum sua benedictione consecret, suppliciter deprecata Pontifex obsequitur, mandatque propterea, vt Templum ibi S. Petro Apostolo constituatur, & habita auditis lamentationibus allusione, S. Petri Lamentensis appelletur, omnesque, quibus S. Petri Aedes Romana exornatur, culparum expiationes impartitur. Templo constituto querimoniæ illæ, illæ voces horrendæ, & formidabiles non audiuntur. Traditur alibi, Pontificem Abbati S. Mariæ in Organo negocium dedisse, vt illic Aediculam suo censu extrueret, annuumque prouentum Sacerdoti, qui pro illis, eo in loco mortem miserè occubuissent, peculiaria sacra celebraret, attribueret, extructam autē annuis florenis quadraginta pro reditu assignatis. Vt ut sit, id quidem certò habemus, Aedem excitatam à Io. X. Abbatiæ S. Mariæ in Organo permissam, Alex. III. attestante in Diplomate, quod anno 1117. conscriptum est, quo in cæteris confirmat *Obedientiam S. Petri de Leonico*, & Abbas in Sacerdotem conferebat, ac multas ego ipse collationes vidi, quibus Aedes S. Petri Lamentensis appellationem retinet. Pereunte verò temporis processu præstituto in singulos annos prouentu sacro quouis ministerio destituitur, vtpote simplex, & animarum procuratione liberum Sacerdotium Abbates committunt, & cum primis anno 1479. cum Io. Franciscus Pacinus iurisperitus, sacrique Palatij Auditor potiretur Romæ ætatem agens de illa nihil penitus meditabatur, adeò, vt in pessimum locum deducta, tugurium potius, quàm templum representabat expedito cuique dies noctesque ingressu, & regione absque domicilijs in latitudinem porrecta in planicie commorantibus pluuio tempore perfugium. Vtique multi illò transgredientes Virginis imagini muro ad sinistram altaris depictæ venerationem pariter, pariter deprecationem allaturi sese inferre consueuerunt. Mariæ species est in ce-

lum

Vallis laruis obsessa prope Leonicum.

Liberatur Aede S. Petro excitata.

Abbatiæ S. Mariæ in Organo permittitur.

Virginis imago venerabilis

lum sublatæ iunctis manibus, cęlestumque sedem suspicientibus luminibus cum libro vlnis imposito, filioque in patibulum suffixo impendenti, quod trunci more figuratum duodecim faciebus Apostolos referētibus ex aliis trunculis ramorum in modum ex principuo trunco enascentibus circundabatur, Angelis hinc inde genua curuantibus. Annus erat à Christo nato 1486. cum mense Aprili Nouarienses tres calceorum sartores, vel cerdones Io. Antonius, Gulielmus, & Io. Petrus Veronę conuiuerent mutua inter sese beneuolentia, & familiaritate coniuncti, quorum primus, Ioanni Petro aureos admodum esse quinquaginta, interdum conse cutus, Gulielmum conuenit, si ad hominis cædem secum coeat, mediam pecuniæ partem traditurum. Consilium Gulielmo probatur. Ioannem ergo Petrum Leonicum versus perducere, & captata occasione vita deturbare constituunt. Die quodam Dominico Io. Antonius socijs domi suæ prandium condicit. Inter epulas, vt cum ipsis pannum pretio quæsituris nundinas petat Leonicenas, Ioanni Petro artificiosè persuadent. A prandio Io. Antonius sica, gladio Gulielmus, pugione verò Io. Petrus accepto Leonicum ingrediuntur, quò cum hora vigesimatertia peruentum, extra Castrum hospitantur. Postera die Leonicum introeūt, Deūq. in templo primùm venerati in cauponam pransum secedunt. Comprausi Ioannes, & Petrus, & Antonius candidum pannum commercati Leonico Veronam cum Gulielmo egrediuntur, cum Castro vnum tantummodo lapidem distantibus, Sanctoque Petro Lameritensi vno similiter teli coniectu propinquis, Io. Petrus alui deijciendæ causa aliquantulum de via deflectit. Reliqui duo tempus, locumque nefario consilio perpetrando satis idoneum existimantes, insequuntur, manusque extemplo afferē tes Io. Antonius altum pectori vulnus infligit, Gulielmus posteriori veste crinibusque prehensum arietat, Io. Antonius misero insultans faciē, aliasque corporis partes ad necem vsque vulneribus afficiunt, Virginem vterque execratus pecuniam marsupio subtrahunt, &, quem coemerat pannum surripiunt, Sanctique Petri templum ingredientes, super aram enumerant, sibique ex æquo distribuunt. Gulielmus autem scelere tam lethifero tristis sociū ita alloquitur: Hei mihi, frater mi infelicissimo Io. Petro iugulato grauiter peccauimus. Quis nam sciat? inquit Io. Antonius Deus, Gulielmus respondit, Virgoq. Deipara. Tum Io. Antonius ira percitus, siue cacodęmone abreptus. Si mihi persuasum sit (detestabile maledictum) meretricem hanc Virginem Mariam facinus animaduertisse (verba ipsa ex probata capitis quæstione deprompta. *Io ge daria diexeferide.* Hæc præfatus sicam Io. Petri adhuc sanguine fœdatam statim arreptam contra Virginis Imaginem prope aram contorsit, faciem, frōtem, pectusque percutiens, turpissimo illo conuicio, meretrix Virgo Maria, sæpius inculcato. Oculo tamen sinistro in primis vulnerato, ecce tibi (res quidem miraculo plenissima) læuam manum ab altera seiungit, extollitque, & sauciato lumini indolentis more imponit, ex pectore verò pari admiratione sanguis emanat, cuius ad hanc vsque memoriam

Miraculū singulare Virginis Leonicenę

Qq guttu-

guttulæ inſpiciuntur. Multi paulò poſt ſeſe è mercatu recipiētes, Deumque in ædicula more ſuo veneratione afficientes, Dei genitricis imaginem ſanguine imbutam, & priſtiuam formam aliqua ex parte immutatam intelligunt. Continuò obſtupeſcunt, habent pro miraculo, paſſim euulgant. Inuentum quoque cadauer Ioannis Petri, cuiuſque ſit facilè deprehenſum. Hinc quod euenerat coniectura aſſequuntur, à ſocijs nimirum graſſatoribus vita ſpoliatum. Ea re cognita malefici in cuſtodiam ne dentur, fuga ſalutem petunt. Io. Antonius nuſquam apparuit, nec vllus vnquā de eo nuncius allatus eſt. Gulielmus nō multò poſt in S. Zenonis Abbatia Veronæ capitur, & quæſtione habita, nihil non enunciat; pronunciatumque eſt, equis circa forum, & per Curſum ad uetus vſque Caſtellum rapiatur, atque deinde Braidam verſus, vbi contignatione extructa, capite obtundatur, & in quatuor partes diſtrahatur, quarum altera cum capite ad Veronenſium, & Vicētinorum fines, quo loco facinus admiſſum eſt, deferatur, ac patibulo ſuſpendatur; aliæ verò ſupra, vel extra Vrbis portas, Epiſcopi, S. Spiritus, S. Georgij ad exemplum pendeāt. Io. Antonius Verona, agroque in perpetuum exilium, omnique imperio Venero amandatur, adhuc ſpirantem bis mille libris, mille autem mortuū indicibus tradēti mille mercedis loco propoſitis. Rei deinde vſque adeò admirabilis ad Virginis Imaginem geſtæ in omnem regionem fama peruadere, & religionis ergo maxima populorum frequentia concurrere, eò magis quòd præpotens Deus ad ſuam, Matriſque gloriam, multis ibi ſupplices mortales beneficijs cumularet, multiſque ſacram Ædem miraculis honeſtaret, quorum primus accidiſſe creditur eodem anno 1486. Nonis Maijs, quo quis equino calce dorſo impetitus, & ad Imaginem delatus, quotquot aderant ſtupore correptis, repentino ſanitatis beneficio affectus eſt. Anniuerſaria idcirco in Leoniceno peragitur eo die celebritas, & pompa ſpectaculo ſatis digna; magnus Leonicenorum aliorumque confinium numerus miraculis nobilem conuiſit Imaginem, res diuina celebratur, & cereus erogata etiam pecunia ſumma pietate affertur. Populorum igitur in eum locum veneratione quotidie magis progrediente. Rector ipſe Antonius Pacinus cum per ſeſe, multiſque negocijs diſtentus S. Petri Lamentenſis Ædem, qua par eſſet dignitate adminiſtrari, non poſſe intelligeret, Abbati S. Mariæ in Organo, vnde ſeptēnio ante acceperat, reſtituit. Innoc. VIII. reſtitutionem, & coniunctionem firmā, ac ratam habuit, non quia Ædes illa ad Abbatiā minus pertineret, ſed vt veterē illius poſſeſſionē propemodum confirmaret. Abbas continuò iterum fabricari (veteri templo, quod Virginis hodie Sacellum eſt, relicto) atque pars excitata eſt, quæ ad arā S. Petri prope ſacrarium ſpectat, ara tunc erat maxima, cum ampliſſima nauis anno 1500. conſtructa ſit. Petrus Brutus Aſcriuienſis Epiſcopus, Baptiſtę Zenij Cardinalis Epiſcopi Vicētini Proepiſcopus, vel Vicarius Beatiſſimæ Virgini, S. Petro Apoſtolo anno ſalutis 1488. 3. calendas Octobres conſecrauit, certo Monachorū numero, qui ibi perpetuò agerent,

Reſtituitur S. Maria in Organo.

Monaſterij Oliuetanum erigitur.

agerent, legesque Benedictinas custodirent, per Abbatem constituto. Vt autem, quod temporis processu vsu venire poterat, cuiuis rudium, & quorumcunque hominum de miro ad Mariæ Virginis Imaginē euentu, dubitationi, & religioni obuiam iret, Commune Leonicenum anno 1491. Ascriuiensem Episcopum oratum voluit, quod perpetuum esset monumentum, probatissimam ea de re quæstionem haberet. Episcopus id verissimè postulatum existimans, ad Prætorē, ad Proarchipresbyterū Plebis, ad Priorem S. Firmi Leonicenos mittit, quàm diligentissime inquirant, Imaginis quinam status, quæ nam forma fuerit, priusquam cędes facta sit, & facinorosus ille percusserit, hisque patratis sceleribus vllane in se, qua ve ratione differat. Summo igitur studio testes numero septem interrogantur, qui iureiurando profitentur obstricti, sese imaginē sæpe ac sæpius cum obsecrationibus veneratos certo scire Assumptæ in modum antea depictam compositis manibus, sublatis ad Cœlum luminibus, libro inter vlnas posito, postea tamen mirabiliter commutatam, manu videlicet sinistra oculo, altera verò pectori applicita, capite aliquantulum demisso, sanguineis guttulis adspersam, quemadmodum supra narratum est, & in quæstione fusiùs legitur, quam anno 1492 condiderunt decimoquinto calendas Apriles, eiusque duo in eodem Templo pendentia exempla oculis vsurpantur.

De miraculo ad fidem Leoniceni quæstionē habent.

De Monasterio Eugubino. L.



ANteaquam hoc Sancto Petro sacrum, quod modò possidemus Monasterium nostræ Congregationi ab eius vsque primordijs traderetur, in alia duo Montoliuetenses intromissi, in S. Donati ad Fauces, in S. Benedicti, denique transducti in ædes S. Petri. Templum cum adiunctis ædificijs mille circiter passus ab oppido appellatione S. Donati ad Fauces, Eugubinus Episcopatus obtinebat, Religiosorum quondam, siue Regularium virorum Benedictino instituto viuentium fuerat domicilium; tum verò anno ab Orbe redempto 1338. cum in simplicem popularem ædiculam migrasset, cū clerico vnus duntaxat Sacerdos habebat. Subijt ergo animum Petro Gabrielio Antistiti malo exemplo, quod ex eo regionis incolæ conceperant occursuro diuini iterum cultus, Monasticæque obseruationis ibidem excitandæ. Canonicorum Collegio non reclamante id perfecit, detulitque B. Bernardo Ptolomæo, qui per illa tempora in Senensi Monachorum Congregationē condiderat, quorum in illis regionibus vitæ asperitas, & sanctitas celeberrima. Non respuit Bernardus, eòque F. Bartholomeum, F. Simonem Turium Senēsem, F. Angelum Andreutium Eugubinū dimisit, qui in fidem acciperent. Rata fiunt omnia per Vrbanum VI. edito Diplomate, quo præcipit vt animarum curationem S. Donato impositam S. Angelus de Costa, cuius prope Monasterium ædes est, in posterū sustineat.

Tria ordine Monasteria Oliuetanis Eugubij.

Monasterium S. Donati ad Fauces.

Petrus Gabrielius Eps Eugubij Oliuetanos inducit.

Ibi summa egestate perexignis è S. Donato prouentibus laborantes degebant Oliuetani, cum diuino impulsu, quod supra fidem non est, Placidus Abbas S. Bartholomęi de Camporegio, aut Camporegiano, aut Căporiano (in ipsis Tabulis hæc ipsa nominum varietas) Ecclesiæ Romanæ proximè subiectus Benedictinus in Eugubino, & Guidus, siue Guido Comes Montisfeltrij mentem eò sæpius intēdentes Abbatiam Camporegiani (hoc, vtpote communiori, in hac Historia nomine continenter appellabimus) bellis, alijsque calamitatibus in ædificijs, & possessionibus, atque Monachorum desiderio maximè prolapsam, in eo studuerūt elaborandum, vt Monasticum institutum Camporegiano intermortuū in S. Donato excitaretur. Quamobrē anno ab Orbe restituto 1419. supplicem de eo libellum detulerunt Martino Quinto, Abbati S. Verecundi Pontifex rescripsit, postulatorum æquitate cognita, Abbatialem in Camporegiano Dignitatem supprimeret, sacrorum administratione Vicario permissa, & cum pertinentibus adiūgeret Cęnobio S. Donati. Protinus exequitur. Anno proximè accedente Cardinalis, cui in Commendationem obuenerat S. Crucis de fonte Auellano Abbatia, adiūctionem quam maximo suę Abbatiæ detrimento sustinens, litem nostris intendit. Nitebatur Cardinalis in eo, quod literarum de coniunctione Apostolicarum exordium huiusmodi. *Sanè pro parte dilectorum filiorum Placidi Abbatis Sancti Bartholomæi de Camporegio Romanæ Ecclesiæ immediate subiecti.* Aiebat ipse literas proculdubio surreptitias, cum Camporegiana esset Auellanæ *pleno iure subiecta.* Vtrinque rationibus productis, cum Cardinalis intellexit ab eo iure, quod peteret, se longiùs abesse; litigio cessit, Monachi Sancti Donati in Abbatiæ possessione quieuerunt. Nihilominus à Cardinale, in eius, qui ab Epistolis erat, nepotem paulò post collata, is denuo cum Monasterio litem instituit. Causa ab vtrisque varijs ex tabulis dicta, steterunt Oliuetani, & obtinuerunt. Anteaquam vlterius prouehamur ex alto de huius Abbatiæ antiquitate, nobilitate, & potestate differendum, eò magis, quòd hinc potissimùm, vt docebimus, omnis Monasterij S. Petri, quod hodie incolimus, proficiscatur amplitudo. Antiquissima igitur Abbatia Camporegiana, cum ab anno 1053. Joānes quidam Abbas dictus reperiatur, &, quæ mea fert opinio, a S. Petro Damiano tum eremicola, postea verò S.R.E. Præside Illustrissimo condita est. Abbas, siue Abbatiæ Conuentus in ipso Castro, siue Arce Camporegiana dominabatur, &, quod illa tempora exigebant, militaria pręsidia collocabat. Quocirca anno Christi 1350. Abbatiæ cætum legitur, quatuor viris, vt credibile est, vel nobilitate claris, vel opulentia splendidis Arcem tradidisse, Abbati, eiusque successoribus sese defensuros, & seruaturos pollicentur, & quot Castello, prædijsque adiacentibus tuendis opus sint, tot se armatos habituros. Monasterium singulis mensibus centum florenos aureos mercedis loco conferebat. Erat olim prope Abbatiam sacrarum Deo Virginum Collegium titulo S. Mariæ Benedictinum ante annum ab Orbe redempto 1205. Abbatis voluntate *in loco, qui dicitur*

Iungitur Abbatia S. Bartholomæi de Camporegiano.

Abbatia Camporegiana antiquissima

S. Petrus Damian.⁹ fabricatur

Virginum conuentus prope Abbatiā Camporegianā

citur

citur tres modij in Monte maiori à quadam Beatrice Comite positum, quæ prima Antistitæ munia exercens Cœnobiū Abbati Camporegiano submisit, cuius auctoritatem cereo trilibri quotannis testabatur. Beatrix appellatur *Abbatissa S. Mariæ de Amogijs.* Spectabat similiter ad Abbatiæ Camporegianæ curam, & administrationem, anni ampl us trecenti sunt, alterum puellarum religionem colentium Monasterium. S. Iacobi *de monte filiorum Vgonis* dicebatur. Inter Benedictina numeratur. Situm erat, quantum è tabulis conijcitur, vbi Montis dorsum ad dextram, qua Ciues Eugubini ad templum S. Secundi egrediuntur. Lego enim anno à restituta salute 1288. Rollandum Abbatem S. Bartholomæi concedere *Marthæ, & omnibus dominabus monasticam vitam profitentibus præsentibus, & substituendis in perpetuū Ecclesiam S. Iacobi in monte filiorum Vgonis situm cum omnibus possessionibus, quas præfatum Monasterium..... vel tenet à via S. Secundi per totam costam, & per totum prædictum Montem cum omnib. ædificijs.* Pendebant annuum in censum Virgines Abbatiæ Camporegianę linteæ vestis vlnas quatuordecim. Tempore autem procedente sedem illam nimiùm, vt ipsis videbatur, remotam perosæ, vel in Vrbe, vel certè propiùs aliud sibi domicilium expetebant; Non audiente Abbate Camporegiano, nulla potestate aliquando prodierunt, & in Eugubinum domicilium pessimo quidem exemplo sese abdiderunt. Sacris Abbas interdicit, turbæ consequuntur ingentes. Ea cum vsui non sint missa facio libentissimè. Tandem omnino desciscunt, cętusque Camporegiani, nec auctoritate nec consilio cum S. Luciæ Virginibus Augustinensibus vitæ communionem ineunt. Ex illa consociatione Sodales nostri litigio Virgines Lucianas petunt, canonem nescio quem, siue locationem postulantes, puto decem & quatuor telæ cubita pro fundis S. Iacobi à Camporegiana Abbatia sacris puellis, quod iam dictum est, olim concessis. Illæ ad Eugenium Pontificem anno 1473. referentes nihil complures annos persolutum, gratissimas ab eo literas accipiunt, quibus nullum amplius de ea re exhibere prohibemur. Templa verò, quæ ex Abbate & Collegio S. Bartholomæi de Camporegiano dependent, permulta. Primùm autem de Ecclesia, vel animarum curatione affecta, vel Collegij more administrata, de Conuentu, de Eremo, de Prioratu (varijs hisce nominibus appellatur, sæpius tamen Eremus) S. Nicolai de Virgillano Pregij. In Perusino sita est. Ante annum nostræ reparationis 1218. Generalibus Comitijs Camporegianorum habitis anno Christi 1366. omnes qui proximè recensentur, Priores præter supradictum Virgillanensem, qui primas obtinet, nominantur Priores S. Vincentij de lacu, S. Nicolai de M. Miniano, S. Martini de Ioue, S. Luciæ de Cretio, S. Mariæ de Vicinana, S. Bartholomæi de Montealto, S. Crucis de Perusio, & S. Luciæ de Collibus extra, & prope Perusiam. Hinc præclarè intelligi mihi posse videtur, Abbatiam Camporegianam Congregationis caput extitisse. De his r[illegible]tum nunc dicta sufficiant. Vt huius Historiæ finem faciam, ædes [illegible] perspicuè colligemus Camporegiano subiectas, atque alias ad [illegible]

Alias Camporegiana iure sibi subiectum alteri in Vrbe Eugubina Virginum Cœnobium.

Abbatia Camporegiana templa numerat.

Comitia Camporegiana generalia.

S.I'....

S.Petri aliunde pertinentes. Ad S.Donatum reuertamur. Fuerant ibi sodales nostri ad annum vsque post salutem restitutam 1425. cum de migratione actum est è Monasterio S. Donati in alterum non longè distans extra Vrbem nomine S.Benedicti, in quo Abbas pariter sedebat, & Conuentus. Ad abitionem suis quibusdam rationibus, quas ne eam quidem diplomate concedens Pontifex Mart.V. exprimit, permouentur, quod vtrique meliorem permutatione expectent conditionem. Nihil tamen agitur de Abbatia Camporegiana, paciscuntur enim vt in Oliuetanorum potestate persistat, quibus posthac in Cœnobio S.Benedicti, commorandum sit. Huc accedit, quod anno à Seruatoris ortu 1483. Sixtus IV. S.Benedicto Abbatiam S. Angeli de Claserna Canthianæ in Eugubino, aliaque sacra loca inde pendentia adiungit, S.Nicolai de Canthiana, & S.Christophori de Magliano, siue Callij. Ædes quidem S.Nicolai cum Ædibus S. Laurentij, & S.Mariani, quibus viuens frueretur (fato tamen concedente Sedes Apostolica obtineret) Io. Paulo traditur Augustinensi, qui (annus ibat à salute reddita 1495.) Templum S.Anastasiæ, quod per Commendationem tenebat, ad Oliuetanos transtulit. Translationis ex Alex.VI. testimonium. Tot verò Abbatijs & Ecclesijs, quas consecuta est nostra Cōgregatio accessit anno 1505. Eugubij Monasterium S.Petri. Vacauerat (ad nigros enim Benedictinos pertinuit) ab Agapito quodam Clerico, siue Præsule Vrbinate, qui Commendatarius possidebat, restituta. Pontifex integram nobis dare voluit, ita vt mensa Abbatialis nunquam secernatur à Conuentuali, sed in pristinum locum, in Monasticam administrationem redigatur, qualis antea fuerat, quam secretio mensæ fieret. Consecutio huius Monasterij commodiorem fortasse facultatem præbuit, vt breui S.Benedicto eijceremur. Namque anno à præstita salute 1520. cum Leo X. & ad Eugubinæ Ciuitatis firmamentum, & ad communem Ecclesiæ tranquillitatem esset arcem excitaturus, nullaque ad eam rem magis idonea sedes, quàm quæ extra Vrbem, vbi sacrarum Deo Virginum Collegium S.Mariæ de Pelagio nuncupatum pro S. Claræ instituto conditum, ab ijs quos operi Pōtifex præposuerat de arce inibi extruenda, de Virginibus ad Cœnobium S.Benedicti transferendis, quo cederent, inq. S.Petri sese reciperent Oliuetani, deliberatum est. Nostri recedunt inuiti, Pontifex tamen qualecumq. damnum è S.Benedicti, & horti Monasterium attingentis iactura illatum compensaturus, cum anno 1523. literis datis Camporegianam & Clasernanam Abbatias cum alijs ędibus nominatim expressis à Monasterio S.Benedicti seiunxisset, & ad S.Petri cum Monachis ipsis transmisisset, Ædem præterea S. Felicissimi, & Abbatiam S.Stephani intra fines Caratelli in Eugubino adiecit. Clemens verò VII. plebem S.Ioannis de Gorregio apposuit. Ergo Sodales nostri in S.Donati, deinde in S.Benedicti domicilio, commorati tertium demum subierunt Eugubij, quo & hodie perfruuntur S.Petri. Neque hoc minus notabile, minusque dignum, quàm reliqua duo fuerint, censendum est. Abbatiæ titulo insignitur.

Ex S. Donato ad S. Benedictū sese transferunt.

Sixtus.IV. Abbatiā S. Angeli de Claserna attribuit.

E S.Benedicto ad S. Petrum fit transitus Oliuetanis.

gnitur. Vetustissimum est, multisque exornatum iurisdictionibus; Quocirca vt singularem illis voluptatem afferam, quos antiquissima quæque nosse delectat, quæ de eo legerim refero. Anno salutis 1202. inter Episcopum Eugubinum & Abbatem S. Petri exorta controuersia, sentiebat Episcopus, sibi Monasterium S. Petri cum adiunctis Ecclesijs subiectum, Abbatis confirmationem & consecrationem ad se, vt Diœcesanum Præsulem spectare. Abbate repugnante, Pontificem vterque adijt, qui ad arbitrium Cardinalis S. Susannæ nomine Benedicti causam, litemq. contulit. Res ita per illum constituitur, vt Episcopus, eique surrogati tertia Paschatis, Sanctique Petri festa luce per pompam, aut cum Canonicis, aut saltem cum decem clericis ad S. Petri sacrificatum eat. Abbas in Episcopo eligendo à primo proximum, & suffragium ferat, & locum obtineat, Episcopus interdictum nullũ inconsulto, & insciente Abbate emittat; In Consecratione Episcopi Abbas cum Monacho, pueroque de suo comitetur, aliaque præterea decernunt, quæ breuitatis ergo missa facio. Ædes in hanc Abbatiam adscitas nullas inueni, quàm S. Saluatoris de Nerbisijs Paræciam, & S. Victorini de S. Victorino, vnde Paræciæ titulus abest. Vtrasque commemorat Mart. V. diplomate anno salutis 1428. conscripto. Hoc igitur Cœnobio augemur eximio quidem, vt diximus, sed quod audiui, & ipsa loquuntur vestigia, angustis, ruinosisq. ædificijs instructo. Sodales, & F. Leonardus in primis cognomine Porcellus Eugubinus, qui post mirabile nostræ reparationis mysterium anno 1516. Abbatiatum Generalem in Re Oliuetana sustinuit, hic Priorem egit, nouum Cœnobium, quod minus perfectum, atque absolutum etiam dum perspicitur, magnifico ad speciem modulo instituerunt. In Templo omnes summa Religione venerantur ossa, quæ vulgò fama est B. Sperandei quæ arca lignea in alteram lapideam vetustissimam inclusa, & super arã sacelli, cuius nihilo minor est antiquitatis laus, collocata adseruantur. Huic imposita lignea crux parieti infixa grandiorem sanè Christum sustinens, quantum natura ipsa patiatur, non affixum, sed refixis manibus pendentem aliquid iamiam amplexuris. Ad eiusdem aræ sinistram paruum foramen, vno, aut duobus patens palmis vndique fenestra conspicitur, quæ è candido marmore laminam ostentat, in qua pedum vestigia. his inscriptis. *HAEC SVNT PEDVM CHRISTI VESTIGIA*, populares marmor osculati, & pro Religione faces accendentes summa veneratione prosequuntur. Complures sæpius auidissimè interrogaui aliquid eorum, quæ retulimus, & præcipuè Beati Sperandei argumentũ, & iudicium, nihil vsquam, nisi modò de quadam traditione, responsum, quam à dubijs, incertisque hominibus acceptam, cumque ipse nihil non verum, non constans dictum esse profiteat, prętermitto. De Beato vna omnium sententia, nullum scriptum, nullum monumentum. Equidem miro deflagrans lucis ea de re posteris præferendæ desiderio, ne, qua superiores rerum ignoratione teneantur, arcam diligentissimè circumspicio, vllumne temporis certè monimentum appareat. Binos tandem pi-

ctos

Lis inter Epm Eug. & Abb. S. Petri.

Peroratur à Cardin. Benedicto S. Susãna.

F. Leonardus Porcellus Eugub. Abb. Cen. Monasterii magni fcit con. struit.

B. Sperandeus Eugubinus.

ctos Angelos animaduerto marmori imminere aurea hac Epigraphe: *Ego sperans in Deo cognoui quod ipse sit Spiritus Sanctus, qui curam de omnibus in se confidentibus semper habet; nam voluntatem timentium se faciens, nostrasque deprecationes exaudiens saluos nos fecit. A. D. M. D. XLVIII. Octob. die Martij.* Hic aliqua perfundor iucunditate opinatus, quod & opinor, ad Beatum verba referri, cuius cineres in ædicula requiescunt, quippe quæ viuens fortè fortuna frequentissimè vsurpauerit. Verùm cum animo mecum consideranti, verba illa, quod ex ipsa sęculi nota effici potest, nostra memoria, non autem post centesimum annum efformata, maius certè aliquid explorandi studium incessit. Tabulas igitur euoluenti, bono fato Pontificiæ quędam literæ præsto sunt anno Christi 1264. ab Vrbano IV. ad Guidonem Episcopum, &, quod existimo, Cardinalem Sabin. qui eas mittit ad Abbatem S. Petri. In his de quodam Sperandeo, ad cuius præscriptum laici nonnulli operam Deo nauare cupiebant, mentionem facit. Inuentis mirificè delector, & statim illum esse Sperandeum conieci, quem sacra in Æde religiosè colunt Eugubini. Tabulas diligenter contemplatus statui, B. Sperandeum ante annum 400. vitam traduxisse Benedictinæ disciplinæ restitutorem, Quemadmodum de nobis exempli causa, diceretur, Oliuetanos ex institutione S. Benedicti, Beatique Bernardi Senensis vita, moribus, pręceptisque victitare. Id quod magis innotescat, hic Tabulæ exscribuntur.

Tabula Guidonis Epi de B. Sperādeo.

GVido misf. diu. Sabin. Episcopus. Viro Religioso Abbati S. Petri. Eugub. ord. S. Benedicti. sal. in Domino. Noueritis, nos recepisse literas Apostolicas sub hac forma. Vrbanus Episcopus seru. seruor. Dei Venerabili fratri..... Episcopo Sabin. sal. & Apostolicam benedictionem. Significauit nobis Dilectus filius F. Ioannes Monachus S. Petri Eugubini ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis Ord. S. Benedicti. Quod quibusdam Laicis Eugubinis asserentibus, se velle secundum regulam dicti ordinis, & vitam, ac mores quondā fratris Sperandei Domino deseruire, sibiq. à dilecto filio..... Abbate præfati Monasterij supradictum F. Ioannem in Priorem, seu Pastorē concedi petentibus, idē Abbas fratrem ipsum in Priorem, seu Prælatum laicis cōcessit eisdem tali conditione adiecta, quod idem Frater nihil vnquam exiget in Monasterio memorato. Verùm postmodum prædictsi laicis eidem F. Ioanni obedire nolentibus, & ad Sedem Apostolicam appellātibus, Frater ipse, cum nullum locum haberet proprium, rediјt ad Monasterium supradictum. Sed præfatus Abbas eum recipere noluit pro suæ libito voluntatis. Et licet tu Pœnitentiariæ nostræ curam gerens auctoritate nostra eidem Abbati per tuas literas preces direxeris, & mandata, vt memoratum Fratrem Ioannem in Monasterio ipso resumeret, & Fraterna in Domino charitate tractaret. Quia tamen idem Abbas id efficere noluit, quapropter ipse ad nostram prouidentiam properauit humiliter postulans, sibi super hæc salubriter prouideri. Ne ipse itaque cogatur per sæculum miserabiliter euagari: Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eumdem F. Ioannem in Monasterio ipso, non obstante conditione, & alijs supra dictis resumi facias, & Fraterna in Domino charitate

tra-

tractari. Contradictores per censuram Ecclesiasticā appellatione proposita compescendo. Dat. apud Vrb. vet. 5. id. Ian. Pont. nostri anno 3. Harum igitur auctoritate literarum vestræ discretioni districtè in virtute S. Obedientiæ præcipiendo mādamus, quatenus dictum Fratrem Ioan. conditione, & alijs non obstantibus supra dictis in vestro Monasterio resumatis, & sincera in Domino charitate tractetis. Alioquin xv. die post receptionē præsentium, quam vobis pro termino peremptorio assignamus personaliter, vel per procuratorem idoneum compareatis coram nobis propositurì, si quid super hoc rationabiliter duxeritis proponendum. Dat. apud Vrb. vet. 11. Cal. Feb. Pont. Domini Vrb. Papæ IV. anno 3.

HInc planissimum fieri mihi videtur, aut Sperandeum aliquam Benedicto pepetisse Congregationē, aut certe vitam præcipua bonitate conspicuam agitasse, quando viris illis popularibus eius vitæ, ac moribus insistere mens fuit. Vlterius affirmo, cum Sperandeus ille, de quo supra dictum est sit Beatus, eum non modo Beatorum, sed etiam Sanctorum numero adscriptum me constanter profiteri. Eadem ferè tempestate reperio extra, & prope mœnia Eugubij, neque longiùs à Monasterio S. Petri Aedem fuisse, quæ à Sperandei vocabatur, eo nimirum loco sitā, vbi nonnulli id sibi traditum hucusque asserunt, & ipse à præsentibus audiui eiusdem Domicilium extitisse; Et quò minùs cuiusque menti vlla dictæ rei ignoratio, siue dubitatio prætendatur, tabulas non minus probatas, fideque dignas, quàm priores fuerint, insero, eæque sunt.

B. Sperandeum non modo Beati, sed Sancti nomine celebrem fuisse ostēditur.

IN nomine Christi Amen. Sub anno à Natiuitate Domini 1302. tēpore Domini Bonific. Papæ &c. Die 9. mensis Aug. 15. Ind. Actum Eug. in Episcopatu præsētibus testibus ad infrascripta rogatis, & vocatis Reu. viris Dominis Vgolino Abb. Monasterij S. Ben. de Montepellio diœc. Eug. Matthæo Priore Canonicæ S. Ioannis de vite grossa, &c. F. Blasius Venturæ. F. Andreas Persi, & F. Datolus Ioannis, Fratres Ecclesiæ seu Oratorij seu loci S. Matthæi, seu S. Sperandei positam iuxtà muros ciuit. Eug. ord. S. Benedicti Considerantes. Quòd propter vicinitatem, immò potius contiguitatem, quam habet dictum Oratorium S. Matthæi, in quo morantur, ad Monasterium seu Oratorium Monialium S. Donati positum iuxta muros anted. in quo ipsæ Moniales morantur, honestas vtriusque Oratorij posset de facili diffamari. Et considerantes dicti fratres, quòd dictæ Sorores habent quoddam Oratorium, siue Ecclesiam in Diœc. Eug. quæ vocatur Ecclesia S. Donati de Fauce prope Eugubium aptam Orationi, & silentio regulari. Et considerantes quod dicto loco de Fauce ipsi Fratres, si ad eos spectaret, & dictæ Moniales in dicta Ecclesia S. Matthæi, seu S. Sperandei, si ad eas spectaret liberiùs, & honestiùs possent Orationi vacare. Et considerantes, quòd per permutationem dictarum Ecclesiarum, si fieret, detractionis, & susurrationis inter dictas partes materia sopiretur. Ideò pro vtilitate vtriusque Oratorij præsente, volente, ac auctorante Venerabile Patre Domino Ventura Episcopo Eugubino, tanquam proximo Superiori, ac Diœcesano, dicti fratres saluo censu eidem Episcopatui debito dederunt, tradiderunt, atque concesserunt, & ex causa permutationis, & Cambij Domino Iunctæ

Syndico dictarum Dominarum ad hoc specialiter constituto Syndicario nomine recipienti dictam Ecclesiam S. Matthaei, seu S. Sperandei &c. Et ego Godius Petri de Eugubio Imper. auct. notarius, &c.

Docebit etiam hic locus, quid de eodem S. Sperandeo folium contineat ab Eugubio missum, postquam ea, quae diximus hucusque, scripta sunt. Ibi quicquid Italico eoque impolito sermone legitur, fide seruata, latinè adscribo.

Ex codice membraneo, quem Gualdenses Franciscani summo cum studio adseruant, excipitur. B. Sperandeus Monachus Monasterij S. Petri, vbi hac aetate conditus, quiescit in monumento marmoreo, quod prisco artificio incisum est, super aram, qua sacrae turris adscensus est, natus est Eugubij ex familia Sperandea, matrimonio iunctus est tum Gineura, vel Ianuaria, qua cùm nulla fuit consuetudo. Coniuges igitur castimoniam coluerunt. Caritas aliquando & penuria Eugubinos inuaserat, cum Sperandeus rogatur, vt milium, quod habet in aedibus, vaenale faciat. Homine tandem incitante in superiorem domum ascendit, vbi milium in arca seruabatur. Vacuam cum reperisset, ira percitus arrepto baculo, coniugem adoritur, & brachium frangit, fregit autem & baculum eam percutiens, dicentem, sese quidem pauperibus distribuisse, quod si id molestiae sit, Deum ipsum omnia redditurum. Cum domum egressus esset iratus, ecce tibi mulier egena ad ianuam filijs quinque admodum pueris, & nihil, quo famem tollerent, habentibus, aliquid petens. Ianuaria summo dolore affecta, nihil praeterea esse respondit, quod conferat, fracturam ostendens. Instat muliercula, vt per Deum arcam verriculo purget, &, quicquid verrendo collegerit, liberis fame pereuntibus impertiatur. Verriculum sumit Ianuaria, ad superiora conscendit, arcam milio supereffluentem inuenit. Obstupescens, orbem milio implet, ad mulierem aduolat, quae nusquam apparet. Interea Sperandeus aduenit, & orbem milio plenum vnde habeat coniugem admirabundus interrogat. Leniter illa, cur, inquit, pia, quam ego pauperibus adhibui, liberalitate indoluisti? Ascende, & arcam multò magis, quàm antea, refertam contemplare. Vir admiratione captus ad superiores aedes properat. Re planè cognita prae maerore lacrymatur, seseque prosternens ab vxore veniam petit, grauiter peccasse, Deoque insignem fecisse iniuriam, & auaritiam suam detestatus Coniux, inquit, quam vnicè diligo, quid castitas, quid abstinentia, quid preces, quid inita saepius Paenitentia, & Eucharistiae Sacramenta proficiant, si ex auiditate pecuniae omnia intereunt? Ne mea causa Daemon exultet, te non prohibente abire placet ad S. Petri, & cum illis caenobitis peccatorum meorum paenas exoluere. Mutuò igitur consentientes Sperandeus Monasticam disciplinam Eugubij in Caenobio S. Petri, & Ianuaria in sacrarum Deo mulierum Collegio, quod vulgò Taradisus Eugubinis, praecipuo ciuitatis exemplo suscepit. De Ianuaria & alia accipias, quae ad verbum ex libro manu scripto deprompta sunt, quem inuenias licet Eugubij in Virgineo S. Spiritus Monasterio. *Haec igitur Beata Geneura, vel Ianuaria, quod ex Canonica Cathedrali scriptum excipitur, fato satisfecit anno Christianae Religionis 1308. 16. Cal. Febr. quintum, & decimum aetatis suae annum agens (fama ipsa loquitur) desponsa viro nomine Sperandeo, qui sanctitate clarus in Aede D. Petro Saura tumulo commendatus est. Sed mutuo*

B. Sperandeus Eugubinus. B. Ianuaria B. Sperandei vxor miraculis clara.

accedente

accedente consensu, vel illo fortasse amisso, Virgo superstes fuit, & inter eas adscripta est, quas perpetuò includit venerabile Monasterium Paradisi. Sanctissimè vixit, sese duriter excrucians, modestèque submittens, omnia æquo animo sustinens, virtutibus ferè omnibus exornata, peregregio integritatis exemplo prælucens. Et inferius. Hæc Beata Ianuaria, dum vita fuit, & cum æuo functa est, miraculis emicuit, quibus pietas maiorem in modum aucta est, & ipsis Virginibus, quæ optimum, religiosum, honestumque vitæ genus agitabant, & vniuersæ ciuitati, populisque finitimis, qui mira quotidie frequentia ad reliquias venerandas conueniunt, tactisque Ianuariæ indumentis, si quo morbo laborant, exoptatum pristinæ sanitatis beneficium referunt. Hactenus de Sperandeo, de Ianuaria.

Organum quoque eodem in templo cernitur operis magnitudine, artificijque præstantia multò magis, & spectabile. Plurium annorum spatio, & decem amplius millium aureorum sumptu per Vincentium Belgio oriundũ ædificatur. Admiratione dignũ profectò iudicant. At quia, quod supra significauimus huic Abbatiæ sacræ ædes permultæ sunt, pleræq. à Camporegio, è quibus nonnullas nominauimus, ne meam vlla vnquam in re operã desideres, qua posteris prodesse liceat, elenchum, quo simul oẽs recensentur è Cœnobij monumentis nuper depromptũ affero. *Organum maximè artificiosũ, & admirandũ.*

In Comitatu Eugubij. Beneficium S. Bartholomæi de Camporegio, cui annexa erant infrascripta Beneficia, S. Laurentij in dicta ciuit. S. Christophori de Vignano. S. Mariæ de Burano cum alia Ecclesia annexa scilicet, S. Laurentij in castro Plazæ. S. Ioannis in territorio Plazæ. In Comitatu Perusino. Beneficium. S. Crucis in dicta ciuit. in porta S. Susannæ cum Beneficio S. Luciæ in montibus sibi annexo. S. Vincentij in Passignano circa Lacum Perusinum, S. Nicolai de Pregio, id est, Eremum Virgilianum. S. Angeli de Coceto. S. Donati Burgilionis. S. Luciæ de Creti. S. Mariæ de Fontechi. S. Bartholomæi de Monte Alto. In Castro Montis Migiani Beneficium S. Nicolai in dicto Castro, & S. Hilarij, & S. Mariæ de Viananu simul. In Castro Montonis. S. Crucis intra Castrum, S. Andreæ de Brocano. In Comitatu ciuitati Castelli. Beneficium S. Martini de Ioue extra ciuit. cum alia Ecclesia sibi annexa in ciuit. S. Ioannis de Borsiano, S. Angeli de Fiana. S. Mariæ de Castagneto. S. Nicolai de Turri, & Cappella, quæ pendet ex illa in Castro, & plebatu S. Constantij. S. Martini de Vicinana. S. Christophori in plebatu Ciuitellæ S. Luciæ de Castagneto. S. Donati de Aquiliano. S. Martini de Butinarla. S. Angeli de Pozola. S. Martini de Pozola. In territorio Castri Arretini S. Bartholomæi de Noceta. *Sacrarum Aediũ Monasterio Eug. subiectarũ Elenchus.* Leo X. ijs literis, quibus anno 1523. à Cœnobio S. Benedicti omnia seiungit Sacerdotia Abbatiæ S. Petri adiungenda, de ijsdem meminit, & vlteriùs addit *Abbatiam nuncupatam Sancti Stephani districtus Castri Caratelli.* Præter Abbatem Generalem quo de supra mentio fuit, F. Leonardum Porcellum anno 1516. legimus itidem F. Ioannem Eugubinum Vicarium Generalem anno 1413. Annis præteritis humum extra mœnia ciuitatis colentibus Cœnobij agricolis longa series aperuit sese lapidum, & variæ Epigraphæ, quin vrnæ Cinerum, quæ visæ sunt, admonebant, sepulchralium. Puto fuisse secundùm viam, vbi fato functos sepelire mos esset. Ex his Epitaphium censeo iure afferendum vetusta-

tis peramantibus, eò maxime, quod inde constet, Vrbem, quæ hodie Eugubium, dictam veteribus Iguuium. Carmina sunt perinde pulchra, ac rudis est imago, cui subscripta sunt; Medici sedentis, cui multa artis medicæ instrumenta circumfusa.

L. Sabinus. L. L.
Primigenius.
Ortus ab Igunio Medicus fora multa secutus,
Arte feror nota, nobiliore fide.
Me consurgentem valida fortuna iuuenta
Destituit, rapidis imposuitque rogis.
Clusino cineres flamma cessere sepulchro,
Patronus patrio condidit ossa solo.

De Monasterio Ticinensi. L I.



Vamquam, quod priori volumine significatum est, Iulius II. in quauis ædium, Sacerdotiorum, & Abbatiarum Religiosorum locis, aut Monasterijs coniunctione reijcienda ita obfirmatus est, vt neminem consimile aliquid petere vetuerit; F. Dominicus tamē cum Olinetanis Religionis gubernaculum sustineret Leuco oriūdus anno 1505. 4. cal. Ianuarias hanc S. Bartholomęi in Via Abbatiā, cui Galeatius Borromæus Clericus Mediolanensis Commendatarij nomine præerat, obtinuit. Is igitur Ordinem nostrum beneuolentia complectens incredibili, Mensa, quod aiunt, Abbatiæ conuentuali donare voluit. Pro Oliuetana Republica F. Thomas Pallauicinus Prior Bedagiensis, F. Ioan. Baptista Leucanus Prior Villęnouæ, F. Io. Antonius Codacius Abbas Placentinus, F. Georgius Magistrius Prior Castilionensis in Parmensi, quos generalia comitia delegerant, accipiunt. Mensæ quidem attribuitur possessio Parpanensis cum portu, caupona, piscatu, omnibus demum sacris, & humanis iuribus, & possessio S. Crucis, ea tamen cōditione, vt Oliuetani ex Parpanensi libras in annum supra mille ducentas septuaginta perciperent, eique viuenti octingentas numerarent. Tantum enim prouentum esse, & quamuis tantum non exciperent, eadem tamen lege tenerentur, vti etiam annuos, eosque suetos honores sibi ipsi retinendos susciperent, libras nempe octo, & quadraginta Arenæ Patricijs Beccarijs pro portu, Archipresbytero Plebetensi in possessionis decimā saccos tritici sex, nec non libras octo pro prati cuiusdam, quā ad portum conceditur, transitu. Mensæ præterea Sacerdotia Guissagense, & S. Mariæ Taburellæ Abbatiæ membra assignātur. Item omnia iura, quæ hābet Abbatia in iure Emphiteotico Monasterij Monialium M. Oliueti extra Papiam. Quod nec quale fuerit, nec cuiusmodi satis intelligo. Extra Ticinum hodie nihil est. In Vrbe S. Mostiolæ Monasterium Oliuetano signo, quod & nobis est, vtitur.

Galeatius Borromeus Monasteriū Ticinēse cōiungit Olinetanis

Monasteriū Virginum Mō. Oliueti extra Ticinū

tur, & S. Bartholomeo in singulos annos, quo die S. Martini natalitia recoluntur candidam gallinam exoluit; Idque dictum M. Oliueti Monasterium, olim fortassis in suburbijs positum esse, arbitror. Hæc mihi coniectura est. Certi nihil amplius esse potuit. Mensæ pariter adiuncta voluit, quæ in Tromello Lomellinæ frueretur Abbatia. Duodecim in hoc Monasterio Monachi continenter commorrarentur, ex quibus septem, adnumerato Priore, sacerdotio fungerentur, nisi tamen pestilentia, caritate, aut bello prohibentibus, tot ibi sustineri possent. Singulis quibusq; mensibus pro se, suisque propinquis celebre funus cum sacris maioribus celebrarent. Ad Pontificias literas expediendas partim Commendatarius, Oliuetana partim Congregatio impenderet. Post eius obitum Monachi annuas libras ducentas ex possessionem de Castanea in Placentino, quæ itidem ad Abbatiam pertinebant, conductoribus acciperent, ita tamen vt hoc addito censu alij duo Monachi Sacerdotes cum Clerico alerentur. Quæ omnia anno 1505. tertio nonas Decembres Iulius II. approbauit. Monasteriũ etiã Abbatiã S. Alberti de Butrio, vel Butrico, & Archipresbyteratũ Piccicorni in Dertonẽsi obtinuit, sed anno 1544. hæc omnia cum Mario Sfortia de Sancta flore Clerico Mediolanensi, qui Abbatiam nobis Bremedẽsem tradidit, quod suo loco exponetur, permutata sũt. Hęc ipsa, qua de agitur, S. Bartholomęi antiquitate clarescit, Etenĩ Adrianũ IV. inuenio anno 1155. Monachorũ victui præcipuè assignãtẽ, *Placentiæ Ecclesiam S. Agathæ. Curtem campi Romaldi cum Ecclesia S. Laurentij, Curtem Parpanexij, cum Ecclesiis S. Viti, & S. Fedelis, Curtem Sanzolle cum Ecclesia S. Bartholomæi, & S. Secundi, & S. Petri. In Valle Extirpassii Curtem vulbariæ cum Ecclesia S. Georgij, Curtem Molinelli cum Ecclesia S. Crucis. In Villa Lussaghi Curtem cum Ecclesia S. Mariæ. In Tabultria Curtem cum Ecclesia S. Mariæ, & omnes alias possessiones quæ hodie possidentur, vel continget possideri, &c.*

Bona, Acdesq. iacte Monaste. ij

Abbatia Monasterij antiquissima est.

De Monasterio Mediolanensi. LII.



Ostros æquè, ac populares incredibili admiratione affectos sæpius audiui, sæpius vidi in Monasterio aliquo, siue forma, siue opulentia percelebri contemplando ita eloquentes: Quàm religiosi, quàm splendidi antea Principes, qui tam illustria loca ad sacras, piasque familias, muneris loco transmisere! Alia modò videtur increbuisse consuetudo. Ego tamen nisi beneficiorum, & obligationũ, quibus amatores, & fautores nostros prosequimur constricti, aliqua ex parte timuissem, ac timerem extenuationi, satis ipse fecissem, satisque facerem, illa meditatione proposita, Principum benignitate delata nobis Monasteria, ea, quæ nunc spectantur, non fuisse, sed, quod spectat ad parietes, plerumque angusta, ruinosa, quod verò ad agros perpetua dissidia, & bella perpessis hominibus, ni-

hil penitus reddentia. Vtique fidem superat, quæ Patrum nostrorum industria, cum in rebus diuinis, tum in ædificiorum splendore, agrorumq; prouentu accessio facta sit Abbatijs, quas viri opibus non minus, quàm religione abundantes liberaliter quidem (eat ne quis inficias?) tradiderunt. Quod si magnis laudibus primæuos illos nostræ Congregationis Sodales, qui spectata vitæ sanctimonia acquisiuere, celebramus, successores, & posteri non minus extollendi, qui sapienter conseruarunt, insigniter ampliarunt. Nesciis enim quis est, quod, *Non minor est Virtus, quàm quærere parta tueri?* Hunc præcipuè mihi sermonem facit nobilissimum S. Victoris ad Corpus Mediolanense Monasterium, Monasterium, inquã, cuius disciplinam, cæteraque omnia Montoliuetenses instaurarũt adeo vt, si qui post millesimum, non dicam, sed centesimum annum fato functi sunt, reuixerint, pristinum ne lapidem quidem, ne vmbram quidem pristinam agnoscant, idque ædificium inter Italica fortasse prædocent egregia maximè, optimaque Architetonice extructum. Ædem F. Paulus Morigius auctor est, ex Apostolico sæculo ædificatam a B. Portio Oldanio Philippi Patricij Mediolanensis filio, quem inter cęteros lustralibus aquis S. Barnabas expiauit, quiq; amplissimas fortunas in fide propagãda collocauit, Portianam autem, nullo apposito titulo, appellatam. S. Victoris nondum viuentis appellatione signari non potuit. Ibi S. Ambrosium subiungit, in persecutione Arriana latuisse, multaque opera, S. Paulino Episcopo Nolano scribẽte, composuisse, & Homiliam illam habuisse, cuius initium, *Debitum fratres, &c.* Circa annum verò 990. Arnulphũ Arzaghium Archiepiscopum Mediolanensem Templum restituisse, Abbatia multis possessionibus dotata, & sodalibus Benedictinis adiunctis. De antiquitate huius Abbatiæ Tabulæ multæ desiderantur. Paucula hæc ad manus veniunt, annos ferè si pra quingentos, hoc est post Christum natum 1141. in hoc templo S. Victoris Martyris corpus extitisse. Quare probatissimæ Tabulæ sic habent. *In Ecclesia S. Victoris, vbi sacrum eius requiescit corpus, constructo, & ordinato foris non multum lõge ab hac ciuitate Mediolani, non multũ longe a porta quæ dicitur Vercelana, &c.* propterea ex eo vsq; tp̃e nũcupatur *Eccl. S. Victoris ad Corpus.* Qđ verò huius fine pars, siue mẽbrũ inde nõ lõgè abesset, ędes S. Martino sacra, ĩ qua pro illis, quos ea regio contineret, iura Curialia exercebantur, pariter dicta est, *Eccl. S. Martini ad Corpus* Priscis ẽt scripturis de ædicula S. Martini mentio est ad Albariatũ, vbi & quidem hoc tempore bonis possessionibus fruimur. Atque hæc in primis verba sunt ex anno vsque supra millesimum octauo, & septuagesimo, *de pecia vna de terra cum capella super ædificata at honore beatissimi Martini, Faustini, &c. in loco Albairate, &c.* alibi, *Abiate*, alibi, *Barate.* Iam huius Abbatiæ Commendatarius Ioannes Gallaratus Mediolanensis, vt meliorem formam induceret anno 1507. nobis Oliuetanis attribuit (quod vulgò dicimus) eius Mensam, quæ in agris quibusdam posita est ad eum, quem nominauimus Albairatem, Cisianum, in fundo, cuius vocabulum Aquanigra, cum cascalibus, iuribusque in Eusagano,

B. Portius Oldanius tẽplum primo extruit

S. Ambrosius in eo latuit.

Arnulph. Arzagh. Archiepiscopus resti tuit.

Ioãnes Gallaratus rei Oliuetæ aduñgitur.

quæ

quæ paulò plus minusque trecentis duabus, & triginta perticis conficiebantur; Decem tamen Sacerdotes adusque decennium, posthac sexdecim certè sustinendi, qui Ambrosiano more sacris operarentur animarū saluti peruigilandum, singulis mensibus Spiritui sancto immolandum, quater in anno pro fundatoribus Commendatarijs, eorumque cognatis anniuersaria iusta persoluēda. Cum autem redditus præscripti satis non esse Monachis videantur antiquissimo Templo multis in locis necessariè reparando, pensionibus exoluendis, impositis demum oneribus perferendis, Iulio II. significatur. Datur igitur, vt Mensæ Abbatiali possessio S. Ambrosij, aliaque vicina commoda Induni, & elocata libellaria, vnde aureorum omnino centum redditus fiant, subducatur, & mensæ cōuentuali apponatur, assentiente semper Gallarato. Acceptum vix Monasterium, cum postero anno 1508. F. Thomas Palauicinus, qui primus inibi Prioratum gessit, nouo quodammodo, & ad speciem magnifico modulo, quod modò cernitur, ædificium excitare. Interea loci, dum pro viribus tam nobile opus promouetur, Oliuetanus ordo 1513. à Hieronymo Fabagrossio Cremonensi Archipresbyteratum, siue Plebem Sancti Stephani de Casale maiori, facta per Leonem X. potestate, consequitur. Hinc tamen turbæ maximæ Congregationi cum republica Casalmaiorensi, & Ioanne Gonzaga Principe. Præterea Euangelista Alodius, & ipse Casalmaiore prognatus, Cardinalis Sanctorum Quatuor Cubicularius, prædictum Sacerdotium vacationis titulo impetrauit, capta anno 1513. vnà cum fructibus possessione. Qua de re & cum Hieronymo ipsi bis mille librarum pensio soluenda esset, conditionem captare, & pacisci cum Euangelista cogimur, qui cōtrouersia cedit, & conuentu, vt sibi aurei quinquaginta Camerarij, decem verò cuidam Cardinalis Flisci famulo numerarentur. Facta deinde huius Aedis commutatio cum S. Thomæ de Cremona, quam hic Cardinalis regebat Commendatarius magno quidem, & sumptu, & detrimento Romæ literarum expeditioni aureis ducentis, quatuor & quadraginta, ac scutatis nouem, & quadraginta Camerarijs præcipuè erogatis. Quamuis autem Templum S. Thomæ vniuersæ Congregationi adiunctum esset, Oliuetanis tamen vitam illo sęculo degentibus (ita enim ipsis adnotatum inuenio) ea mens, id consilium fuit, vt fructus S. Victoris Monasterium perciperet pensione, vt diximus, obligatum, atque etiam, quod eius fuerit, quod pro S. Thoma datum est. Verùm graue illud fuit S. Victoris incrementum cum anno 1521. Leo X. abeunte Raphaelio Benegassio Genuensi Abbatiam S. Petri Præcipianensem in Dertonensi adiunxit, de qua cum habitis anno 1620. comitijs, Monachorum conuentus cum Abbate institutus sit, in fine huius libri seorsim verba faciemus. S. Victoris Commendatio à Gallarato, quæ mihi fides est, ad Frāciscum Cardinalem Cornelium, ex eo ad Nicolaum Cardinalem Rodulphium peruenit. Is anno 1542. F. Hippolyti Mediolanensis opera Prioratum in S. Victore sustinentis, qui in hoc potiundæ penitus Abbatiæ *Abbatia Præcipianensis.*

negotio

negotio studij tantum posuit, quantum nec credideris, Abbatialem dignitatem eo vsque perpetuam in S. Victore permutare voluit, & more nostro ad biennium, vel triennium redigere, ad summum ad nos liberè transferre, ea lege adstrictos, vt aureos mille trecentos, sexcentos & quinquaginta ex Abbatiæ censibus, totidem verò ex Monasterio S. Mariæ Nouæ de Vrbe, & centum Traiano Alicornio Prothonotario Apostolico pensionis nomine soluerentur. Iste quidem anno 1553. cum D. Ambrosio Carcano Visitatore de annuis quinque solutionibus accipiendis conuenitur, Pensio aureis quingentis extinguitur. Vndecim tantummodo diebus elapsis Calendis nimirum Septembribus Cardinalis nescio quo numine afflatus scriptum insuper pro nobis edidit, si Pontificatum assequatur Monachis pensionem extemplo remissurum. Quia Victorianis solutionis onus pro se ipsis minus tolerandum, F. Cyprianus Veronensis Abbas Generalis cum Visitatoribus, siue sponte sua, siue sociorum Mediolanensium impulsu constituit, vt Cardinale viuente omnia illius Prouinciæ Monasteria ad solutionem conuenirent. Ideo Bedagiensi quinque & quinquaginta, Villanouano quinque & sexaginta, Neruianensi quindecim, Ticinensi sexaginta, Placentino quinque & viginti, Castilionensi ducentos, Cremonensi viginti, Desertano quinque & sexaginta, quorum numerus collectus annuos conficit aureos, quinq. vltra quingentos, decernuntur. Cardinale anno reparationis nostræ 1549. membrorum nexib. exoluto S. Victoris Abbatia aureorum mille trecentorū annua solutione excepta, Hippolytus, cuius mentio est in superioribus Visitator Prouinciæ, & Abbas Monasterio præpositus summo Cœnobiarcha approbante sacram veterem Ædem diruere, & maiori pro decore, ac spectabilis adeo adeoque conspicui Monasterij, cui supremum impositū erat fastigium, æqua responsione alteram erigere statuit. Anno igitur, inquit Morigius, 1560. sed potius dicturum existimo 1550. die Christianæ Passionis Dominico primus lapis collocatus est. Ioannes quidē Ambrosius Daltiatus scribit (nullus est annus) ad Generalem Præsidem nostrum (nullum nomen est) extructæ Aedis impensam, lapidum, calcis, lignorum, ac similium materie non supputata ad septuaginta duo millia centum vnam, & triginta libras ascensuram, sed vlterius etiam, quod audio, quodque ex speciosis, pretiosisque ornamentis hucusque perfectis colligitur, progredietur. Clarissimum tamen, & pretiosissimum ornamētum, quod in hac æde considerari possit, & debeat, quo ex nostris cæteras omnes antecedit, Corporum Sanctorum copia est, quæ vel ex toto, vel ex parte hac Aede condita sunt. Integra numerantur quatuordecim, S. Victoris Martyris, S. Satiri Confessoris, qui S. Ambrosio germano fratre vsus est, cuius etiam propriæ manus ad læuam S. Victoris æternæ quieti commendauit, S. Datij, S. Prothasij, S. Mirocletis, qui Mediolanēsibus præfuerunt Archiepiscopi, S. Mauri Abbatis, S. Valentini Presbyteri, & Martyris, S. Amatoris Confessoris, S. Fortunati Episcopi, & Mart. SS. Valeriani, & Saturnini Martyrum, SS. Dariæ, & Diateriæ Virginum, S. Cæciliæ

F. Hippolyt Mediolanensis Aedē ex fundamentis ædificat.

Corpora sanctorum quatuordecim.


liæ Virginis, & Martyris. Multas alias etiam Sanctorum reliquias dicũt adseruari, nimirum, (terrarum siue lapidum fragmenta, quæ sacris Palestinæ locis asportata, aliaque non insignia missa facio) ossa S. Stephani, S. Io. Baptistæ, S. Pauli primi Eremicolæ, SS. Cypriani, & Iustinæ Martyrum, ex sanguine S. Georgij. Inuisit, agnouit, denuo reposuit in Arcis sub ara maxima eadem Sanctorum virorum corpora, anno 1576. innata sibi religione S. Carolus Archiepiscopus. Quocirca mirum non est dignum adeo, adeoque sanctum ab ipso Templum in eorum numero constitutũ, quæ Mediolani stationibus Romanis illustrãtur. Silentio non prætereã, in S. Victoris instauratione, Tẽplum S. Martini solo æquatum, quod præcipuè, vti fama est in media propemodum facie ædem habuisset, quodque modò conspicitur, S. Martino restitutum. Aediculam alteram nomine S. Gregorij referunt seniores S. Victori continentem fuisse, tantæque antiquitatis speciem præseferentem, vt Idolorum cultui olim inseruisse, existimauerint non pauci. Et ipsa eodem tempore à fundamẽtis diruta, rerum antiquarum studiosissimis, earumque seruandarum cupidissimis, qui, si placitum fuisset, stare potuisse affirmabant, maximè dolentibus. Vice huius Sancto eidem Pontifici ad leuam aræ principis Sacellum erectum est. Maxima semper fuit Mediolanensibus in Oliuetana Congregatione auctoritas egregio aliquo, claroque viro numquam destitutis. Decem in primis Montoliuetense regimen obtinuerunt, F. Hippolytus anno 1390. & 1399. F. Ioannes Bedagiensis anno 1488. F. Thomas Pallauicinus anno 1503. & 1509. F. Constantinus anno 1520. & 1526. F. Benedictus Tonsus anno 1528. F. Hippolytus secundus anno 1532. & 1546. D. Ambrosius Carcanus anno 1554. D. Augustinus Legnanus 1562. D. Prothasius Canthurius anno 1570. D. Angelus Maria Alchisius anno 1608 Locus fortasse inter Mediolanenses, & illis esse posset, qui in illa regione nati sunt F. Nicolao Regiensi anno 1447. & 1459. F. Dominico Leucano 1484. 1497. 1505. 1511. Si quis non admittit, dictum non sit. Nouem etiã Vicarijs Generalibus gloriantur, F. Andrea Birago anno 1487. & 1516. F. Gregorio Panigarola anno 1523. F. Constantino, quem supradiximus anno 1512. 1518. & 1525. F. Geruasio Monetio anno 1527. F. Hippolyto, quo de ante meminimus anno 1533. D. Eliseo Tertiago anno 1545. & 1561. D. Augustino Legnano, qui supra anno 1551. D. Prothasio Cãthurio, de quo prædictum est anno 1565. & D. Michaele anno 1611. Si placeat F. Bernardus Vercellensis anno 1422. F. Nicolaus, cuius in prædictis mentio Regiensis anno 1440. 1443. & 1453. F. Io. Baptista Leucanus anno 1502. & 1509. adnumerentur. D. Iulius Cæsar Albicantius, qui seueriores artes diligentissimè consecutus Poesim, Thuscumque sermonem optimè tenuit. Anno salutis 1580. librum foras dedit Italicè inscriptum. *Esercitij spirituali*, & alterum. *Della Mansuetudine di Christo*. Sacrũ quoque carmen in lucem proferendum reliquit, vt asserunt, octonis versibus perscriptum. Tractat modò Ticini prouinciam Abbatialem qui supra D. Michael Misseronus. In eo probitas, & eruditio paria sũt. Vtraq;

Abb. & Procur. Generales Mediolanenses

D. Iulius Cæsar Albicantius Poeta vernaculus.

concedit Oliuetanorum nemini. Annus agitur secundus vltra trigesimũ, quo Abbatis honore fruitur. Eo temporis spatio semel atque iterum Visitator, vna tantùm vice Proabbas Generalis, (vt diximus,) & sex ipsos annos S. Victoris Abbas renunciatus est. In ipso Cœnobio Mediolanensi sapientissimæ administrationis, religionisq. argumento, præter alia, sunt cælata vestiaria in Sacrario, picturæ, & ornamenta in testudine. Mantua non ciuem, sed incolam, & Ferdinandi Ducis Theologum pluribus extollit D. Ignatium Landrianum Abbatiali titulo decorum. Inter principes familiæ Oliuetanæ Concionatores non inmeritò numeratur. Plurimũ valet eruditione, sapientia, excellit tamẽ in doctrina Hebraica, vt Hebræis ipsis, apud quos semel in hebdomada, volente Duce, concionatur, maximæ sit admirationi. Mediolani degit hoc tempore ciuis, & titulo tenus Abb. D. Io. Franciscus Fossatus. Peregregiè (aiunt) Verbi Dei Præconem gerit, & typis opusculum, *Le sette corone di S. M. Mad.* inscriptum emisit.

De Monasterio Panormitano. L I I I.



Sexdecim circiter post annis, quã Oliuetano instituto à Siculis data sedes est in S. Mariæ de Busco, anno scilicet 1408. Iacobũ Basilicum Iurisperitum Panormitanum subijt cogitatio salutaris. Vir nobilis sæpius Christum Dominum sancte meditatus cum cruce imposita Hierosolyma ad Caluariam egressus Virginem matrem offendit, vnde animi acerbo cruciatu, ac deliquio vterque procubuit, quo loco in monimentum ædes extructa, quæ hucusque perdurat, S. Mariæ de Spasmo. Sciat autem qui legit, id me de scripto referre, non ignorantem, cum de hoc occursu nihil certi apud Catholicos Patres reperiatur, piam tamen ac probabilem opinionem circumferri tum ibi, tum alibi Mariam Spasmum, perturbationem videlicet, siue sensuum, rationisque defectionem sustinuisse, nimioque dolore exanimatam iacuisse, nulla quidem ratione edocendum. Etenim de Gratiæ, & perfectionis excellentia nimium derogatur, quæ cum in suis actionibus liberè dominaretur, præclarè consecrata, cruciatus non inuito filio perferri, mortaliumque generi in infinitum prodesse, dicendum non est, eam in quid minus honestum, virile, generosum prolapsam, nihilque in ea culpari posse quod animum abiectum, muliebrem, inconditum aliqua ex parte comprobaret, verum diuino inhærentem consilio fortiter tolerasse quæcunque filio immanitas hostium irrogauit. Quod si extra Hierosolymam, siue alibi S. Mariæ de Spasmo ædes fuit vnquam consecrata, aut aliquis ita effinxit, aut denique grauis Auctor id significare visus est, ad exaggerationem factum est, acerbissimi doloris, qui oculis, auribusque nostris nequit aptiùs, quàm persimili, & pictura & voce declarari, non quòd vero, proprioque dolore, vel spasmo contabuerit. Iacobus pia quadã in hunc euentum affectione concitatus, eodem nomine, & ipse templum ædificare instituit adiuncto Oliuetanis Monasterio, quippe qui, aiebat ille nõ aber-

Maria Virginis Spasmus in passione fictus.

Iacob' Basilius Panormitan' nobilis Cœnobium exædificat.

aber-

aberrans à vero, Virgineo habitu vterentur, eòque magis, quòd nullum etiam tum, vel in Vrbe, vel in eius finibus Domicilium posuerant. Igitur F. Hieronymo Vzanio Visitatori, & F. Benedicto Messanensi ad S. Marię de Busco Abbati Panormum profectis ad Græcorum portam in eadem Vrbe possessionem assignauit, cum vineis, hortis, ędibus, alijsque ędificijs, vbi Templum cum Monasterio construerent, & vtrumque necessaria supellectile exornarent, dummodo sex ipsos annos vnciæ centum in ædificationem penderentur. His elapsis in alimenta Monachis sese daturũ pollicitus est vncias quinquaginta, quibus è fructibus, quos relinqueret, singulis annis, quo die eorum celebritas ageretur, puellam egentem parentibus orbatam ab ipso, dum viueret, post eius obitum, à Priore electam nuptum collocarent, vncijs viginti, decem numerata pecunia, reliquas domesticis vtensilibus, dotis nomine attributis. Si nullis aucta liberis decederet, media dotis pars Monasterio redderetur. Ad hæc iussit, vncias centum, & quinquaginta in annuum censum constitutas ad trapezitam deponi, eorumque fructibus alios identidem prouentus comparari, inde nunquam perpetuò amouendas. Postremò significauit, velle se ædem illam S. Mariæ de Spasmo nominari festumque diem Sabbato in Albis celebrari, eiusque anniuersariam toti Panormo solemnitatem à Summo Pontifice Præsidem Oliuetanum impetrare. Interea loci dum opus absoluitur, speciosam tabulam in templo collocandam Iacobus depingendam curauit à Raphaele Vrbinate in pictura celeberrimo. Raphael in ea, vsque adeo elaborauit, vt nesciùs plane sim, vtrum hoc opere seipsum, an Fortunam superauerit. Vtrumque variè tamen, prędicemus. Seipsum quidem, quod ex eius penicillo (testes non imperiti) nec formosius quicquam, nec admirabilius extiterit. Fortunam vero propter illud, quod Tabula subijt, euasitque discriminis, In Siciliam ab Auctore missa. Naui atrocissima tempestate diffracta, mercibus amissis, nauigantibus maritimo ęstu absumptis, vna planè tabula intemerata, intacta Genuam, vel, quod alij, Terracinam defertur. Id quod cum primùm Monachis rescitum omnibus ad vnum insolita admiratione affectis à Ventis, à fluctibus præstantissimæ, quodammodo parsum Iconi, suam esse edixerunt. Vix in summorum procerum, vel ipsius Pontificis gratiam, docet Vasarius clarissimi Pictoris vitam persecutus, è Principis nescio cuius potestate extorquent, & in Aede sua constituunt, vbi, vt cũ Vasario loquar plus habetur famæ, dignitatisque, quam Vulcanius Mons. Quod reliquũ est, Oliuetani non tantum sua nunquam domicilia consummare potuerunt, & ob inopiam, & ob perpetuam omnium mussitationem, quod eo in loco fabricarentur, qui mœnia Vrbis proximè attingeret, & à mari, vnde cum bellum gereretur, primum hostes impetum fecissent, sed etiam à publicis Magistratibus palam diuexantur, quòd, si potissimùm quã Cœnobium extruebatur, munienda sit, sine euersione fieri non posset. Quamobrem ædificationem annum circiter à Christo nato 1537. instituunt, at re interturbata anno eiusdem sæculi 72. valli denuo moliendi consi-

Raphael Vrbinas summã in templo tabulam depinxit per quã egregiè.

Tabula Raphaelis ingens periculũ adijt.

Aedificatio Monasterij non absoluitur immo euertitur.

consilium initum. Id quidem in causa est, præter aeris inclementiam, quam proximæ lacunæ efficiebant, vt aliqua satis commoda conditione deserendum existiment. Coeunt igitur Panormi Prætor cum Syndicis, ac Procuratoribus, & D. Matthæus Anuersanus, qui de Busco, & de Spasmo Cœnobijs, summo Antistite ita præscribente, Abbas præerat. Statuunt excindi, & si qua pars reliqua, propugnaculo ædificando coniungi, pro illo alterum persimile, & propinquum Monasterium excitari, vnde tamē tormentis quati Vrbs non possit, si quando insideatur. Vt nihil non exequātur, Oliuetanis promittunt decem millia aureorum è vectigalibus Tarini tum ad noui Portus structuram impositis exigendi expendenda, in Mensam deponenda per certos homines, pacto, ne alia in re, quàm in ædificatione collocentur. Anno proximo 1573. à maximo Panormitanorum Hospitio Monasterium S. Spiritui dicatum vno ab vrbe lapide discretū nostris conceditur. Conditum (teste Fazelio) à Gualterio Archiepiscopo ad Fluminis ripam, quod Saracenis Habes appellatur, Gulielmi II. Siciliæ Regis gratia, ac studio. Certissimum est ex literis ab illo datis Panormi mense Nouembre anno salutis 1178. Quo primùm die hoc Monasterium erigi ceptum est sydérum Princeps deficit, habent sęculorum annales, quibus præterea traditur ab ædificatore erutum inde thesaurum, quo Cœnobium cum Templo fabricatur. Hoc templum, vbi anno post partam salutem 1282. sub vesperas tertia Paschatis luce tanta Gallorum obtutibus, nutibusque mulieres sollicitantium à Siculis tuendæ causa dignitatis suæ cædes facta est, quæ adagium peperit, Vesperæ Siculæ. Cisterciense primum habebant, quibus, quæcunque causa fuerit, deturbatis à Leone X. Valetudinario maiori adscribitur, facta administratoribus potestate quoscunque malint Religionis cultores admittendi, Augustinenses quidam Errones nuncupati tunc temporis immorabantur. Pontifice igitur, & Rege ad quem iurepatronatus pertinebat, consentientibus id nostris tradere cogitarunt, & administrationis onere leuari, ita tamen, vt necessaria Monachis domicilia reparandi initium facerent. Cogitata perficiunt, adduntque redditibus hortum muris circumseptum Monasterio continentem. *Item ius Lampheriam nuncupatum, seu praeminentiam, seu Iurisdictionem ipsius cum omnibus suis iuribus &c.* Arundinetum non longè consitum, aquam, quæ sex horas è Fluuio Sambuca erumperet, semel in Hebdomoda, quomodo olim concessa Xenodochio, annuum vnciarum sex, tarinorū quindecim censum in agro collocatum, qui à Cœnobio non lōgo interuallo discluditur, & alterum vnius vnciæ eo in loco, qui Cōnata dicitur vtrūq; Xeniæ domui annexum, lata lege, ne quid abalienetur, ne quò adspirent, ne quæ deinceps excepturi vlla vnquam molestia Valetudinarium afficiant, sed in singulos annos bilibre cereo candido legitimum Dominum agnoscant, tum demum, vt Monasterio posthac S. Spiritus de Spasmo nomen sit. Rata hęc omnia Pontifici, pro literis acceptis vniuersa Congregatione aureos centum, & quinquaginta insumente. Ita enim sanciuerant, vti ex altera parte decretum, vt Regis consensum

Monasterium S. Spiritus à Sūmo Xenodochio Oliuetanis assignatur.

Vespera Sicula in hoc templo decantatur. Erat olim Cistercensium. Postea Augustinēses intromissi.

Ciui-

Ciuitas exciperet. Ad hæc Pontifex ad Archiepiscopum, vt è Tridentinis sanctioribus perpetuam Crucem statuens, vbi Aedes, ac Monasterium S. Mariç de Spasmo fuerat in vsus non sordidos, licet prophanos conuertat, vt Monachi Prętori, ac Iuratis cedant, decem millium aureorum pondere, qui siue in loco sacro, siue apud fidum, certumque hominem deponantur, in ædificando, vel farciendo insumendi, si quid reliqui est Monasterio S. Spiritus, in bonis stabilibus coemendis impendantur. Mense autem Iulio ab Archiepiscopo, & Ecclesia Panormitana ad S. Spiritus eximia Spasini tabula magnifice transfertur, & què maior sit in celebritate frequentia Pontifex, vel eam subsequentibus, vel certè templum adeuntibus plenissimam facit delictorum gratiam. Montoliuetenses, quę diximus decem millia, siue, quod idem est, vnciarum quatuor millia Monachi de re publica non statim accipiunt, cum alia ratione extorquere non possint, Pontificis fidem implorant. Anno demum Seruatoris 1577. ita conuentum, vt quolibet anno pridie cal. Septembris Cœnobium ciuitate perinde ac perpetuum censum ab onere liberum vncias viginti supra trecentas accipiat, quamuis grassante belli, penuriç, pestilentię, aliaue huius generis calamitate, eo iure, vt hę 320. vnciç quatuor millium, fructus primo anno in quędam necessaria comparanda, & quoddam ęs alienum dissoluendum, remotis arbitris, posthac pręsentibus, vel scientibus Præfectis in possessionum emptionem conferantur, ita sanè, vt de emptorum censibus cum trecentis vncijs Oliuetanis liceret sua voluntate in perpetuum constituere. Id pluribus diplomate comprehenditur Greg. XIII. Iidē Domus Hospitalis administratores (annus circumagitabatur à Christi Natiuitate 1583.) in eam veniunt sententiam, quod cum D. Ambrosio Afflicto Abbate S. Spiritus actū est, Monasterium, siue Abbatiam inter Panormum, & Messanam interiectum S. Mariæ de Maniace nobis adiungendi. Res longiùs progreditur compositionis tabulis conscriptis inter Oliuetanos, & Valetudinarium. Cæterùm mihi ipse persuadeo, grauibus quibusdam, iisdemque indecoris oneribus, quæ nobis imponuntur adductos, cuiusmodi potissimùm fuit, vt quotannis à Visitatore pro Rectorum arbitrio dimisso de conuentorum obseruatione cognoscatur, nihil de ea re confectum. Reliquum est, vt de primaria fęmina Venerabili Francisca Leophanta Panormitana breuiter exponam. Virgo in Cœnobio S. Claræ Franciscana cælesti numine afflata Oliuetanam disciplinam exoptat. A cognatis igitur situ quodam Panormi cum templo Gratiarum Virgini consecrato, cum Horto, domicilijsque nonnullis accepto, anno 1525. Sanctam illam, piamque voluntatem exequatur, Benedictinis eisque Oliuetanis Virginibus Monasterium construat cum sodalibus quatuor eò sese conferat, & prioribus depositis per Abbatem Buscanum, siue aliū Præsidem Oliuetanis vestibus induantur, nostroque sub imperio sint, quæ omnia ita omnino facta sunt, Romæ impetrat. Francisca autem Monasterij institutrix Romæ in perpetuum Abbatissa renunciatur, data facultate, vt eodem habitu puellas omnes eum

Tabula Raphaelis è S. Maria ad S. Spiritus maxima cū pō. pa transportatur.

Francisca Leophanta Virginum Oliuetanarum Collegiū extruit

eum efflagitantes vestiat. Sed quia nemini persuasibile est, quomodo sodales nostri à prima illorum ætate ad hanc vsque hodie decurrentem sacrarum Virginum curã detrectauerint grauissimum sibi onus impositum existimantes paulò post renunciant. Stat adhuc Oliuetanum hoc Monasterium, pendet tamen ab Archiepiscopo.

De Monasterio Laudensi. LIV.



PAulò ante, quam, quod extra Laudam positum est Annunciatæ Virginis Monasterium excideretur, vt de Villanouano narrantes prodidimus Sodales Laudenses animo secum reputantes, idem Angelico Nuncio sacrum Cœnobium à suo non valde situ firmum, inque Laudensium Præsidem, vt supra dictum est, attentasse excidium, anno Christianæ Religionis 1552. per D. Ambrosium Carcanum Romano Cœnobio præsidentem de Monasterio S. Christophori Laudæ obtinendo actitarunt. Sociorum Humiliatorum, ex quibus ibi vnus, & alter, non plures commorabantur, erat tunc temporis Monasterium, habebat Commendationis nomine Comes Robertus Malatestius à Soliano. Probatur huiusmodi depositio, annua sibi quingentorũ, & quinquaginta aureorum pensione seposita, & Monasterium Villætiouæ, quod omnia erogauit adiunctum. Comes desiit in viuis esse cum annus verteretur 1573. Oliuetani à pensione soluenda liberi. Cum aũt antiquũ esset Monasteriũ, eiusq. cõditionis, vt vndiq. labẽ ostentaret, statutũ in primis, vt noua ædes excitaretur. Anno itaq; decurẽte 1564. 6. cal. Martias D Gasparo Mediolanense Abbate maxima popularium, ciuitatisque frequentia, è religione, adstante nec non Bobiensi Episcopo Francisco Castilione ædificatio summa cũ celebritate instituta, & primarius idem que sacer lapis collocatus. Ne deinceps à tam honesto opere prosequendo desistatur, Villanouani latifundium conferunt, quod S. Mariæ appellabant perticas terræ 2000. comprehendens, ex cuius locatione libræ proueniant 600. Ita aliquot post annos maximo sumptu, & studio ad summum fastigium perducta. Anno verò salutis 1587. D. Ambrosius Laudensis Abbas noui Monasterij institutionem celebriori supplicatione inchoauit. Missum non faciam in Odæo tabulas ligneas conspici tres & viginti, easque opere segmentato auctore F. Ioãne Veronensi sculptore, Incisore, Architectore sua tempestate non ignobili: Nostro quidem æuo Laudensis vnus Oliuetanam Remp. summo cum imperio gubernauit, anno 1590. D. Gaspar Capiferrius innocentia præstabilis, qui, & an. 1599. Vicariatus Generalis prouinciam subijt. De illo primus liber vberiora. Duo prætereà Vicarij Generales ex Laudensibus creat, F. Angelus Carpanus an. 1485. & 1489. & F. Philippus an. 1514. Viuit hodie in M. Oliueto artiũ interpres Gasparis Nepos D. Vitus Cadamustus, qui Theologicæ facultatis cognitione exornatus, præstantissimo ingenio, moribus

Monasteriũ Laudẽse S. Christophori spectabat olim ad Humiliatos.

Noua Aedis Aedificatio suscipitur.

F. Ioa. Veron. Oliu.

Viri inter socios Laudenses maxime memorabiles.

bus humaniſſimis, amoremque conciliantibus vtitur. Sexennium in Cœnobio S. Victoris Mediolanenſe tanta, & ſua, & loci cum dignitate propter eius facilitatem, & in diſputando ſuauitatē, tanta eruditiſſimorum hominum voluptate diſciplinas edocuit, vt nihil ſupra. Et ego quidem verè affirmem à noſtris laudatiſſimis viris neminem magis laudatum audiuiſſe.

De Monaſterio Genuenſi. LV.



O. Matthæus Gibertus vir probitate, & eruditione præcellens Datarius Apoſtolicus, & Veronæ Epiſcopus Genuæ S. Stephano ſacram Abbatiam Clem. VII. Pontifice adminiſtrabat, cum peſſima loci conditione inſpecta ſancto quodam ſtudio exarſit in melius pro copia reſtituendi. Anno humanæ reparationis 1529. eò plurimum operæ contulit, vt pios viros, eoſdemque Diuinis officijs, & Benedictinæ diſciplinę ſua ſanctitate reponendæ maximo Curialium emolumento deduceret. Oliuetanos tandem adſciuit. Ad Menſam (vt aiunt) fructuum partem attribuit, alteram ſibi, ſuiſque poſteris Commendatarijs reſeruauit. Negocium Præſul Generalis noſter demandauit Fratri Angelo Albengano S. Venerij de Tiro Abbati, ac Viſitatori, & F. Gratiano Curleto Monacho, & Syndico S. Hieronymi de Quarto. His D. Sebaſtiano Faualio, & D. Antonio Confalonerio Monachis, qui antea ibidem commorabantur, non diſcrepantibus Epiſcopus tradidit Cœnobium cum ædibus, hortum cum domicilio adiunto, omnia terratica, (ſic appellant) pēſiones, annuos cenſus, quos Monaſterio quinis perſoluerit, ſacræ Procurationis prouentus, decem, & quatuor diuerſa loca (breuitatis gratia ſingulorum nominatio omittitur) in S. Georgio, conſuetam prædia, molas, aliaque bona ſtabilia, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus locitādi poteſtatem, laudemia ex hiſce locationibus, aut libellis accipienda, immunitates omnes, liberationes, aut permutationes, quæ circum allata Abbatiæ commoda acciderint. Vniuerſa Bononiæ eodem anno 12. cal. Decembris Pontifex approbauit. Poſtero autē 3. cal. Aprilis, in quem diē Eſurialis prima dies Dominica incurrit F. Benedictus Tōſus Mediolanenſis Oliuetanæ Reip. maximus rector eò vſque contendit alijs Abbatibus, & Monachis in eam cauſam adſcitis, ſacra magnificè operatur, & celebriori ſupplicatione peracta S. Stephani manum, quæ, vt dicemus, in hoc templo cuſtoditur, circumferens, politiſſima oratione, quam Dominicus Grimaldus Sabbatenſis Epiſcopus, & frequentiſſima Concio excepit, à F. Io. Dominico Mediolanenſi, omnibus plaudentibus habita, accipit à procuratoribus Cōmendatarij Templum cum Monaſterio in poſſeſſionem. F. Archangelus deinde Fliſcus, primus hic Prioratus munere honeſtatur. Templum in commodiorem formam redigit, Odæum ponè Aram trāsfert, ſacrarium neceſſarijs ornamentis

Io. Matthæus Gibertus Epiſcopus Veron. Commēdatarius Abbatiā Genuēſem cōmittit Oliuetanis.

namentis instruit, aliaque id genus perficit, ac decernit. Ita per beneuolos efficit Paræcianos. Aequè sibi, atque socijs dignitatem, & venerationem conciliat. Ædibus verò Monasterij vetustate labefactatis reparatione indigentibus à Commendatario ad perbreue spatium, ædificium in proximo constitutum vtendum impetratur ad habitandum. Quo facto Gratianus, de quo supra, Bononiam de industria proficiscitur ab eodem Commendatario petiturus, vt venalem faciat. Fecit autem librarũ quatuor millibus, & quingentis. Sed nonnullis, qui animo non bono in Oliuetanos utebantur, Reipubl. deferentibus, Domum lege nescio qua obstãte, coemptam, neque ijs, qui à rebus humanis desciuissent ad ipsa Vrbis mænia, Bello præsertim ingruẽte habitandum, datur opera, ut eodem argento homini Genua oriundo rursus uæneat; uænit autem Francisco Clauarino. Anno igitur 1533. nostri domo ad Monasterium egrediuntur, ruinas, quàm commodissimè possent, reparaturi. Dum hæc geruntur, Gratianus Bononiæ commoratus, quod Pontifex cum familiaribus, in quibus, & Episcopus Gibertus nostro delectaretur domicilio S. Michaelis in Busco, per eã occasionem, eodem Giberto suasore, vt nobis totã liberè Abbatiam permittat, deprecatur. Tñ ea in re laboris impendit, ut, uel Pontificia lata lege prohibente, ne cui in posterum Religiosæ familiæ Monasterium, aut Ecclesiasticum Sacerdotium perpetuò adscribatur, voti compos summa cum dignitate, & felicitate factus sit. Grandis tamen pecunia consumitur propter diplomata, aliaque aurei ferè quadringenti. Iam verò de origine, de iuribus, quibus fruebatur, quibus hodie fruitur Cœnobium referendum est. Eius primordia à nato Seruatore 972. per Theodulphum Genuæ Antistitem, siue eius saltem memoria, enarrantur. Clarissimum illud est factam de illo mentionem eiusdem sæculi anno 82. occurrisse. Benedictini, qui hic vixere primi nigras vestes induebant, sed certo post tempore, congregationis nescio cuius candido vtentis cucullo Abbate præposito candidas acceperunt; anno demum 1260. cum permultæ essent apud Genuenses Religiosorum familiæ albis amictæ, vnde scelera interdum ab alijs perpetrata simul, malo quidem exemplo Sodalibus S. Stephani tribuebantur, Abbas cum Monachis, Presulum, & presertim Gualterij Archiepiscopi consilio, nigras receperunt. Permansisse credo, dum nos illic candidas induximus. Innoc. II. anno 1136. has commemorat Ecclesias à S. Stephano ante hac, & tunc temporis pendentes. *Ecclesiam S. Nazarij de capite Albanis cum decimis &c. suis. Ecclesiam S. Viti. Ecclesiam S. Iustæ de eadem villa. Ecclesiam S. Crucis de Castello Ianuæ. Ecclesiam S. Stephani de Sezaido. Ecclesiam S. Stephani de Villaregia. Ecclesiam S. Stephani de Castro S. Romuli cum &c. Hospitale quoque iuxta Monasterium, & in territorio vestro constructum. Villamregiam cum omnibus possessionibus &c. ex donatione Adelasiæ Comitisse, &c.* Similiter anno 1190. Celestinus III. adijcit iam dictis, *Ecclesiam S. Iuliani sitam in territorio Naboli.* Innoc. IV. easdem recenset, & præterea. *Ecclesiam S. Mariæ de Villaregia cum pertinentijs suis, Ecclesiam S. Mariæ*

Theodulphus Genuæ Ep̃s fundator Abbatiæ

Habet primo Benedictinos nigris utentes.

Ecclesiæ quæ possidentur.

riæ de Pompeiana, Sezaidensem prætermittens anno salutis 1251. Quæ de nonnullis peculiaria legimus, afferuntur. Ædes S. Nazarij de Albario quandoq. vocitatur. S. Crucis de Castello Genuæ nos certè possidemus, erat quondam Lucensium mercatorum Iuspatronatus. Quare anno Domini 1252. scriptum legitur. *Nos Viuianus Capitaneus hominum Lucensium existentium in Ianua mercandi causa, nec non ipsi Mercatores N. pro nobis, & alijs mercatoribus Lucensibus præsentamus vobis D. Ambrosio Abb. S. Stephani, & Conuentui vestro Presbyterum Petrum de Rampallo in Rectorem & ministrum Ecclesiæ S. Crucis de Sarzano &c.* S Stephani de Villaregia, & S. Stephani de S. Romulo Pontificis permissu anno 1142. Otho Episcopus Albingensis cũ possessionibus, ijsque, quæ ad eam pertinerent Monasterio donauit. Anno tamen 1258. permutant cum Gualterio, quo de supra meminimus Archiepiscopo Genuensi. Is ad Monachos transmittit Aedem S. Martini de via in Bisagne, suumque Palatium Monasterio conterminum, & 769. libras; Abbas ad eum, quas paulò ante memorauimus. Modò S. Martini obtinent Minorides Obseruantes (Pacis vulgò appellatur) censumq. Monasterio persoluunt. Quòd ad Villam regiam spectat positam in Albingensi dono dedit Adeleida, aut Adelesia, quemadmodũ supra dicitur Hermanni Ducis, & Marchionis vxor, Bertæ Comitis filia anno 1049. Ducentos quinquaginta annos liberè eã tenuisse comperio Abb. S. Stephani. Anno Christi 1217. Raymundus Abbas eò mittit edictum multa continens, quæ populares exequerẽtur, & 1285. annuum stipendium condonat. Hæ tabulæ planum faciunt.

IN Christi Nomine. Amen. Anno Domini 1285. Ind. 13. die 14. Nou. Cum homines Villeregiæ teneantur omni anno per tres dies coram Domino Abb. S. Stephani Ian. & Domino Villæregiæ assistere pro curia facienda, & dare omnibus, & singulis annis octo (solidos puto) *XXX. Ian. dicto Domino Abbati pro procuratione, & iurisdictione eiusdem, & Monasterij memorati, & dicti homines tam propter guerram Pisanorum, & exercitus quàm alijs...... se grauatos dicerent, atque supplicarent venerabili Patri Domino Fredentio Abbati Monasterij prædicti, vt eos a curia præsentis anni præstatione..... XXX. Ian. relaxare de gratia dignaretur, dictus Dominus Abbas in publico parlamento per homines Villæregiæ more solito in palatio dicti Domini Abbatis congregato, eorum supplicationibus inclinatus, volens eidem in necessitatibus subuenire à curia prædicta & præstatione Sol. XXX. Ian. pro anno præsenti duntaxat prædictos homines. ..... Villæregiæ de speciali gratia relaxauit. Actum in palatio prædicti Domini Abbatis de Villaregia. Testes Dominus Guido Albertus iudex de Tabia &c. Ego Guill. Saluatius notarius, &c.*

AEdem S. Iuliani Monasterio concessit Sauonensis Episcopus, Celestino III. affirmante anno ab orbe Redempto 1194. S. Mauritij de Villaregia, & S. Mariæ de Pompeiana à Canonicis Albingensibus anno decurrente 1225. dono acceptæ sunt. Albengæ Episcopus id ratum

faciens asserit magno suæ Cathedrali & oneri, & incommodo fuisse, eo quia earum prouentibus ali nô possent Sacerdotes, id nequaquam Monasterio casurum *propter latas possessiones & fructuosas*, quas in illis regionibus obtinebat, videlicet Villamregiam Cœnobij externo pariter, & interno subditam imperio. Præter iam memoratas Ecclesias 1261. velut Monasterij membrum nominatur, iusque profitetur ceræ selibra in duodecim candelas effusæ, S. Margaritæ in Marassio. Forum etiam Abbas agebat vrbanum in vicis Cipressa & Trezuolo, perinde ac in Villaregia. Huius quidem potestatis præter probatas tabulas nihil vidi anno Domini 1277. conscriptas. Ad eumdem spectabat lege, quam dicunt, Iuspatronatus sacrarum Virginum Monasterium, & Benedictino instituto viuentium intra Paræciam ædificatum circiter annum 1347. extra portam Mulcentum per mulierem, quæ Eliana Guidi appellatur, & Archiepiscopo, & Abbate non reclamante Meretricibus ad honestiorem vitam reductis, Virginis autem Annũciatæ nomen erat. Magnum huic nostro Cœnobio afferunt ornamentum pauciores quędam, insignes tamen Sanctorum Reliquiæ. Colitur primum Stephani Prothomartyris sinistra manus. Adseruatur hæc, vtpotè preciosissima extensa, cute perdurante, ac si è viuo corpore nuper recisa, in lignea arcula argento conuestita. In ea manus conspicitur argento pariter contecta. Supra maioris pyxidis operculum, in qua eadem manus seruabatur, hodieque multa sanctorum ossa recondita sunt, hæc scripta legimus antiquissimis elementis. *Seruo manum Stephani Prothomartyris irradiantem miris magnificis, ac multis auxiliantem*. In fronte alterius, quæ Argenteam includit, Historia S. Stephani depicta cernitur lapidibus ad supplicium deducti; à tergo prope aram coloribus exhibetur Sacerdos; ante eum procumbunt vnus ponè alterum viri tres variè coloratis vestibus cooperti, ex his manum alienam supra holosericum à sinistro humero dependens offerenti videtur, ille salutari signo bene precari; alterum aræ latus Monachi duo stantes Manum versus summæ admirationis significationem præbent. Scribit, quem ipse legi, de hac Niceph. li. 14. c. 9. Cum eius Historia præsto non sit, quicquid habet non profero. In capsula argentea anno nostri Reparatoris 1399. elaborata conditum est, os magnum (vt elementa loquuntur) S. Petri Apostoli. Brachium visitur argenteum, in quo legitur, *Os brachij S. Ampelij*; Corpus fama tenet in eodem templo collocatum; Locum certò non indicant. Opinatur aliquis ara S. Catharinæ inclusum. De eo nullum apud me monumentum. Hon inces retulerunt in sodalitatem sub eius nomine institutam hic adscripti, Præsidis sese res gestas habere, propter antiquitatem non facilè perlegendas, exemplum q. daturos. Quæsitæ nusquam apparent. Fabrum Ferrarium prædicant. Picturæ, quibus ara Diuo consecrata exornata est, nullum dubitationis locum relinquunt. Famigerabilis Tabula aræ maximæ opus celeberrimi Raphaelis Vrbinatis. Habeo subdubitantes totam ne ille, an potius meliora, reliqua verò æmulator, siue alumnus effinxerit. S. Stephanus ad

Reliquiæ, quibus hæc Abbatia prænobilis.

viuum

uiuum exprimitur inter coniectos lapides Deo pro lapidatoribus vota faciens. Diuinum omnino artificium iudicatur. Insignem pietatem, cuius his nostris temporibus in hoc templo clarissima edidit exempla Antonius de Principibus Passani digno, non sinam carere præconio, pro varijs operibus librarum ampliùs duodecim millia persolu isse dicitur, vnde anno humanæ Redemptionis 1607. 5. Cal. Iunij à Paulo V. exorauit, quod aiunt, Iurapatronatus, nulla tamen in Abbatem, siue Monachos auctoritate, sed in titulum tantummodo sibi, suisq. hæredibus honorificum. E Genuensibus Abbates duos Generales prædicamus. F. Leonardum Imperiali in anno 1493. & D. Leonardi in 1600. Proabbates verò Generales quatuor F. Philippum Adurnium anno 1418. 1420. & 1431. F. Bartholomæum Adurnium anno 1434. 1438. & 1447. F. Pantaleonem anno 1495. & F. Archangelum Fliscum anno 1516.

Summa in Cœnobium beneficentia Antonij Passanij.

Genuenses in hac familia primarij.

De Monasterio Scaricalasinensi. LVI.



Amaciottum de Ramaciottis, quem bellica laude præcellentem peditum, equitumq. ductorem Iulio II. Leone X. Adriano VI. & Clemente VII. stipendia meritum Historicorum celebrant monuměta, genuit Scaricalasinus Vicus in Bononiensi ad Alpes. Natale solum honestauit extructo anno salutis 1529. titulo S. Michaelis Cœnobio, in quo Prior & è nostris certè duodecim sacris operam nauarent. Non modò confirmauit, qui tum Christianæ Reipublicæ præerat Clemens VII. sed & Prolegato Bononiensi negocium dedit, vt ex vnius, siue plurium Sacerdotiorum applicatione, qualia qualia sint annuo ducentorum aureorum prouentu locupletaret. Inde opimis donatur Ædibus, quæ & hodie possidentur. Primùm itaque acceptatur Plebs S. Mariæ de Monghidoro cum Æde, quæ sacrum non sustinet imperium, S. Margaritæ de Frascinchò Curialis, S. Petri de Valle Sambri, S. Io. Baptistæ de Tauernola anno 1531. S. Petri de Sambro in finibus Brigolæ & Mŏtorij anno 1560. S. Donnini à Sacrorum procuratione immunis, Ædiculam S. Mamoli in villula, quam ad Ellum vocant ad Brigolam, & Montorium pertinente; Oratorium per Monachos ædificatum in S. Petro ad Alpes, Sacellum in Villa Stanco ad Tauernolanos spectans per eosdem erectum ad publicam commoditatē quandoque celebraturos: S. Mariæ de Monte Armato intra confinia S. Andreæ in Sirico. Pro Abbate Generali F. Vincentius Buccaferrius Prior tunc temporis Arimini, alijque Socij Bononienses Scaricalasinum sese conferunt. Ramaciottus Monasterium, & prædia multa attribuit. Anno autem à Christo nato 1592. D. Ludouicus Bononiensis Abbas Clementem VIII. exorauit, vt Scaricalasini nullius planè vectigalis solutione Iouis quoquo die mercatum, & à festo S. Michaelis per octauam nundi-

Sacræ Ædes Monasterio adiunctæ.

Duo à Clem. VIII. cōcessa priuilegia.

næ publicæ, quod adiacentibus regionibus accidit commodissimum, haberentur.

De Monasterio Grigianensi. LVII.


N agro Veronensi, qua quis ex illa Vrbis regione, quæ Episcopi nuncupatur Vicentiam proficiscitur, ad sinistram in collis vertice (varijs enim Veronẽsis illa regio mirificè exornatur) cuius vulgaris appellatio Grigiani, Giriliani, Ghirileani (ducentesimus, & supra annus euoluitur) ædes perexigua Iacobo Apostolo consecratur, eoque (incertum tamen à quo, vnde, quomodo) eiusdem sanctissimi viri ossa afferuntur. Annus post Christum natum 1393. decurrebat, cũ 8. Cal. Iunij rusticus è proximo oriundus viculo Lauaneo, Philippus nomine, ædiculæ parietem effringens, solumque effodiens, arculam marmoream, quæ adhuc conspicitur, inserto desuper marmoreo lapide occlusam protulit. Illam præsentes nonnulli, quicquid asseruetur scire cupientes apertam humanis ossibus plenam comperiunt, ac diligentius circumspicientes in operculo nescio quam breuem animaduertunt Epigraphen, ibi ossa Iacobi Apostoli requiescere indicantem. Gaudio perfunduntur omnes summa religione concepta. Mittunt, qui ciuitati, adiacentibusque oppidulis ossa Sancti Iacobi Apostoli in Monte Grigiano reperta nuncient. Re peruulgata, Veronenses, & finitimi innumerabiles penè confluunt, sacrum nuper elatum pignus non modo visuri, verum etiam religiosè veneraturi. Deus interea, vt Apostolo suo è tenebris dudum eruto gloriã pariat, multa ibi, eademque varia præstitit miracula. Cum quotidie maior fieret, eò peregrinantium concursus, Apostolo templum superiore longè nobilius, ac illustrius eodem in loco Ciuitas excitãdum constituit. Fundamenta eodem anno iaciuntur superba admodum adstantibus Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, alijsque viris nobilibus è Veronensi, vt insidens moles ad summum nondum perducta sit fastigium. Primarij lapidis consecratio per Piceninum Episcopum S. Teuterię, siue Falterę (auctore habeo) peracta. Episcopo Clodiensi, qui plusculos ante dies eò cõcesserat pro recuperata sanitate nuncupata vota Apostolo redditurus, assidente; Ad consummationem magnum auri, argentique numerum Christi fideles erogant pietate ducti. In primis Senatus Veronensis Montem Grigianum, aliosque agros variè sitos attribuit, quò faciliùs, prouentibus exceptis, tantæ ædis molimen absoluatur. Sub idem tempus Barnabonis Vicecomitis filia in Germaniam; vbi in matrimonium collocata fuerat, contẽdens, fama, quæ de hac inuentione percrebuerat, excitante, Verona iter fecit, vt pietatis ergò in Grigiano sacra Apostoli ossa veneraretur. Primariæ fœminæ aduentus noui fecit occasionem miraculi. Nam beati corporis digitum, siue vt placet alijs dentem ex arca Religionis gratia sublatum, post tertium ab eius profectione diem, super eiusdem

Ossa reperiũtur S. Iacobi Apostoli.

Templum magnificẽtissimè instituitur.

Digit⁹, vel dens ex Iacobi Apost. corpore ablatus tertio die ex miraculo restituitur.

eiusdem Grigianensis Ecclesiæ aram inueniunt mirabiliter repositum ædituì. Maiorem tamen, quod proximè narrabitur, admirationem afferet. Munusculorum, siue oblationum, quæ in Grigiano ad nouæ fabricæ incrementum præberentur, Garello viro bono, ac fideli per viros nobiles, quos titulo Gubernatores S. Iacobi Ciuitas Veronensis elegerat, operique præposuerat, cura demandatur. Id quidem Philippus effossor, & inuentor ægrè ferens Garelli cædem, & cum Reliquijs, pecunijsq. Mantuam versus fugam meditatur. Socijs aliquot adscitis, quod animo constituerat, sacrilegus efficit. Fugam moliuntur, cum ecce tibi Deo auctore, qui Spolijs, nullo pretio æstimandis onustus ingreditur, lumine oculorum orbatur, cęlo statim nubes intenduntur, fluminum instar imbres decidunt. Ea re expilatores perterriti, ossibus arcæ restitutis, pecunias asportant, fuga aliò euadunt. Fieri tum nulla ratione potuit, vt Philippus in iudicium traheretur, sed ab admissis, quarto iam anno exacto, quadringentesimo à Virginis partu sup. millesimum, in vico, qui Cuca nomine, cũ socijs captus Veronam in vincula perducitur: Sceleris confessione habita, pronunciatur à Præside Spineta Spinolo, vt prid. id. Iun. humi raptatus ad vsq. Tumbam, qui locus in Veronæ suburbijs positus est, suspendio tam insigne facinus vniuerso populo inspectante luat, expietq. Senatus Populusque Veronensis ea re fortasse commotus, & S. Iacobi cineribus, & Grigianensis Ecclesiæ dignitati in posterum consulendum ratus, impetrat anno salutis 1397. à Bonifacio IX. Pontifice in ipsam S. Iacobi Ecclesiam ius, quod aiunt, patronatus, vt pro voluntate ad Ecclesiastica officia peragenda Rectores, ministros, aliosve pios, ac religiosos viros, sibi destinare liceat. Pontificium Diploma hoc habes.

Alterū insigne miraculum.

Bonifacius Episcopus seruus seru. Dei. Dilectis filijs Populo, & Communi Ciuitatis Veronensis salutem, & apost. benedictionem. Exigit sinceræ deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geritis Ecclesiam, vt votis vestris, illis præsertim, quam ecclesiarum reparationem, & diuini cultus augmentum respiciunt, fauorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, quòd olim in loco de Monte Grigiano nuncupato Veron. diœc. quædam Ecclesia in honore, & sub vocab. Sancti Iacobi, prout fundamenta demonstrant, fundata, & constructa fuerit, ad quam ex eo, quod in ea ossa beati Iacobi Maioris, vt dicitur, nouiter inuenta fuerint, & Altissimi intercessionibus, & meritis ipsius Beati Iacobi, vt piè creditur, multa miracula operatus est, et in dies operatur magna ex deuotione confluit populi multitudo, vosque Zelo deuotionis accensi, cupientes terrena in cœlestia, & transitoria in æterna fœlici commercio commutare, de bonis à Deo vobis collatis, pro animarum vestrarum salute, & vt diuinus cultus inibi augeatur, ipsam Ecclesiã honorificè readificare, & sufficienter dotare, ac Rectores, & Ministros inibi in diuinis perpetuò deseruituros proposueritis deputare, & pro parte vestra nobis fuerit humiliter supplicatum, vt vobis premissa faciendi, & Iuspatronatus ipsius Ecclesiæ, ac præsentandi Rectores, & Administratores ad eam concedere

Tabula Iurispatronatus Veronã sũ in Aedem S. Iacobi.

cedere

cedere dignaremur. Nos vestrum in hac parte laudabile propositum in Domino commendantes, ac volentes vos specialis prosequi prærogatiua fauoris, huiusmodi vestris in hac parte supplicationibus inclinati vobis præmissa faciendi auctoritate Apostolica tenore præsentium licentiam elargimur. Vobisque postquam ipsa Ecclesia per vos reædificata, & dotata fuerit, Iuspatronatus ipsius, & præsentandi Rectores, & Administratores ad eam hac primaria vice, & quoties ipsa Ecclesia in posterum ipsis carere contigerit eadem auctoritate concedimus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum Nonis Aprilis. Pontificatus nostri Anno octauo.

Traditur possidenda Cassinensibus, qui tamen breuiter absceduntur.

EX his literis Veronenses Ædem S. Iacobi Monachis Cassinēsibus, qui eo tempore, Benedictina nuper restituta disciplina, Patauij in Æde S. Iustinæ varia virtutum exēpla proferebant. Inde anno humanę salutis 1443. abierunt Veronam in Monasterium S. Nazarij, quod modò obtinuerant, translati. Quamobrem habito consilio, Quinqueuiri iterum eliguntur, qui, dum eò noua deduceretur Monachorum colonia, munia Gubernatorum exercerent. Eiusdem sæculi annus agebatur quinquagesimus primus cum lecti viri ad Veronense Concilium detulerunt, sese ex omnibus Congregationibus, ac familijs maximè Italicis vnos sese probasse, ac se legisse Oliuetanos, quorum de sanctimonia, vitæque integritate præclarè cognouerant, iam inde cum Veronam in Abbatiam S. Mariæ in Organo inducti, pristinam Monasterij Grigianensis famam non firmaturos modò, quin etiam aucturos, propagaturos. Hæc dicta secunda cōsequitur eaque vniuersa admurmuratio relata comprobātium, vt proinde omnium suffragijs S. Iacobi Cœnobium Oliuetanæ Congregationi delatum sit. Ergo Proepiscopus Veronensis in Sacrario S. Mariæ in Organo idibus Martij solitis cęremonijs ac ritibus nobis Grigianum tradidit, quod Congregationis nomine Abbas accepit F. Leonardus Cauallerius Bononiensis, qui iure possessionis illò dimisit Monachos, quos Monasterij prouentus alere posset. Anno 1562. Pius IV. adiungit S. Marię de Aselogna Curialem in Veronensi, eamque obtinet. Reliquum videtur satis vt illis fiat, quorum difficilis admodum persuasio sit ossa illa, quæ in Grigiano pijssimè custodiuntur, & videre cupientibus aperiuntur, esse S. Iacobi Maioris Apostoli, cū eius Corpus Compostellæ in Gallæcia, quæ à Grigiano, & ab Italia, quod nemo non ignorat, tanto locorum interuallo disiungitur, adseruari vno ore mortales firmissimè sustineant. Cardinalis Baronius rerum sacrarum Scriptor egregius, & perceleber in huius Apostoli Historia, inquiunt isti, nihil ea de re, ne aliorum quidem sententia commemorat, Corpus S. Iacobi in Grigiano conditum, sed à locupletissimis Auctoribus in Gallæcia, quæ communis est existimatio, requiescere. Equidem in re tam dubia, cum pertinaciùs non tueor, tū simpliciùs expono quæcunque efficiant, ossa Iacobi Apostoli, vel ex toto, vel ex parte Veronenses, aliosque Christi fideles in Grigiano venerari, cæterùm vnicuique libera sit fides. Primum igitur dixerim à priscis tempori-

Datur Oliuetanis.

Sancitum ossa S. Iacobi Apostoli, vel omnia, vel aliqua in Grigiano reposita.

poribus famam Veronæ accidisse Apostoli corpus in Grigiano, brachiũ verò Compostellæ adorari. Inde tritum vulgò prouerbium *Veronise pazzo, Che lascia il corpo per adorare il brazzo*, quo iculariter obiurgantur, qui cum ad sextum ab Vrbe milliarium corpus inuisere possint, longissimũ tamen iter suscipiant brachium Compostellæ veneraturi. Neque cuiquã mirum esse debet Christianam id Remp. penitus ignorasse, nec in eo Veronenses summo studio elaborasse, vt per Romanos Pontifices euulgaretur, in Grigiano, non autem Compostellæ corpus, honorandum Iacobi maioris Apostoli. Veronenses enim credibile est id aggressos nihil impetrasse, ne antiquissima Religionis peregrinatio in Gallæciam tolleretur, tantique Herois cultus in Gallæcia pariter, atque in Grigiano periclitaretur. Id quod de alijs sapienter factum à Pontificibus, & potissimùm de cineribus S. Ambrosii, non ignoramus. S. Luciam Christiani tanquam oculorum Præsidem reuerentur, cui tamen oculos nequaquam elisos ne scius nemo est, quippe quod notissimum sit aliam Virginem Luc llam. s. pro Iesu nomine obcæcatam. Nihil contra Pontifices constituerunt, ne communis ille, quo S. Lucia quotidie cumulatur, honor depereat. Quod ad Baronium attinet. Et ipsum crediderim (quod pace tanti uiri dictum sit) multa aut non nouisse, aut scire noluisse, aut ignorationem aliqua de causa simulasse. Satis de illo. Præterea animaduertendum, vetustos Monasterij S. Iacobi codices euoluenti occurrisse transcriptum, per scribam ex antiquo Chronico monumentum. Hic describitur, vt nemo non intelligat de Inuentione S. Iacobi etiam Chronographum Veronensem meminisse, quem si quispiam me fortunatior inueniat ea de re certius aliquid promeretur. Folium ita inscribitur.

Exemplum extractum ex quadam Cronica veteri penes Franciscum Sumascum Notar. habitantem de præsenti in Villa Illasii Capitu. insf. vt supra. MCCCXCV. die martis XXV. mensis Madij inuentum fuit corpus Sancti Iacobi maioris cum certis alijs corporibus, & reliquijs in monte Grigiani prope ciuitatẽ Veronæ per sex milliaria per quemdam Philippum nomine Rusticum de Villa Lauanei Veronensis districtus, & cum certis alijs rusticis fodientibus ex reuelatione prædicti Sancti Iacobi facta dicto Philippo rustico, vt dictum fuit, qui postea pauco tempore trainatus, & suspensus fuit ad Tombam. Eodem Anno die Martis XXVII. mensis Julij circa horam Tertiarum cum magna solennitate principiata fuit Ecclesia magna in monte Grigiani supradicto ad honorem Sancti Iacobi prædicti, & ibi existentibus Episcopis, Abbatibus multis, & alijs presbyteris, & sæcularibus personis nobilibus. Ille Philippus fuit de Marcegais de Lauanco.

De S. Iacobi Apostoli corporis inuentione historia breuior.

Hactenus folium. Verùm, vt neminem lateat etiam primum de his Reliquijs opinionem non edidisse, referam hoc loco quicquid vir ille maximus optimusque Cardinalis Valerius Episcopus Veronensis in libro sic inscripto. *Sanctorum Episcoporum Veronensium Antiqua monumenta, & aliorum sanctorum quorum corpora, & aliquot, quorum Ecclesias habent Veronæ &c.* Vnde eorum, quæ dicta sunt veritas magis elucescet, cum primùm diligenter examinaueris, quo fundamento, qua auctoritate innixus

supe-

superiùs à me scripta proferat, atque inde maior capitur admiratio Cæsarem Baronium tot ab hinc annis impressum non vidisse. Inquit igitur Valerius.

S. Iacobi maioris Apostoli corpus, siue ossa requiescunt in Ecclesia sua in monte Grigiano extra vrbem Veronam ad milliaria sex, inuenta in ipso Monte anno Domini 1395. die 24. siue ut quidam asserit 22. Maij per Philippum rusticum Lauanei Villæ non longè ab ipso Monte dum foderet cum alijs rusticis in turri Ecclesiæ iam olim in honorem, & sub tit. S. Iacobi fundatæ, & constructæ, sed tunc iam vsque ad fundamenta dirutæ in arca marmorea cum operculo pariter, marmoreo clauis ferreis, per quatuor angulos clausa, in qua erant literæ, Ossa S. Iacobi Apostoli esse declarantes. Cum autem plurimus populum ad visitanda ossa Sancta conflueret, ibique multa miracula fierent, communitas Veronæ sanctarum Reliquiarum, ac loci suscepit patrocinium, nam illas in capsa deaurata cum insignibus Communitatis loco munitissimo in arca ferrea ferris solidis munita perpetuò seruandas curauit. Die autem 20. Iunij eiusd. anni adstantibus Episcopis, Abbatibus multis, presbyteris, alijsq; uiris iacta sunt ibi fundamenta nouæ Ecclesiæ deputatis ab ipsa Communitate Veronæ viris, qui eidem templo per Nicolaum Architectum ædificando præessent. Pilam altaris maioris consecrauit suffraganeus Episcopi Veron. cognomento Episcopus Piccininus S. Teuteriæ vna cum Episcopo Clodiensi, qui propter votum factum valetudine pristina ibi restituta illuc venerat. Die verò 30. eiusdem mensis anni prædicti cum Comitissa Bernabonis Vicecomitis Mediolanensis filia Reliquias ipsius Sancti Iacobi visitasset clam ablato digito, siue vt quidam dicit, dente ipsius Sancti die 2. Iulij summo mane Reliquias ipsius secum deferens Germaniam versus (nam Vitembergæ nupta fuerat) iter suscepit: elapsis autem tribus diebus opera S. Iacobi digitus ille, siue dens super altare prædictæ Ecclesiæ mirabiliter repertus fuit. Die autē 10. Dec. cum Philippus S. corporis inuētor diabolica persuasione adductus Carolum cognomento Garellum prædictæ Eccl. oblationū custodē occidisset, vt & oblationes pretiosas, & Sanctum Corpus inde furtim Mantuam asportaret, oblationes quidem abstulit, corpus verò minimè potuit. Nam cum eius socij sacrum corpus asportantes ad medium montem descendissent virtute S. Apostoli amissa luce, pluuia insuper, ac grandine mirabiliter impediti monte ipso excedere nullatenus potuerunt. Die autem 5. Aprilis Pontif. Bonif. IX. anno octauo qui fuit anno Domini 1397. vel vt alij 1398. concessum fuit Iuspatronatus. ipsius Ecclesiæ S. Iacobi Communitati Veronæ ab eodem Pontifice. Die vero 3. Iunij 1400. Philippus à Zilotto Mediolanensi ob prædictum homicidium, furtum, ac sacrilegium in villa Cucha detentus, & captus die 12. eiusdem mensis Prætore ciuit. Veronæ Spineta de Spinolis vsque ad Tumbam eiusd. ciuitatis suburbium per terram raptatus, ibi, quamuis S. Corporis inuentor fuerit, quod ipse etiam iam iam moriturus verum esse confirmauit, sic tamen suis postea exigentibus meritis, laqueo suspensus fuit. . . . . Postea verò corpus S. Iacobi Communitatis Veronæ publ. decreto oborti belli causa in vrbem delatum est, quod post sedatum bellum eiusdem ciuitatis decreto ad eundem montem honorificè, ac solemniter reportatum est. Illius autem tam amplissimi, & honorificentissimi templi structura bellis intermissa tandem imperfecta remansit. Die autem 19. Februarij 1445. Ecclesia S. Iacobi prædicta

dicta à Communitate Veronæ dotata fuit. Anno vero 1451. die 10. Martij Ecclesiæ huius cura postquam à Nicolao Pontif. max. prouentibus Monasterij Monialium S. Philippi in Sacco extra muros Veronæ ord. S. Benedicti tunc vacãtis, facta vnione aucta fuerat à Communitate Ver. cuius erat Iuspatronatus Monachis Oliueti, vt diuinus cultus ibi perpetuò augeretur cum omnibus redditibus, ac prouentibus in perpetuum tradita est: cum prius ipsa Ecclesia per alios diuersorum Ord. regulares, nonnunquam verò per sæculares personas gubernari consueuisset. Hæc ex saxo inserto in stipite altaris maioris ipsius templi. Ex tabula vetusta ex membranis, quæ in Sacrario dictæ Ecclesiæ seruantur. Ex libro vetusto Ecclesiæ SS. Apostolorũ Veronæ. Ex quatuor diuersis Cronicis manuscr. apud diuersos ciues Veron. repertos. Ex Francisco Corna. Ex lib. Monasterij S. Iacobi in Grigiano. Ex actis Consiliorum Communitatis Veronæ. Ex libris Prouisionum incipiendo à libro signato A. & ex Bulla Bonif. IX. Pont. Max. regist. in libro dictarum Prouisionũ signato E. tenoris, vt infra, & ex Bulla Nic. V. Pont. Max. sub die 13. Maij 1450 registrata in libro earund. Prouisionum, signato F. Erit ne quis durus adeo, & difficilis, qui cùm hæc audiat, siue legat de S. Iacobi corpore grauissima testimonia nostræ sententiæ nihil adstipuletur? Idem Cardinalis Valerius eiusdẽ libri pag. 81. *In Ecclesia S. Iacobi in mõte Grigiano extra vrbem, seu Monasterio reconditum est corpus Sancti Iacobi maioris Apostoli, & asseruatur vas vitreum cineribus plenum: quæ, vt nobis relatum fuit habentur pro reliquijs S. Philippi Apostoli. Asseruatur etiam quædam arca lignea ossibus plena, quæ pro sanctis reliquijs habentur. Nam dum à Timotheo Leoniceno Monacho anno Domini 1537. dilataretur Cappella, in qua collocatum erat Corpus S. Iacobi, ossa illa inuenta fuerunt in eadem arca lignea subter lapide, super quo reposita fuerat Arca ferrea continens Corpus S. Iacobi &c.* Nihil vtique clarius. Cæterùm qua nam ratione sustineat aliquis, alicuius cineres varijs in locis adseruari, quod de multis recitatur, quos alij alibi quiescere arbitrantur, & quomodo adseruari possit tam Veronæ, quam Compostellæ corpus Apostoli, quæ ibidẽ Cardinalis Veronensis persequitur, consideratius inspiciantur.

Quomodo intelligatur alicuius Sancti Corpus diuersis in locis haberi.

Quoniam verò in quibusdam ex monumentis prædictis asseritur corpus Sancti Gaudentij Episcopi Veron. esse quidem in Eccl. S. Stephani, sed in altari S. Mariæ à dextris altaris maioris, in alijs verò esse in altari S. Andreæ dictæ Eccl. Item in quibusdam asseritur Corpus S. Probi Episcopi Veron. requiescere in Eccl. S. Stephani, in alijs verò in Eccl. S. Proculi. Item Corpus S. Valentis Episcopi in Veron. in quibusdam asseritur requiescere in Eccl. S. Petri in Castro, in alijs verò in Eccles. S. Proculi. Sciendum, quod per piam extensionem dici solet alicuius Sancti corpus haberi, quia eius bona pars ibi habetur. Vnde nec reprehendendum, nec redarguendũ quod in monumentis prædictis dictum sit etiam Corpus S. Iacobi maioris Apostoli in Monte Grigiano requiescere. Nam in re huiusmodi, ait Ioannes Molanus Louaniensis in præfatione Martyrologij in Vsuardum. cap. 23. Precor te, cãdide Lector vt in historijs Sanctorum legendis, atque alijs semper tardus velis esse, & modestus in reprehendendo procul absis ab hæreticorum ingenio: qui teste Apostolo Petro quæcumque ignorant blasphemant: procul sis ab Antichristi spiritu, cuius no-

mens est blasphemare nomen Dei, & eos, qui in cælo habitant. Et quod olim B. Augustinus dixit de obiurgationibus. Rarò & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt. Idem de reprehensionibus dictum puta. Hæc Ioannes Molanus.

Illud denique non omittam proximè lectum à me Hernandum à Sancto Iacobo genere Hispanum, qui nostra memoria in singulos toto anno dies festos Meditationes emisit, de S. Iacobo Apostolo, deque tanto peregrinorum in Gallæciam concursu agentem his verbis vsum. *Van a visitar el lugar, donde se dizè està el cuerpo santo.* Quæ non mediocrem afferunt admirationem scriptorem Hispanum de Compostellanis Reliquijs suspensum hærere. Quod si quis pro Hernando faciat, cum non veritum quidem, sed ex communi quadam consuetudine locutum. Instabo, Bonifacio IX. in eo, quod allegauimus diplomate, dum *ex eo*, inquit, *quod in ea Ossa B. Iacobi Maioris, vt dicitur, nouiter inuenta fuerint* indubitanter enunciasse, nec, vt sentiunt nonnulli, animo dubium protulisse. Ita obtinebo. Hæc tamen omnia, quæ de S. Iacobi corpore tradidi, in hoc S. Monasterio requiescere, ex aliquibus, & præcipuè ex Cardinale Valerio allata sint. Ego quidem, quod debeo, cum ea in re, tum in alijs sentio, quod Sancta Mater Ecclesia, & assero id ipsum, quod illa in Breuiarijs, & Martyrologijs amplissimè testatur. Nihil præterea sustineo.

De Monasterio Cremonensi. LVIII.



NNo à Virgine pariente 1513. Monasterium S. Victoris ad Corpus Mediolanense Leo X. auxit Archiprebyteratu S. Stephani de Casale maiori in Cremonensi, quem Hieronymus Fabagrossius presbyter Cremonensis Commendatarius obtinebat. Anno proximè consequenti, qua verò de causa me præterit, subtrahitur. Vt Monasterij iactura sarciatur, Cœnobium S. Thomæ apud Cremonenses, quod olim Cassinenses habuerunt, cuius commendationem Nicolaus Cardinalis S. Priscæ tunc temporis tractabat, pro illo adiũgit. Tenuit, & forsitan, cum adiuimus, tenebat hoc Monasterium, concedente Martino V. anno 1427. 13. cal. Quinctiles Prioratum S. Petri Arsi Gabbionetanum in Cremonensi. S. Thomas Oliuetanis domicilium præstitit ad annum vsque 1546. cum quia Cœnobium in imo positum, & quidem, vt fidelium Tabularum vocibus vtar, in loco fetidissimo, suppresso videlicet humili, ac fere cloacario, S. Thomæ, & S. Ioannis in deserto Abbates D. Laurentius Buffonius, D. Geruasius Monilius vna voluntate cocũtes abeundum existimarunt, quodque factum est, studiosè attentãdum, vt S. Laurentij Monasterium, quo Vbertus Gambarius Cardinalis iure Commendatario ea tempestate fruebatur, impetraretur. Ita igitur conuentum, vt Oliuetani S. Laurentio cum Ædibus circumpositis, officinis, & cum sacra omni supellectile sacrario potirentur, cæterùm fundos, domos, aliaque stantia commoda, inde primam in Odeo sedem, & superiorem

Dat Leo X. Cœnobiũ S. Thomæ Oliuetanis.

S. Thoma ad S. Laurentij Cremon. commigramus

riorem in Templo, publicisque supplicationibus locum, Cardinales, & Abbates venturis seculis per manus consequentes retinerent. Monachos Abbatiam impetraturos comperio Cardinali aureos mille ducentos prænumerasse, inde libras mille ac centum exoluisse, palatium, vel amplissimam in Vrbe domum pro ædificijs, quæ nobis concessa sunt, sibi & successoribus paraturos. Marmoreus hac in Æde cernitur sculpturis maximè expolitus loculus, quo sanctorum Marij, & Marthæ Persarum Martyrum corpora conclusa sunt. Anno post Christum natum 1131. Roma, quod dictitant, Cremonam exportantur, & per Lambertum Abbatem S. Laurentij in Templo S. Michaelis reponuntur. Anno deinde 1462. Antonius Aelius Cremonensis Abbas sacello suis facultatibus excitato, & magna cũ celebritate transferuntur, ibiq; ad hanc vsque tempestatem requiescunt Socij Cremonenses Vicarios tres Generales gloriosè ostentant. F. Benedictum an. 1421. D. Angelum 1580. D. Hieronymũ 1583. *Sacra in h. e Cœnobio Reliquiæ.* *Tres Abbates Generales Cremonenses.*

De Monasterio altero Bononiensi. LIX.



Emplum S. Bernardo sacrum S. Mariæ de Via ex familia Benedictina, & Cõgregationi Bernardinæ annexũ in Bononiensi, (annus circumagebatur 1518. Oliuetanorum Præside vrgente, & Francisco Cardinale S. Ceciliæ, vel de Ticino Abbatiæ Commendatario fauente) Iulius II. nobis, & Cœnobio præsertim S. Michaelis in Busco adiungit, vt, qui ibi, resederint Oliuetani, si quid certaminis, exoriatur, vel incommodi, sit perfugio tutissimo. Paulus III. Monasterij, vel Abbatiæ titulo exornauit. Hodie ex ea, qua Bononienses valent in administratione solertia, in sacris officijs religione, visitur necessarijs omnibus optimè instructum. *Post Bernardinos finiuntur Oliuetani.*

De Monasterio Chiuate. LX.



Nnus agebatur 1556. cum hac Abbatia, quæ S. Petri, vel Calocerij à Chiuate appellatur in Mediolanensi Commendatarius fruebatur Nicolaus Sfondratus, qui postea Gregorius XIV. Sacerdotes perpaucos alebat, cum tradere Oliuetanis in mentem venit. Actum est, & tandem cum Abbate S. Victoris Mediolani, cui pro vniuersa Congregatione huius expediundæ rei copia fuit, conuentum est, vt in prædictam Abbatiam nostri deducerentur, prædijs ad communem victum assignatis. Ex his commemoratas tantum lego sacras Ædes, S. Petri de Abbatia, & pariter S. Petri in Monte non longè distantem, cum proximis, nouis, & veteribus ædificijs, ea lege, vt sex certè Monachi sacerdotio habitent initiati, animas Abbatiæ subditas moderentur, rem diuinam quolibet festo die, nec non singu- *Donamur a Nicolao Card. Sfõdato, postea Greg. XIIII.* *Aedes, & possidetur, cum conditionibus.*

lis Quadragesimæ ferijs peragant, nullo legitimo prohibente impedimento, in Æde S. Petri ad Montem. In consensione firmanda, quod à Gregorio XIII. factum est anno 1580, statuitur, vt bona Mésæ adscripta ad bis mille, & ducentas libras Imperatorias reddant ære Mediolanensi, apponitur, vt duodecim saltem è nostris commorentur; onus præterea impositū, vt in æde Monasterij verno maximè ieiunio idoneus quotannis concionator audiatur.

De Monasterio Nucerino. LXI.



IO. Baptista Castaldus Patricius Neapolitanus, qui Carolo V. Imperatore præclari Ducis nomen consecutus est, qualis utique extitit, & multas opes, tituloſq; Marchionis Cassani, & & Comitis Platinæ comparauit, cum præcipua in Dei Matrē esset Religione, cuius auspicio sibi persuasum habebat è tot sese periculis ereptum in bello, totoque uitæ curriculo aditis, & sublimem adeo famæ gradum apud mortales assecutum, acceptorum beneficiorum gratique animi argumentum prolaturus, templum in eius honorem constituendum existimauit, eosque census attribuendos, quibus uiri religiosi aliquo instituto utentes, ijdemque sacerdotes obsequium Deo præstare possent. Impetrato igitur anno 1530. ab Vrbe Nuceria Paganorū (inditum nomen, siue quod mœnibus septa, iunctaque non sit, sed in plures regiones, aut uicos, quos Latini Pagos, incolas Paganos appellant, distributa, siue quia, Auctore Volaterrano Comment. li. 6. Saraceni aliquādiu consederint, posteaquam à Ioan. X. sunt ad Garilianum profligati) sacello, quæ S. Mariæ dicebatur in dorso Montis finitimi, vbi Montem Albinum uocant, cum fonte peremni, cum uineis, cum proximis, nihil tamen reddentibus syluis. Deinde anno Christi 1541. facta ab Episcopo Paulo Iouio, illo quidem noto Historiarum scriptore, instaurandi, augēdique potestate, atque unum, siue plures prò suo arbitrio, & successorū presbyteros mobiles constituendi, siue Monachorum Conuentum instituendi ea obligatione, ut in singulos annos Cathedrali cereæ elaboratæ libras tres deferret, structuræ initium faciendum, suumque uotum in eo loco explendum curauit. Tum demum, quæ singularis erat erga nos beneuolentia (fratrem enim habebat Oliuetanum D. Io. Matthæum Puteolorum Episcopū) aureis quatuor, & ducentis attributis (ita Raynutius Cardinalis summus, quod aiunt, Pœnitentiarius extructionis copiā faciens, alibi decem ac nouem supra centum numerantur, & tarini duo in Holoserica, in tincturas, in Valclerias, in uectigalia, quæ vulgò dicuntur Pannittorum in Oppido Griffuno, hic tamen fortasse quatuor, & ducentis accedebant) anno redemptoris 1557. Oliuetanis tradidit, ea conditione, vt in Purificatæ Virg. celebritate ibi, ut Institutori, suisque hæredibus cereum libralem daremus, & insignia Castaldia foribus Monasterij,

Nuceria Paganorū vnde dicta.

Paulus Iouius Episcopus Nucerinus.

Assignatur Oliuetanis.

rij, alijsque locis imposita seruaremus, uti hac tempestate seruantur. Monasterium pro angustijs bene ædificatum est, Templum licet exiguum, tabularum, quibus decoratur, eiusque potissimùm, quam Raphael Vrbinas depinxerat, uenustate, maiora ex nostris nõnulla antecedit. Ad eius quoque ornatum anno Virginis parientis 1563. contulit non pauca M. Antonius Pescara Castaldus Io. Baptistæ Nepos ara S. Stephano cõstructa, cui dotis nomine Molam assignauit de Prato dictam, ut supra Monachos, qui uel possent, uel deberent ex Io. Baptista commorari, alter præterea aleretur, lege dicta, ut aureos 4. tarinos totidem Virgini Annunciatæ Paganorum duos pariter aureos summo Templo persoluerẽt. Petpetuane sit, an nõ, è tabulis, nihil habeo certi. Accedit, quod ipso efflagitante, Cardinalis Granuelius eiusdem sæculi an. 78. Gregorium XIII. exorauit, ut singulis sacerdotibus super aram S. Mariæ de miraculis ad dexteram maximæ eodem in templo collocatam pro anima, quæ Purgatorio igne cruciaretur litantibus huic beneficia omnia imperterentur, perinde ac ad S. Gregorij Romæ sacrificarent. Ea re Templum summa Religione exornatur. Elegantissimum legitur ibidem Epitaphium ab eo quo de mentionem fecimus Episcopo positum fratri, quod cum per breuis, & præclaræ Historiæ locum habeat ea referentis, quæ Princeps ille egregiè patrauit, si quis supra cæteros nostris hisce uigilijs delectetur exscribo.

Templum picturis illustre.

Nepos nuncupatoris de hoc Cænobio benemeretur.

Io. Baptista Castaldus Marchio Cassani, & Platinæ Comes vir summa virtute, & rei militaris scientia clariss. qui extrema pueritia sub summo Duce Piscara militare cæpit, cui ob res ægregiè gestas, & ob fidem singularem, cuius etiam moriẽs testimonium dedit, charissimus fuit. Deinde Carolo V. Imp. max. fuit acceptiss. cõ siliorum fidelitatem rerum gestarum amplitudinem, & innumeros pro eo labores exantlatos. Fuit in equestrium copiarum dux præstantiss. militum tribunus fortiss. castrorum metator prudentiss. qui præter cætera à se fortiter facta ad Carbonariã Heluetios strauit, ad Venas cum Gallos fregit, ad Picoccam aduentantes hostes fudit, & a Laudis expugnatione repressit. Ianuam vrbem effi actis portis primus introiuit. Carpos expugnauit. Africano in bello solus contra Mauros pontem sustinuit. Paruo nauigio apud Barchinonem maximam Gallorum nauem cæpit, exussit. In pugna Ticinensi in qua Franciscus Gallorum rex captus fuit phalangem fudit, regis coronam, vexillum, signiferumque est adeptus. Nauarræ regem cæpit, ei gladium, & manoplon ademit, quibus est pro insignibus vsus, ut essent tanti facti monumẽta præclara. Tum Germanica bella, quibus Fedricum Saxoniæ ducem, et Philippum Lantgrauium, cæterosque rebelles Cæsaris edomuit, suo fuere consilio, & labore confecta. Ab Romanorũ, & Boemiæ regibus creatus in Turcas summus Imperator. Mysiæ regnum ab illis occupatum recuperauit. Flagitiosos cum Turcis conspirantes supplicio mulctauit. Lippam vrbem munitiss. expugnauit, hostes interemit. Moldauium Turcarum centum mille militum ducem aduersus se aduentantem fugauit, de Turcis triumphauit. Albam Iuliam in deditionem redegit, diadema sceptrumque, & diues illud paludamentum antiqua Pannoniæ regum insignia ibi asseruata summa industria adeptus Romanorum regi munus optatissimum donauit.

nauit. Horum igitur gloriosè factorum causa, tibi potens Maria Dei Mater Regina cœli, cuius auxilio tot res illustres effecit, beneficiorum memor templum hoc cũ signis tabulis, cæterisque ornamentis gratus, & lubens dedicauit, ædesque omnibus rebus instructas, & apparatas hoc Albino in Monte ædificatas albis sodalibus Oliuetani ordinis colendas tradidit, fructusque, qui victum, cultumque suppeditarent assignauit. Quo perpetuò tibi purè castèque ministrarent. Io. Matthæus Castaldus Io. Baptistæ Frater Puteolanorum Antistes fratris amantissimus, & illius voluntatis obsequentissimus hæc omnia facienda curauit.

De Monasterio Bremidensi. LXII.

SI quando veterem aliquam, & illustrem Abbatiam funditus penè dirutam contemplans, admiror rerum vicissitudinem, sæculorum edacitatem, multoq. magis ex altissimo bonorum, diuitiarum, & iurium loco, quem veterum memoria, quondam tenuerunt Benedictini, prolapsionẽ, Monasterio Bremidensi, oculis vndique perlustrato, eiusque tabulis antiquitate venerandis euolutis, maximè obstupesco. Hoc igitur Monasterio S. Petro dedicatum in Oppido Bremide hodie situm iuxta Padum in Ticinensi, annos circiter septingentos ad Alpes pertinebat in vico Noualitio. Transfertur Saracenis exundantibus ab Adelberto Marchione, Coniugis impulsu Adeleidæ (Principes credo Pallauicinos, eosque qui Cœnobium Castilionense excitarunt) Bremidem, Monachis agros, quos Noualitij obtinuissent, retinentibus. Otho Imperator anno à Christo nato 974. & ante illum Ioannis XIII. anno 972. cum alijs confirmat. Huius, Abbatiæ, quòd ad formam, atque ædificij magnificentiam attinet, nihil aliud præter nomen superesse dici potest, tam multis Ecclesijs varijs in locis, ac Diœcesibus constitutis potitur, siue potiebatur, vt non mediocris admiratio sit suo cum animo reputantibus, tot membrorum caput in eam fortunam deductum. Et quamuis longior enumerando sim, silentio tamen præterire nolui, quas, quod ex se quisque facilè intelligat, summo labore cõgessi; quò vnusquisque faciliùs antiquam huius Abbatię nobilitatem legendo admiretur. Primùm igitur scripto Pontificio anno à Seruatoris ortu 972. Ioan. XIII. confirmata vult præ cæteris. Ecclesiam S. Andreæ in ciuit. Taurin. cum cella, seu Ecclesia S. Albani. Henricus Imperator anno 1014, eamdem firmat Ecclesiam, & Cellam S. Andreæ, & præterea Cellam Andecelli, Cellam Apanni, Cellam Pollentiæ. Honorius II. anno Domini 1126. rata habet illa. *In Episcopatu Taurienſi Cellam S. Albani, Cellam S. Laurentij. In Episcopatu Yporegio Cellam S. Martini. In Episcopatu Guapuicensi Cellam S. Mariæ in Veiano. In Campolauro Cellam S. Boniti. In villa Corbi Cellam S. Petri. In Episcopatu Gracinopolitano Eccl. S. Petri, & Eccl. S. Mariæ. In Ganiola Eccl. S. Mariæ. In Episcopatu Viennensi Eccl. S. Martini iuxta castrum Planiciæ. In Episcopatu Gebennensi in villa Chiclo* (vel *Chirso*)

Transfertur Noualitio Bremidem.

Quã multas sacras Aedes habuerit.

Ial.

Eccl. S. Mariæ. In Castillione Eccl. S. Martini. In Mauriniaco Eccl. S. Sulpitij. Eugenius III. præter eas, quas ante numerauimus alias nominat. *In Episcopatu Papiensi Ecclesiam S. Petri de Lumello. In Castro S. Saluatoris Eccl. S. Ceciliæ. In Tertiano Eccl. S. Saluatoris. In Caleano* (vel *Calcano*) *Eccl. S. Alexandri. In Episcopatu Vercelli in loco policino Eccl. S. Mariæ. In Monte Naru*(vel *Nasu*) *Eccl. S. Michaelis. In Barzolla Eccl. S. Agathæ. In Gabiano Eccl. S. Mariæ cum curte sua. In Episcopatu Astensi Eccl. S. Petri de Vasthe. Apud Morocium*(vel *Moroicum*) *Eccl. S. Quirici. In Clusa Eccl. S. Andreæ. In Vulpile Eccl. S. Ioannis. In Duodecimo* (vel *Duodeuiro*) *Eccl. S. Mariæ. In Castegneto Eccl. S. Galitij, & Eccl. S. Mauritij, & Eccl. S. Mariæ de Subalmis. In Feria,*(vel *Seria*) *Eccl. S. Petri. In Yulasio Eccl. S Dalmatij. In Episcopatu Vinguewuilicensi Eccl. S. Mani*(uel *Mariæ*)*dulcis aqua & Eccl. S. Lucæ*(vel *Luciæ*)*In campo Eccl. S. Margheritæ. In Episcopatu Taurinensi Eccl. S. Petri de Polentio cum Contatu suo. Eccl. S. Georgij cum curte sua. In Castro Sinfredi Eccl. S. Mariæ. In Caualerio Eccl. S. Petri cum curte sua, & Eccl. Sancti Michaelis. In Payno Eccl. S. Petri. Eccl. de Voteguasto. Eccl. S. Firmini In Villario. Eccl. S. Andreæ. In Supponito Eccl. S. Petri, & Plebem* S. Ioannis. *In Odonone*(uel *Camone*)*Eccl. S. Laurentij, & Eccl. S. Geruasij. In Ciuit. Taurinensi Eccl. S. Andreæ. Eccl. Auij in Gozeno. Eccl. S. Dalmatij cum curte sua. In Mota Eccl. S. Mariæ. In Nonalitio Eccl. S. Petri. In Rupeta Eccl. S. Petri. In Azario S. Dalmatij. In Ripa Eccl. S. Albani, & Cappellam S. Mariæ. In Colego Eccl. S. Christophori, Eccl. S. Gregorij, & Eccl. ..... In Burgo Nonalisij Cappellam S. Stephani. In Episcopatu Muriginensi Eccl. de lance. Eccl. de Villario. In Corberea Eccl. S. Petri. In Cosia. Eccl. S. Mariæ, & Eccl. S. Petri. Eccl. de Vocelaute*(vel *Vocelante.*)*In Gabanensi*(vel *Gebenensi*)*in Vallachiæ,*(uel *Villathiæ*) *Eccl. S. Mariæ. In Castillione Eccl. S. Martini. In Maurinato Eccl. S. Suspitij. In Archiepiscopatu Viennensi Eccl. Orimentum in Eccl. planitie. In Buriniaco Eccl. vnam. In Episcopatu Eprudinensi Eccl. S. Mauritij, & Eccl. S. Geruasij. In Valle Monastery de Brianzone. Eccl. S. Mariæ, & S. Petri cum Cappellis suis. In ciuit. Ebredinensi, Eccl. S. Mariæ de Ortis. In Castro Falcono*(vel *Falcorio*)*Eccl. S. Petri. Eccl. S. Mariæ. Eccl. S. Stephani. Eccl. S. Michaelis, & Eccl. S. Flami*(uel *Flauij.*) *In Granselio Eccl. S. Nicolai. In Remulone Eccl. S. Petri. Eccl. ..... In Archiepiscopatu Mediolanensi Eccl. S. Petri cum pertin. suis in Carubio. In Ciuit. Papiensi Eccl. S. Geruasij. In Guapiensi Episcopatu Eccl. S. Petri de Rometa. In Anaiato Eccl. S. Ioannis. In Falrdione* (uel *Fardone*) *Eccl. S. Felicis. Eccl. de Monterinerio*(uel *rinutio.*) *In Valle Auelliæ Eccl. S. Martini. Apud Buxare Eccl. S. Iuliani Eccl. S. Mariæ. Eccl. S. Laurentij. Eccl. de laria. Eccl. S. Boneti cum Cappellis sibi pertinentibus. In Torbo* (uel *corbo*) *Eccl. S. Petri cum Capp. suis. Eccl. de Aspe. Eccl. S. Iuliani. Eccl. de Saluia Eccl. S. Benigni. In Ambello*(uel *Mirabello*)*Eccl. S. Petri cum Capp. suis. In Verano Eccl. S. Mariæ cum Capp. suis. Eccl. S. Mariæ de Valle. In Gratianopolitano Episcopatu. Eccl. S. Mariæ de Gareya. Eccl. S. Desiderij, & S. Stephani. Eccl. de Naugerio cum decimis, & cæteris prænominatarum Eccl. pertinentijs.* In has omnes Ecclesias ius Abbatiæ summum adeo, vt nullius Episcopi Archiepiscopi, cuiuscumque Antistitis vlla premat auctoritas, Pontifi-

cibus

cibus Romanis proximè ſubiectas eodem, qui ſupra Eugenio tertio affirmante. Quòd ad Cæſareum & temporarium ius ſpectat, Abbas huius Cœnobij Comitis, Marchioniſque titulo fruebatur, eratque Monaſterij honor *Padi & Siccidæ à Buccha inde vſq. per medium S. Mariæ de Tolexino*, aut *Solarolo*, & medius, quem intra illos fines caperent Accipenſer, trabes, & aſſes, & alia conſimilis materia fluuialis, quæ Pado & Seſia ſecundis deueheretur, omnes piſces conciliarum (artificia ſunt piſcatoria) quos ſingulis quibuſque Hebdomadis vnica dumtaxat nocte, die Lunæ excepto, quæ magis probaretur adminiſtratoribus Cœnobij, expiſcarentur: Murenæ, quæ intra eadem confinia captarentur, Piſcis dimidia pars, quem Sartianæ territorium comprehenderet, & ripaticum, quę vocant, & palificaticum molarum eiuſdem, hoc eſt, denarij quatuordecim pro ſingulis molis. Poſtremò prædictis ijs finibus nemini præterquam Monaſterio ſuſtinere licitum. Horum omnium probatiſſimas lego tabulas annis 1210. & 1309. In Commendationem deinde (commune propemodum cæterarum omnium incommodum) tranſiuit. Anno 1505. obtinebat Octauianus Arcimboldus, & anno 1509. Hieronymus de Arſago Mediolanenſes. Anno eiuſdem ſæculi quadrageſimo tertio Commendatarium reperio Marium Sfortiam de S. Flora. Is quidem cum Oliuetanis Ticinenſibus agitauit de Abbatia Bremidenſi illis attribuenda, dum traderent ſibi pro ea Monaſterium S. Alberti de Butrio Benedictinum in Dertonenſi, Eccleſiam, & Archipresbyteratum Piccicorni in eadem Diœceſi, quas paulò ante Monaſterium Ticinenſe acceperat. Aſſentiente Pontifice fit permutatio. Abbatia S. Petri de Bremide cum ſuis omnibus, eiſque ſacris Aedibus in poteſtatem concedit Montoliuetenſium. Præter iura, aut temporarias, vt vocant, adminiſtrationes, & quod attinet ad titulos Comitis, Marchioniſque & ad emolumentum Piſcium, aliarumque rerum, quibus ex eo, cum Oliuetani in Abbatiam inducti, nunquam profecto fruiti, Incuria factum credo, vt pauciores ex dictis Eccleſiæ relictæ ſint, quæ vel Epiſcopi, vel etiam fortaſſe populares occupauerint. Acta forenſia, ex quo noſtra Abbatia, quæ ſequuntur adipiſcor. Anno Chriſti 1545. D. Bartholomæus à Legnano Abbas S. Bartholomæi de Ticino Parœcianam S. Georgij de Andreſino Eccleſiā confert in Taurinenſi, quæ annuum ſoluebat aureum. Anno 1554. idem agit de Prioratu S. Petri, & Michaelis oppidi Caballaui maioris in Taurinenſi D. Prothaſius Abbas. Anno 1567. D. Oliuerius de Triuilio Syndicus S. Bartholomæi in acceptis refert aureos quindecim ex annua prędiorum, agrorumque locatione S. Michaelis de Bernaſco in Valentino vltra Padum. Anno 1572. Sabaudiæ Dux D. Philippo Vicecomiti poteſtatem facit Prioratum adeundi S. Petri de Saponito in vico Aſtio. Anno 1577. à D. Ioan. Baptiſta Villio Abbate S. Bartholomæi Prioratus S. Petri de Lumello confertur in eumdem, quo de meminimus, Oliueriū de Triuilio. Anno 1574. Conuẽtus S. Bartholomæi D. Clementem Reſtium Abbatem præponit, & D. Io. Baptiſtam Villium Bedagij Abbatem Procuratores

Gaudebat titulo, & iure Marchionatus.

Abbatia Bremidenſis permutatur cum alijs Aedibus petẽte Mario Cardin. Sfortia Cõmẽdatario.

Collationes. aliaq. perſimilia quæ Abbates Bremidenſes fecerunt.

curatores constituit, & Visitatores, qui Abbatialia visitent, conferant, recuperent. Anno 1600. D. Christophorus Laudensis Abbas in Bremedensi Gulielmum Episcopi Casalis cubicularium exornat Prioratu, siue Sacerdotio animarum curam non patiente Sanctæ Mariæ, vel S. Blasij de Caminata in Casalino. Neque verò affirmem nostros Abbates has tantum habuisse collationes, dicam tamen quod audiui, tot Ecclesijs tuendis parum sanè excubari, cum Præsules, in quorum Diœcesib. positæ sunt, nostra sibi iura vendicant tā neglecta, pro arbitrio Sacerdotes constituant, qui postea, si libitum fuerit, si commodo suo fieri possit, si quę religio inijciatur, adeunt, vti confirmentur, Abbatem.

De Monasterio Baurano. LXIII.



CVm Ioannes Panizatus Rector Curiales S. Mariæ de Baura, & S. Laurentij de Scornio in Ferrariensi, simul coniunctas per D. Angelum Bononiensem Congregationis nostræ Generalem Procuratorem Pio IV. anno 1560. liberè dimisisset, Pōtifex Oliuetano Ferrariensi Monasterio perpetuò attribuit futurum sperans, quæ diplomatum cōsuetudo est, vt plurimū cultui diuino accederet; eoque imperio, vt vel per popularem Sacerdotē, vel per Socium aliquem debita animarum cura tractaretur. Datum etiam diploma meminit, illud à nobis beneficijs vehementer postulatum, vt æstiuo tempore Monachi incommoda valetudine vtentes propter aeris, qua Georgiani minus gaudent, bonitatem, & clementiam sese tantisper recederent confirmaturi. Quadriennio post, dante Pontifice, integrum Monasterium erigitur, & primus ibi Abbatiali infula cohonestatur D. Benedictus Tombesius Ferrariensis. Modicam ad hæc vsque tempora, vel nullam Cœnobij faciem locus præ se tulit, proximè tamen D. Laurentium Bertazzolum antiquissimam ædem demolitum, aliam sanè magnificam, additis Oliuetanæ familiæ domicilijs, excitasse accipio.

Pius IV. iungit Monasterio Ferrariensi

Eodē permittēte fit per se Monasterium

De Monasterio Airolano. LXIV.



DE hac Abbatia, quæ S. Gabrielis nomen accepit familiæ Gatthiæ Neapolitanæ debitam gratiam habet nostra Congregatio, anno enim Christianæ Institutionis 1545. Io. Franciscus Commendatarius D. Placido Neapolitano in M. Oliueto Abbate, qui rem agitauit, exorante, cessit Pontifici, vt eidem Monasterio M. Olïueti, id, quod postea factum est, aggregaretur, ita vt cum Monachorum Collegio, quod Neapolitano minus iungeretur, Abbas resideret. Annū circiter 1558. Scipio Gatthius idem de duabus sacris ædibus animarum procuratione vacantibus S. Antonio, & S.

Io. Franciscus Gatthius Neapol. attribuit

Vitaliano de Petra strombola, quæ antiqua memorant membra Abbatiæ in agro Beneuentano effecit. De hoc Cœnobio decimum ante annum ni hil aliud poterat Historiæ monumetis consignari, verum ab anno 1607. Sodalis noster Neapolitanus, editus, quod etiam significabimus de Salernitano agentes, ad vetera peruestiganda D. Cæsari in hoc Monasterio tum familiaris, nunc Abbas memoriæ prodidit nonnulla prisca, sanè nec indigna, ante hac cognita nemini. Ea breuiter primū prout inuenta sunt seruata quidem temporum serie enarrabo, deinde ad verbum perscribam vt sunt, à præmissa narratione nihil aberrans. Monasterium anno sal. 960. conditum est per occasionem. Airolam Catholici nominis hostibus sextum iam mensem obsidentibus, obsessi extrema rerum inopia imminente, Deo votum nuncupant, si calamitatem auertat, Sancto, quem aliqua ratione indicauerit, ædem posituros. Biduò post prima luce supra collē in quo Monasterium situm est, vir prægrādis aliter sese ostendit læua manu lilia deferentem, dextera vacua, & aperta. Is Airolanis exultantibus, agmina hostium fugæ mandauit. Beneficij tam singularis monimentum ædem S. Gabrieli, & Mariæ Virgini sacram erigunt. Statuitur præcipuè columna S. Gabrieli, Deiparæ, quamuis id nusquam legerim, locatū arbitrantur antiquissimum simulacrum, quod adhuc in eadem veneratur Ecclesia, lata lege, vt quo die hostium victores euaserint, qui dies ante cal. Februarias septimus fuit, solennis anniuersaria celebritas agatur. Ita porrò collis, qui antea à multitudine, & fetore serpentium, nomē assumpserat, his mirè sublatis Pacis appellationem adeptus est. Benedictinis Cœnobium institutum multis opibus donauit Comes quidam Rainulphus, alijque multa religione prediti fideles. Consistoriale diploma, Paschalis II. quod ferè medium Vetustas exesit, attestatur.

Quo tempore, quave occasione erigatur.

Diploma Pontificiū de facultatibus Cœnobij.

Paschalis Episcopus seruus seru. Dei. Dilecto filio Agano Abbati Monasterij S. Gabrielis, & fratribus eius in Airola &c. Ad hoc nos disponente Deo &c. Igitur. &c. Fili Abbas Agane &c. Apostolica itaque statuimus auctoritate &c. bonæ memoriæ Comes Rainolfus aut Vxor eius. . . . vel alij quilibet fideles Cœnobio vestro de suis facultatibus contulerunt &c. In quibus hæc proprijs nominibus duximus exprimenda. In Airola Ecclesiam. . . . . Ecclesiam sanctorum Laurentij, & Nicolai. Ecclesiam S. Viti. In Castello ervinaria centum, & viginti Casal. hominum cum omnibus eorum redditibus, & cum omni dominio tam in planis, quā in montibus . . . . solam eiusdem Castri munitionem. Item ibidem Campum Marzuli. Cardetum. Curtem compalatij. Curtem quæ dicitur. . . . Carpinello cum Ecclesia S. Celestini in Mōte Virgilij. Ecclesiam S. Vitaliani. Eccl. S. Adiutoris, & Eccl. S. Felicis vbi dicitur ad collina &c. Datū Beneuenti anno 1108. 7. Cal. oct. ind. 1.

Aganum Abbatem Beatum, vel Sanctū prædicant, quod infra persequemur. Quæ superioribus annis, patuerunt eorum breuiter allata sententia, modò accedamus ad vetertima eadem, quæ reperta sunt, monumenta. Primùm de origine Monasterij, in precationum Dominicarum membranacco, eodemque, vetustissimo codice, quæ sequuntur animaduersa.

Quare

Quare fiat festum in die 23. Ianuarij. Sciat vnusquisque, quod in anno 960. inimici † Christi obsiderunt terram istam menses sex. sed quoniam videbant omnes, quod nihil valerent contra inimicos, sed consumarentur fame, siti, frigore, & cade, rogauerunt Deum, vt si eos liberaret, ædificaturi essent templum dicatum in honorē, cui Deus eis ostenderet, vt placeret. Et sic in ipso monticello primo diluculo post diē secundum apparuit homo grandis, in sinistra biliata manu, in dextera aperta manu, alatis humeris, qui statim omnes fugauit, & corruentes fugerunt persequuti. Et ita in eod. loco erexerunt Templum in honorem Sanctiss. Archangeli Gabrielis. Et hoc festum celebratur die Dominica post festum Conuersionis Diui Pauli Apostoli, quia in ipsa die fuit hæc liberatio, & celebratur per totum mensem dierum sequentium, & etiam à primo die eiusdem mensis vsque ad finem, & dicitur Missa Angelorum. Iste mons vocabatur serpentinus, quoniā multi Serpentes in eo habitabant, et in certis temporibus periebant multi, & quasi mediā pars hominum propter fœtorem veneni. Sed postquam templum fuit ædificatum cessauerunt hæc animalia, & vocatus est iste mons, mons pacis. Vt habetur in scripturis istius Monasterij, & in confessione omnium mobilium in libro signato C. Ego Frater Gabriel Rebursa Abbas scripsi, vt notum sit omnibus. † MCCI.

HÆc quàm vera sint, aliæ tabulæ efficiunt, quæ fortè fortuna eidem, quo de supra, Cæsari in manus deuenerunt. Mense Martio anno proximo sæculari, atrocissima exorta tempestate, Odæum cū aliqua templi parte ruinas fecerat. In reparatione anno 1606. parietem demolientibus argillacea vasa duo apparuerunt, ex altero stannea fistula effertur digito persimilis auriculari, in qua chartæ veluti Gossyperiæ fragmentū his inscriptis. *Inter Lilia ascendet columna, & inter rosas consurget Diuus, Felices nouissimi, qui digni fuerunt primis reperire negata.* Anno subsequente cum è scrobiculis columnarum, quæ cum Odæi tolò disturbatæ sunt erueretur, chartula reperta est, in qua Longobardicè sic legebatur. *Columna in honorem Sanctissimi Archangeli Gabrielis, & Patriæ liberationem anno 970. principatu Domini Pandolphi gloriosi Principis.* Cupidiùs perscrutantibus obuium extrinsecus in media columna alterum foramen Ligno occlusum, quo clauus fixus Lychni pro Eucharistia dependentis funiculum circumuoluens. Hinc arcula plumbea effoditur cum scripto Longobardico. *Qui inuenerit, inueniet vitam, Ego Landulphus Archiepiscopus Beneuentanensis Ecclesiæ posui reliquiam S. Bartholomæi Apostoli anno † 970.* In duo ossium frustula disiecta erat. Alterum Romā cum capsula mittitur ad Cardinalē S. Ceciliæ Protectorem, alterum in pristinum locum reponitur. Postero anno 1608. cal. Febr. amolientes artifices, & diruentes arā ædiculæ vulgò delli Luca, vnum sub area palmū corpus aperiunt B. Agani Abbatis, ad quem annos ab hinc amplius quingentos, vt tradidimus à Paschale Pontifice, scriptum est. Nullum tenera cum corpore, vel aliàs testimonium. Attamen tale agnoscitur, & procul dubio creditur popularibus senio confectis, & multis præterea speciebus, quę, vt asserunt, nostra quoque tempestate varijs Presbyteris, & Monachis eādem super aram imolātibus ob-

Corruit in cella Odæū 1600. *Reparatur & multa in reparatione produntur.* *B. Aganus Abbas.*

uersatæ sunt, fidem facientibus. Inuentio Romæ defertur. Ritibus præsidens Congregatio de ratione, qua corpus custodiatur, interrogata, Respōdet, vt inquiratur. Eapropter S. Agathę de Ostrogothis Proepiscopus, ex Airolanis multos, & Ecclesiasticos, & populares fide dignos excussit, assecutusque est, illud verum esse corpus B. Agani, vt perinde, ac tale merito omnes honore prosequantur, apertissimè scribit, eiusdem fortasse Cōgregationis iussu, Cardinalis Patronus, ad quem Sanctissimi pignoris frustulum mittunt inter varias, & prope innumeras Sanctorū reliquias adseruandum. Quid plura? Vbique perspicitur, vt existimo, diem aduenisse, quo Deo ita constituente, Aganus paulò clariùs, quàm nudo nomine, ut antea in terris agnosceretur, & adoraretur, quandoquidem preter ea, quæ allata sunt eodem ipso anno nouum lumen effulsit, quo quis, qua lisue esset, planiùs ostenderetur. Pallæ thecam peruetere erat nescio quis (Cęsar ne supradictus?) concinnaturus dissutę crassiori papyro adglutinatum conspicatum est monumentum eiusmodi.


In memoria æterna erit iustus. In Anno 1100. Sextilis. Fuit plaga magna in valle Gaudina morbi pestiferi. Cum autem facerent processiones assistente nostro Abbate Agano, omnes nos audiuimus vocem nescientes à quo loco, quæ dixit. Agane age age, quia exauditus es, & cessauit Plaga. Itaque ab illa die, & quolibet anno in die festi omnes familiæ promiserunt vouentes vnusquisque dare libram vnam ceræ, & in loco vocis Abbas posuit in plano arborem Tiliæ, vt magis duraret. Hæc scripsi ad memoriam ego Frater Gulielmus Carazolus de Baucio de Neapoli 1199 Item mortui sunt per mensem vnum homines 500. ita quod oportuit Monasterium triturare frumentum, & alius Monachus, qui habitabat Hyrpinum in Cappella nostra S. Mariæ de Iugo fecit similiter, & ibi mortui sunt homines 460. mulieres ex vtraque parte 600. Puerorum, 1003. & Monasterium curare fecit reliquos, & omnia bona reseruauit. Et istæ duæ terræ obligatæ sunt in isto Monasterio. Laus Deo. Sancto Benedicto, & Agano, quod eorum intercessionibus quieuit plaga.

Furcę Caudinæ à Caudio oppido.

Vallis Caudina à Caudio dicitur Oppido antiquissimo furcis Caudinis celeberrima, quas à Samnitibus coacti turpiter subeunt Romani. Ab his secundo milliario distat Airola. Iuxta Parœciam, quæ ad Monasterium pertinet S. Laurentij binæ Tiliæ existunt. Altera præsertim satis annosa, quam incolæ autumant à B. Agano consitam. Ædicula de Iugo nominata, cum f. eo in loco Romanis iugum impositum sit, siue, quod alibi, de Harpaia, quæ vrbs erat Harpadium, referente Alberto priscis nuncupata (rectiùs itaque fortassis pro Hirpino superiùs legas Harpadium) S. Mariæ de Gratia nostra memoria nomen habet. Est, vnde nam ignoratur, Francisc anorum obseruantium, qui ne vllum quidem censum, quæ nostra est incuria, nobis persoluunt. Ad Paschalis diploma redeo. Præter Ædes, quæ in illo memorantur, Monasterium alias possidet simplices tamen, & animarum cura vacantes, siue malis nonnullas nomine solùm, & titulo cognitas, vt pene funditùs excisas, S. Mariæ de Niue, S. Simeonis, S. Mauri, S. Hieronimi, SS. Philippi, & Iacobi, S. Leucij, S. Iacobi, S. Honorati, omnes in Airolano sitas, & S. Donati, quæ adhuc extat Parœcias

cias in ipso oppido. In Indice huius Monasterij, quem in Vrbe vidi adducitur praeterea S. Ioannis de Colurte, & S. Mariae de Alrola.

De Monasterio Imolensi. LXV.



HÆc S. Mariæ in Regula Abbatia cum ea, quam S. Matthæi de Imola appellant, fuit quidem, atque etiam est Commendationis titulo in virorum nobilium potestate. Eo nomine Alexander, & Octauianus Riarij, & Franciscus Restitutus Clerici obtinebant. Omnis prorsus veræ Religionis conditio interierat, & pro Cœnobitis Sacerdotes populares adhibebantur, qui aliquando sacrosanctum, ac metuendum Christianæ legis mysterium celebrarent, diuinaque officia peragerent, cum anno ab humana reparat. millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, per Oliuetanos Bononienses, Commendatarij consiliū ex composito cœperūt Oliuetanam familiam inducendi. Ex annuis Abbatiæ fructibus aureos ducentos attribuerunt, quibus Monachi admodum quatuor sustineantur. Conuentum praeterea, vt animarum curationem suscipiant, nihil aliud ex Abbatia petituri. Eodem anno pro literis Apostolicis quingentis aureis octo, & sexaginta persolutis, Primus Abbas eligitur D. Angelus Bononiensis. Hic summo ac præcipuo quodam honore colitur immaculatæ Virginis Amiculū argentea theca inclusum. Nullum quidem, quod viderim, extat monumentum, nullæ tabulæ ea de re fidem facientes. Singularis tamen veneratio Imolensium, neque enim dubitari posse videtur, cum theca cōspiciatur antiquissima, &, quod conijcimus, sacro huic velo extructa, leguntur autem vetustissimis elementis, *Aue Maria gratia plena*, & inferius. *Hic est velum Beatæ Virginis, Abbas Vbertus fecit fieri*. In pede ipsius thecæ Encaustica pictura cernitur Virginis stantis, & Monacho, cuius nigra cuculla subrubet, velum tradentis. Celebris est in sacræ Aedis sacello arca ex lapide non ignobili, qua clausum affirmant corpus S. Sigismundi. Armatus Rex insculptus astat. Dexterum habet Monachum genua flectentem cum Pastorali, & codicem apertum manibus præferentem. Sinistra verò sunt hæc verba.

Traditur à Commendatarijs.

Amiculū Beatissimæ Virginis.

Sigismundus vocor, Rex Burgundiorum,
Christi Martyr noscor ictibus eorum,
Deuotis meis pacientibus aufero febres,
De Ausonia Imolam me transtulit Abbas.
Sepultus in terra, in hac me posuit archa.

Egregius Doctor Vbertus Nouariensis Cenobij huius Abbas fundator, reparatorq; secundus. M C C C L X X V. Arca in capite, & pedibus signa ostentat, triplicem Leonem alterum alteri impositum, & diadema regium. In theca, qua brachiū conseruatur S. Sigismundi, & solus digitus a brachio diuulsus, scriptum legimus. *Hoc est brachium S. Sigismundi* 1382. Signa sunt permulta

multa, ex his, quæ supra diximus, in area, Leo triplex in area purpurea. Audio Martyris diem festum celebrari VI. Non. Maij. Si quis exactam cuperet de hac Abbatia proferre Historiam, operæpretium haberet vetustissimas legere Tabulas, quæ in Sacrario dicuntur amplissimis arcis contineri. Ego, cum ad nostram omnino, libereque non spectet Congregationem, videre non potui, visurum non spero.

De Monasterio Lendenariensi. LXVI.



IAmdiu non est, cum hoc Monasterium, cuius Aedes Virginea decoratur Imagine, quæ trigesimum post annum miraculis inclaruit, Reip. nostræ traditum est. Verùm anteaquam ea de re vlteriùs progrediar, quo pacto, quo tempore beneficia per Imaginem excipi, adeoque mira, ac stupenda videri cœpta sint, Historiæ committendum. Ioannes igitur Borretius optimus vir, qui in Lendinariæ suburbijs domicilium habebat, solidum Virginis, puerique gremio insidentis brachio dextro bene precantis in speciem simulacrũ, suis pro Aedibus constituit. Multos annos persistit. Aliquando tamen noctu subita quadam procella loco auulsa in sepimento (mirabile quidem dictu) recta constitit, vnde nemo reuerentiæ causa mouere ausus est, dum Laurentius Malmignatus singulari pietate compulsus Epistylium, vel Sacellulum, quo Imaginem collocaret, extruxit. Ibi ab anno 1509. ad annum 1576. quotidiana mortalium frequentia magna religione inuisitur. Sed Epistylium temporis iniuria iam collapsum Ludouicus Borretius, eleemosynis coactis, comportata materia reparare instituit. Artifices murarij calcẽ maceraturi, siue, vt aiunt, subacturi foueam Epistylio proximam aqua fontana scaturientem petierunt. Vas igitur vix immissum, cum clarus, & liquidus latex sanguineo statim colore inficitur. Res quidem prima fronte horribilis, sed tamen pro exitu saluberrima. Aquæ.n. ita conuersę fama euulgata ad Imaginis venerationem maior hominum concursus factus est, ea opportunitate haurientes multi grauissimorũ morborũ genera depulerunt. Quamobrẽ, quæ, & conterminos omnes pertraxerunt, frequentissimè tres supplicationes habentur. Per id temporis clarissimũ quiddam pariter spectatur; Humor ille purus, & integer, quem in ampullis multi supplicationem insequentes circungestabant, in purpureum colorem, quem tota incedente pompa, retinebat, vertebatur, inde pristinam claritatem recipiebat. Illud autem contigit anno à Christi natalibus 1576. quo anno, quò maior esset miraculo reuerentia puteus extructus est addito cuniculo, quo in alium locũ muro circundatum aqua duceretur. Virginis balneum, siue puteum postea appellatum ex quæstione his de rebus Iulio Canano Episcopo Adriensi, qui Cardinalitiam personam postmodum sustinuit præcipiente agitata exploratissimum est. Multitudinis frequentia, piaque liberalitate crescen

Virginis Lendenariensis orta Religio.

te,

te, vt rerum omniũ æqua ratio haberetur ad magnificentissimæ Aedis fabricationem, eodẽ Epo imperante, Lendenariẽsis Magistratus viros nobiles quinq. cõsulares, singulis annis amouẽdos, Eleemosynis præpositos delegit. Soli aliquantulum coemunt, & specie pulchram, amplitudine tamen non satis nobilem ædem instituunt. In ædificatione Præpositis cogitatio incidit, vt Religiosæ familiæ attribuant. Maturiùs deliberantes in Oliuetanos conueniunt. D. Augustinum igitur Bononiensem Generalem Abbatem de consilio certiorem faciunt. Mittit ille D. Gregorium Capilutum Mantuanum Visitatorem, & D. Michaelem Angelum Bononiensem S. Bartholomæi Rhodigini Abbatem. Loci, ædisque sacræ, in cuius excitatione opera iam collocabatur anno 1578. 6. Calendas Septembres Laurentius Bernardius Proepiscopus, & Bartholomeus Malmignatus Procuratores Episcopi possessionem tradunt. D. Theophilus Malmignatus Oliuetani eiusque maximo Præsidis imperio, socijs tribus adiunctis primus ibi Prioratus munere fungitur. Anno autem 1579. postridie idus Maias nobilissima rogatione, & maxima populi frequentia ex Epistylio ad Sacellum, vbi hodie in summa veneratione habetur, Virginis imago transfertur.

Templum cũ Sacra[...] [...]n agine defertur Oliueta[...]nis.

De Monasterio Salernitano. LXVII.



Abbatiam S. Benedicti apud Salernitanos antiquitate, & nobilitate tradunt maximè commẽdari. Cum tabulario careamus, quod penes Commendatarium statuo, nihil edere potuimus, quàm quod à Leone Hostiensi lib. 3. c. 37. proditum est, Primùm Abbatiali titulo præfuisse S. Alphanum Patricium, inde Archiepiscopum Salernitanum sanctitate & doctrina spectatissimum. Nemo non celebrat potissimùm ex eo, quòd dignus fuerit, qui anno à salute parta vltra millesimum octogesimo S. Matthæi Apostoli corpus inuentum è veteri in nouum suæ Ciuitatis princeps templum transtulerit. Cum nihil aliud afferre possim, transgredior ad tempus, quo Oliuetanis attribuitur D. Cyprianus Neapolitanus idem Abbas, idem Visitator in eo totis viribus desudauit (è fasciculo literarum, quas ille ea de re ad Cardinalem Caraffam Protectorem in Romano Archiuio didici) cum Octauiano Rauascherio Commendatario, idque anno, vel paulò supra 1581. Illo vita functo D. Pius Nutus Senensis Abbas Generalis negocium mandauit D. Michaeli Angelo Perusino, qui Procuratoris munus pro Re Oliuetana Romæ administrabat. Ita demum stetit, vt Abbas traderet nobis Aedem cum necessaria suppellectili iam comparata, Monasterium cum Perystilio, alijsque fabricæ partibus, hortum maiorem cum aquæ dimidio ad eius piscinam decurrentis, & minorem, qui ad læuam occurrit Templum ingredientibus, sibi suisque successoribus eo seposito, qui ad dextram iacet, cum altero aquæ dimidio, & nonnullis peculiaribus domicilis

Prim' Ab. S. Alphanus Archiepis. Salernitanus.

Abbatiã Salernitanã his conditionibus accipimus.

micilis

micilis præter ea, quæ Monachis attribuit, in alimenta singulis annis absque onere è varijs in Ciuitate censibus, & prædijs aureos 400. conferret. Inde verò Procurator Congregationis nomine præter annua sacrificia, ita sese obstrinxit, vt Cœnobium Montoliuetense Neapolitanum, cum aurei 400. ad victum cultumque parandum, & obuiam quamque Monachorum egestatem adiuuandum nequaquam sufficerent, aureis 200. opem afferunt, quoadusque redditus, qui eumdem fructum certò referrent quæsiuissent, vt ære nostro à Pontifice rescriberetur. Et postremò, ne Commendatarius ea lege teneretur, vt in ædificia restituenda, præterquam in sacra æde, contribueret. Cętera, quoties aurei quinquaginta insumendi, dimidium erogaret. Pontifex ea tempestate Gregor. XIII. morte præcurrente ea de re diploma non edidit. Dedit autem Clemens VIII. anno 1591. Cernitur in hoc templo Christus in crucem sublatus, sueta ferè hominis magnitudine cęlatus. Publica est in illis regionibus Imaginis fama, & apprime venerantur Salernitani. Petrus quidam Barliarius (ita loquuntur) Doctor ille quidem, sed ad magicas artes eruditus, cum anteactæ vitæ facinora detestatus ante illam Imaginem vehementissimè pro gratia supplicaret, veniæ significationem accipit, capite declinato, eumque positum, & hodie retinet. Id quidem traditione tantum firmabatur ad hæc vsque tempora deductum, cum ille ipse, cuius de Airolano scribentes mentionem fecimus, templum aliquando componens, puluerem præsertim è venerando simulacro excussurus super caput conditam inuenit Barlianianæ Historiæ, quæ proximè sequitur descriptionem.

Pia imago Seruatoris ligno affixi.

Caput merè demittit Mago deprecanti.

Summarium sicut extat in libro in Ecclesia Sancti Benedicti de Petro Barliario Salernitano.

Anno Domini 1149. die 25. Martij. Petrus Barliarius Salernitanus Doctor in omni scientia, & præsertim Lector Artis Necromantiæ cum multos annos legisset, & ad ætatem annorum 93. peruenisset, & cum iam multos discipulos suos aberrasse vidisset, pœnituit se Necromantiæ operam dedisse. Accedit quadam die, vt Secundinus, & Fortunata nepotes Petri in sua Bibliotheca aperuissent librũ caracteribus, & Demoniorum nominibus plenum. Isti videtes hæc calamo deleti sunt more puerorum. Et statim affuit multitudo Dæmoniorum iratorum, & vlulantium. Hi duo pueri videntes, & audientes clamauerunt. Et currentes omnes de domo (venit etiã Petrus) viderunt pueros extinctos in terra. Cum verò Petrus prospexisset librum, vidit illum deletum, & stupens, ac tremens de fallacia Demoniorum ait. O me perditum, qui alios perdidi. Ecce ad iocum puerorum tremunt Dęmones, & cruciatur, & acceptis libris eos cremauit. Spiritus Sancti gratia tactus cognoscens vitam suã esse breuem venit in templum S. Benedicti, vbi sepelliuit pueros, & ipse ante Crucifixum genuflexus orans tribus diebus, & noctib. profusis lacrymis nunquam de templo discedendo, sic orabat Domine Iesu Christe, qui me de nihilo fecisti, ad imaginẽ tuam me creasti, tuo pretioso sanguine redemisti, & vsq. ad hanc senectutem me de periculis dæmoniorũ præseruasti, ecce alligatus vinculo indissolubili ad te venio, vt me soluas. Et licet non sim dignus pietate tua, tamen confisus tuo pretioso sanguine,

Petri Barliarij Salernitani Necromantia pœnitentia, & ad Deum conuersio.

quo

quo redemptus sum veniam peto. Multa mala feci, pro quibus iram tuam merui. Multos perdidi, & te Creatorem semper offendi. Iam noui me perditum, & in Infernum detractum, & hæc vera iustitia. Sed anima mea, quæ tua est, ad quid in perditionem? O Domine non frustra fatigatus es, nec frustra cam tuo sanguine redemisti. Tu dixisti, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Peccaui Domine, ego sum ille peccator. Ad te venio, & magnam miseriam confiteor, quia magnā misericordiam deprecor. Iam. n. stas extensis brachijs diuinæ Clementiæ: ad te anxiè confugientem me recipe. Ne proijcias me à facie tua. Aperi oculos tuos; & vide afflictionem meam, exaudi me quia rogo te. Aperi mihi hæc sacra vulnera tua: amplectere me in tuis viscerib. pietatis tuæ, qui pro me peccatore tam dirè in Cruce affici voluisti. Ego te flagellaui peccatis meis: Consputi malis verbis. Spinis coronaui operationibus pessimis. Pedibus & manibus truci mea doctrina multos perdendo. Domine nō cognoui literaturā, Ideo lancea latus tuum aperui. Ostende faciem tuā, & saluus ero. Hæc & alia orabat lacrymans, & meruit veniā à Domino. O pietas immensa. Iesus caput inclinauit. Et remisit spiritum, & in eodem loco sepultus est. Vbi à dextris eius Agrippina vxor, & duo nepotes sepulti sunt. Vixit anno 93. menses sex, & dies vndecim, & multa bona reliquit Ecclesiæ, & requiescit in pace. Anno MCCCIII. scripsi ego F. Robertus Abbas † Reliqua in libro scripta sunt, quæ penitus nō leguntur. † Fateor ego Anellus de Martino de Salerno publicus Apostolica, & regia auctoritatib. notarius supradictā copiam aliena manu scriptā esse extractam à quadam cartula admodū libretti scriptam in quatuor cartulis paruulis vtraq. parte scriptis existēte, mihi præfato Notario ostensa per admod. Reu. Patrem Don Cæsarem de Neapoli Ord. S. Benedicti Congregationis M. Oliueti & ad præsens Abbatem Reuerendi Monasterij & Ecclesiæ S. Benedicti Congr. M. Oliueti in ciuitate Salerni. Qui Abbas mihi præfato Notario declarauit illā inuenisse super caput, seu in ceruice aglutinatā in tela linea Crucifixi existētis intus Ecclesiā prædictam in sinistra manu, quando ingreditur in Ecclesia prædicta per ostium, & sibi..... cum quā facta collatione de verbo ad verbū concordat salua semper &c. & in fidem me subscripsi, & signo meo Apostolica auctoritate signaui rogatus, & requisitus ab eod. R. Abbate Salerni die 29. mēs. Iunij 1612. Ind. 10. signū notarij.

Scripturæ confirmationem curauit. Deinde ex mille inscriptionum fragmentis, quibus nullo ordine solū inspersum est, cætera quæ sequuntur monumenta animaduertit Barliarij, Vxoris, & Nepotū, quos supra memorauimus hoc pacto. In lapide marmoreo legitur † *Hoc est sepulchrū Magistri Petri Barlearij.* in altero. *Agrippina in pace.* in tertio demum, *Fortunata, & Secundinus.* Lapides muro infixi, & ob oculos propositi quamcumque dubitationem eximunt de Historia Barliarij. Regitur Monasteriū hoc anno 1620. à D. Marcello Ferdinando Barino viro memoria dignissimo, concionatore præstantissimo, quem (pace aliorum dixerim) de nostris nondum quisquam consecutus est. In summa potissimùm Æde Genuēsi nominis immortalitatem adipiscitur, cùm vigesimum post annum eius memoria Genuensibus recentissimā sit, perinde ac ibidem hoc ipso anno Ecclesiasten egerit. Cinereales Conciones paucis ante annis in lucem protulit, quas eruditissimus quisq. per quā cupidè excepit, euoluit, *D. Marcellus Ferdinādus Barinus concionator illustris.*

vt iterum maximo plausu prolatę sint. Morum integritate in Congregatione nostra nemini ferè posthabendus. Satis tamen de illo, quia viuit. Fratrem habuit D. Fräciscum Abbatem, quë acutissimum fuisse Philosophum, idque sępius publicis disputationibus ostentasse inter nos fama loquitur. Et ipse multis in Aedibus honorificè admodum verbū Dei interpretatur. Rebus humanis cedit Abbas Butūtinus anno 1594. Salernitanus, nobiliq. familia natus est D. Cyprianus Pintus in Philosophiæ, & Theologiæ studijs egregiè versatus, quod Neapoli, Brixiæ, Senis, & alibi explicando, & disputando demonstrauit. Abbas supra quadriennium Liciensis in M. Oliueto Vicarius sedet hodie Generalis. Cœnobio Liciensi præpositus multa, eaq. pretiosa supellectile Sacrarium instruxit. Præcipua sunt, octo candelabra argentea sacrificio seruientia, vrceus & patera ex argento conflata ad abluendas manus, duo pariter ex eadem pluris stante materia candelabra, duæq. pateræ argenteæ ad sacrificia Pötificia apponendę. Serica, & sacra indumenta, quibus Abbates more Pontificio celebrantes vtantur. Sacram quoq. ædē picturis, vitreis fenestris, alijsq. ornamentis decorauit. Temporarijs & domesticis vectigalib. augendis manum eximius Præsul admouit. Annuis prouentib. eius industria accessere in annos singulos scutata centum, & quinquaginta, nundinis, quas Licienses iuxta Cœnobiū facere nolebant, summo studio defensis firmatisq., scutata centū, obtenta ad Buscem controuersia, vbi Baro finitimus certo quodam iure nitebatur perfrui, item scutata trecenta, ampliore facto, quod in foro conspicitur, nostro diuersorio, quod olim scutatis tantūm sexaginta locabatur; demum scutata centum, consita vinea ad Cacarios, ex qua vini, quantum Monasterio satis est, commodè percipitur. Antehac pretio parandum erat. Quę omnia os sciolis quibusdam, & nouis Politicæ cuiusdam disciplinæ institutoribus obstruere visa sent, ita negantibus, quod pro tempore sæpius explosit Cyprianus, absolutā grauiorum artiū cognitionem cum recta administratione nö posse cöiungi.

D. Cyprianus Pint. Salernit. Theologus

De Monasterio Viboldonensi. LXVIII.



Iam secundùm extincta per Pium V. Humiliatorum Congregatione, Præpositura à S. Petro appellata (& Paulo, legitur alicubi) Viboldonensis in agro Mediolanēsi Io. Angelo Arcimboldo defertur Mediolanensi. Is bene erga Oliuetanos affectus mensam Præpositurale à Monachali secernere, Monachisq. ædificia, ac Præpositura domicilia certis limitib. & finibus circū scripta attribuere, octo saltem Monachis librarum 2050. sine vllo onere, quod Præpositurā spectet, singulis quibusq. annis suppeditare constituit. Agitur cū summo Oliuetanorum Antistite D. Gaspare Laudensi, & cum Abbate S. Victoris de Mediolano, à Clemente VIII. nobis equidē suffragante, anno à Seruatoris ortu, 1592. Archiepiscopo Mediolanensi, siue eius vicefungenti negocium demandatur. Pro nobis feliciter absoluitur.

Tenebant Humiliati.

Iungitur Oliuetanis.

De Monasterio Fulginensi. LXIX.

DE Monachis albis à Corpore Christi nomen habentibus Olinetanæ familiæ (quod anno à Christianis natalib. 1582. cecidit) adiunctis, primo huius Historiæ libro verba fecimus. Ad Monasterium S. Mariæ in Campis iuxta Fulgineam; quod illis summum, & princeps, accedo. Quis, qua ętate, Ordinem illum condiderit, nihil noui, sed, tabularum ductu, crediderim, trecentesimum ante annum, nisi fallor, institutum. Illud quidem verissimũ duco Monasterium Corporis Christi (ita plerumq. non aliter dicebantur Monasteria.) Gualdense in Nucerino reliquis multos annos imperitasse, idq. imperiũ ad annum vsq. 1393. constitisse, quo principatus S. Mariæ in Campis delatus est; Sed, quomodo acquisitũ, præmittamus. Ioan. Fulginatum Eps Monachos illos in finibus suis propter eorum virtutes, ac merita habitutus, de hac Æde tradenda cum Canonicis egit. Dummodo Canonicatibus, præbendis, superq. illam saluis iuribus, nihil officiatur, assentiũtur. Episcopus, vt ipse, suiq. successores alterũ ex Monachis, quem magis pro bauerint; Prioré renuncient; visitent; arguant; disciplinã, vbicunq. opus sit, restituant, potestate, certisq. donariorum partibus, quæ anniuersarijs Annũciatæ, Assumptæq. Virginis celebritatibus, & tertia Paschatis festa luce in Templũ conferuntur, reseruatis, reliqua ad illos liberè trãsmittit. Quo facto an. 1373. 3. id. Octobres Trincia, & Conrado Vgolini Trincij Fulgineæ Principis liberis, alijsq. inspectantibus, F. Bernardo Florentino Congregationis Abbati Monasterij imperium, ac possessionem dedit. In externis autem cõmoditatibus, existimatione, ac pietate apud finitimos vsq. adeo locus progressus est, vt Gualdẽsi Monasterio bellis, alijsq. illarum regionum infortunijs tantumdẽ diminuto, vt tituli, Sedisq. Abbatis Gualdo Fulgineam translatio à Pontifice impetretur, Congregatio deliberat vniuersa. Preterea iniuriarum causa, quibus maximè pollentes homines, quos Monachi, vtpotè debiles, & infirmi propulsare nequeãt, sępius afficiunt, à Pontifice petiuere, vt ad Cisterciense Institutum, quod æuo illo, permultis, eisq. insignib. datis priuilegijs, & laudabili persistente disciplina satis florere videbatur, cũ Prioratibus, aut Monasterijs transire liceat. Pontifex Bonif. IX. assentitur, statuitq: Abbatialis honor Fulgineæ sit, ibiq: tertio quoq. anno Abbas pristino more declaretur, quem Abbas S. Saluatoris de Monte acuto eiusdem ordinis in agro Perusino confirmaret, & Monachi locaq. omnia Cõgregationis Corporis Christi ex Fulginensi dependeant; Pontificem quoque monuerant, graue sese incommodum, pati quod ex Eleemosynis, quę aureorũ circiter florenorum quatuor ædi suæ toto anno erogabantur tertiam partem Episcopo, Canonicis æquè tertiam numerarent; Ideo Romæ decretum est, vt pro Eleemosynis in futurum Assumptæ Virginis peruiglio cereum trilibrem Episcopo, alterumq. eiusdem põderis per singulos annos Canonicis deferrent. Sed de hac obligatione legitur an. 1409. rursus ab Epo in pipe-

Vnde Monachi Corporis Christi Monasteriũ Fulginẽse habuerint.

Iidem Monachi ad Cistercien sib. cupiũt adiungi.

ris libram S.Feliciani celebritate persoluendam, quam & hodie persolui audire mihi videor, cõmutatam. Ex eo tpe Fulginense Monasteriũ principem locum in illa Congregatione sustinuit; Quare eo noĩe frequenter appellatur, S.Mariæ maioris ord. fratrum de officio corporis Christi ord. Cistercienfis: vnde, hoc est ex perpetua nominis corporis Christi conseruatione præterquam ex verborũ forma, qua Põtifex vtitur in diplomate Corpochristianorum Congregatione ad Cistercienses aggregata, veram non fuisse coitionem, sed eidẽ Ordini subiectionem, ac priuilegiorum, & bonorum cõicationem, satis perspicuum est. Id quod eò verius est, quòd commercium fuerit breuissimũ. Illud in causa. Cum Monasteriũ S.Saluatoris, quod antea diximus propter bellicos motus, aliasq. calamitates, eo sociorũ numero, eaq. intemerata, quã caput ipsum in tot alia mẽbra virtutem diffusurũ, & pristinæ formæ redditurũ postulabat, cultus, victusq. conditione carere videretur anno 1395. idem Pontifex voluit, vt pro S.Saluatore eiusdem ord. alterũ, hoc est, S.Galgani in Volaterrano acciperetur, huius ãt pariter misera prorsus, & calamitosa rõne pspecta, Vgolini Trincij Principis industria obtentũ est, vt pristinũ Cœnobium fortunam retineat. Approbant Mart.V. ann. 1419. Eug. IV. anno 1443. Idq. æternum fuit. Cisterciensiũ seruata quidem, cum à sua discedas, appellatio, priuilegia. Quæ ãt loca, vel Prioratus hęc Cõgregatio possederit, scire cupientibus, hęc sunt. Corporis Christi de Gualdo, S.Angeli de Murone, S.Catarinæ de Santanatolia, S.Ioannis de Buschis, Corporis Christi de Busco in Nucerino, Camerinẽsi, Perusino. Ad hæc S.Herculani de Perusio, Corporis Christi & S. Mariæ Annuntiatæ de Montescio, S.Iacobi de Tuderto, & S.Marię in Campis, quorũ oĩum Bonifacianum, quod præmisimus, diploma mentionẽ facit. Præterea S.Syluestri de Tuderto, S.Crucis de Comitibus Chigiani Nucerinis, SS.Geruasij & Prothasij de Gualdo, S.Florentij de Perusio cum Sacello S.Herculani superioris, S.Ioannis de Filillo, quod extra, & S.Hieronymi, quod intra Camerinum. Fulginei verò moderabatur Virginum Bethlemiticarum Monasteriũ, cuius anno 1404. nonnullæ mulieres initiũ fecerunt, statq. hodie, nobis nihil præsidentib. Obtinent per id tpis S.Petri de Collefloreto in Fulginensi Xenodochium, quod circa eumdem annũ à Raynutio Fulginate Tertiario, vt vocant, Franciscano erectum, & ad annũ 1451. in potestate Franciscanorum retentũ Nicolaus V. S.Mariæ in Campis adiũngit. Medio ferè Santeraclio, quod Monasterium Castrũ propius abest, huius Ædis Paræcia, Carpello vniuerso, & partim Oppello Villulis conterminis Ecclesiastica sacra procurat. Inde potissimùm Santeraclienses publico, & cõi decreto anno 1480. sepulturæ locum in eo templo deligũt. Fulginatibus, & finitimis erga Virg. Imaginẽ singularis iampridem veneratio est; legitur n. illã Bonif. IX. iter faciens anno salutari 1392 præsens multis vnà cũ Cardinalib. eam veneraturus adijsse, & quotidianæ frequentiæ admonitus quotidie inu scentib. expiatoriæ remissionis annos septem, totidemq., vt aiunt, quarantenas cõcessisse. Anno ãt, qui partæ salutis 1404. agebatur, annuis Virginis Annuntiatæ solemnijs purgatorias omnes condonatio-

Aedes quas obtinebat Congregatio Corporis Christi.

Virgines Bethlemiticæ Fulginenses.

Indulgentia huic Cœnobio concessa.

nes

nes adiecit, quæ S. Io. Baptistæ Natalibus in S. Mariæ Colmagiensis extra Aquilam impetrarentur. Quæ nam essent perscrutatus Celestinum V. anno 1294. ea die, temploq. diademate Pontificio exornatum eodem tempore inuisentes noxis, pœnisq. omnibus liberos voluisse, comperio.

De Monasterio Tudertino. LXX.

Monachos Corpochristianos S. Mariæ in campis Fulginates anno 1582. quod priori libro explicauimus, in Oliuetanum numerum aggregatos Tuderti tria templa possedisse cōpertissimum est. Alterum, quod communi vocabulo intelligitur Corpus Christi, Alterum verò S. Annuntiatæ extra Vrbem in Monte S. Iacobi, Tertium denique, quod hodie in nostra potestate est, S. Siluestro sacrum. Ea ratione impetratur. Ex illis Monachis nonnulli, bellicis tamen, cæterisq; incommodis, ac tumultibus non incolumes priorem sedē obtinentes in sua quædam domicilia, quæ hospitij loco in Vrbe erant recedere moliuntur. Annuente igitur (id quidē accidit anno salutis 1352) Innocentio VI. cum necessarijs sedibus Templum condiderunt, & aliquandiu permanserunt. Gregorio autem duodecimo concedente anno 1408. ad Curiam S. Siluestro positam demigrant, vt sedem constituant, vt diuinis rebus operam impendant, vt, quod duo antea Rectores præstiterunt, sacra animabus procurent. Cum verò Monachi ex aliquo, quod mihi videre non fuit, priuilegio antiquum sibi, suæque Congregatiōni ius consecuti essent, vt Eucharistiæ celebritas in templo, quod ipsi ædificauerant, vti supra dictū est, Corporis Christi ageretur, ita vt eo Clerus vniuersus, & Ciuitatis multitudo conflueret, Monachis ipsis venerabile sacramentum publicè deferentibus pariter, pariter referentibus; quod Templum angustum esset, tantæque celebritati minus consentaneum. Paulum II. anno 1466. vt in posterum Feriæ Eucharistiæ in Aede S. Siluestri, vt potè quæ concinnior, ampliorque sit, celebrentur, exorant. Verùm anno 1565. Clero, multisque Tudertinis Patricijs in Eucharisticam societatem adscriptis, Raynutius Cardinalis S. Angeli, qui summam, vt loquuntur, Pœnitentiariam agit, vt (causam penitus ignoro) in priori Templo dies festus antiquo more celebretur, constituit. Anno demum subsequenti Monachi supplicationem eodem die à S. Siluestro instituendā etiam contendunt. Romam properè Episcopus, exponitque, id templo primario dignitatis plurimum adimere, varièque offendi. Stetit pro Episcopo Cōtrouersia, veteri illo more in desuetudinem abeūte extra supplicationis initium, vt Eucharistiam vnus ex illis, quod & hodie nonnulli in viuis agentes cōfirmant, magnificè circumferret. In literis, quas Cardinalis Alexandrinus ad Moderatorem Tudertinum hac de re anno 1566. quinto Idus Iunias dedit, Episcopum Iubeo (erat quidem Ecclesiæ maximæ minus honorificum) Presbyteri ad Templum S. Siluestri sese afferre solitum, atque inde cælestem Panem tota Vrbe deferendum suscipere.

Tria Tudertoli Cænobia Corpochristianis.

Eucharistia circūferēda priuilegium.

Episcopo Tudertino cum Corpochristianis

Lis est de Eucharistia circumferēda Obtinet episcopus.

De Monasterio Roncofreddensi. LXXI.

Erant Scolchijs Oliuetanis Roncofreddi, quod ad Marchiones Malatestios pertinet bona quædam stabilia, in his ædes in Castro, quas Monachus ad prouentuum curationem habitabat. Sed cum magno esset incommodo fruges Ariminū conuehere (alio præsertim imperio) & Iacobus Marchio huius rei maximo desiderio teneretur, constituitur ædificatio Monasterij, quod à Scolcha seiunctum esset. Erat extra muros sacrarum Deo Virginum Cœnobiolum, nomine S. Bartholomęi earum conditioni incongruens; Agi de commutatione cęptum est S. Bartholomęi, & Ædium intra muros, vt eò Monachi, huc verò Virgines ingrederentur. Id quidem auctoritate Pontificis interposita, confectum est à Virginis puerperio anno 1589. titulo S. Bartholomęi, quod Virgines retinuerunt in S. Benedictum permutato. Monasterium ualde angustū, nostraque familia minus dignum cum multi sæpius restituere, & aliò transferre cogitauerint, nihil tamen effecerunt. Anno tandem salutis 1613 D. Cyprianus Pauonius Annunciatæ Virginis Scolchius Abbas, Episcopus modo Ariminēsis uetera demolitus, idoneo, atque ad aspectum magnifico loco prope, & supra Oppidū designato nouum à fundamētis aggressus certissimā in spem adduxit futurum, vt honestissima, eaque maximè spectabilis structura existat.

Erectio Monasterij

D. Cyprianus Pauonius Eps Ariminēsis.

De Monasterio Ferrariensi altero. LXXII.

Cum Aedes nostra S. Georgij Ferrariensis curiali munere extra mœnia defungatur, eiusque potestas ad Vrbem quoque pertineat, ut Curialibus potissimum noctu sacra administrarentur, sodales Georgiani domicilia quædam in Via nomine Glaria compararunt; His Oliuetanæ habitationi accommodatis, Temploque S. Georgio Martyri constituto anno 1593. D. Aloysius Ariostus, cū eius opera hæc institutio confecta sit, socijs septem adscriptis primus Abbas designatur. Hoc anno 1622. templum amplificatum, & illustratum non S. Georgini, quo publicè antea, sed S. Franciscæ uoluerunt nomine appellari. Monumentum est ea de re marmoreum supra ualuas.

De Monasterio Villanouano Veronensi. LXXIII.

Diximus in Cœnobio Veronensi, Abbatiam S. Petri de Villanoua in Vicentino, cuius annus ageretur à restituta salute 1562. a Pio IV. S. Mariæ in organis adiunctam. Nonnullos ante annos cū Abbate Oliuetanorū familia constitui cœpta est. Ita sustinetur.

De Monasterio Precipianensi. LXXIV.

In superiori Mediolanensi Historia docuimus, anno 1521. à Raphaele Benengasio Genuensi Abbatiam Sancti Petri de Precipiano intra fines Dertonensium Leoni X. remissam Pontificem socij Mediolanensibus tradidisse. Cætera de hoc loco exponenda modo subijcian-

bijciantur ab eodem anno xvi. calend. Iulias possessionem inijt F. Bernardus Brombillius Prior Sancti Victoris, cui quidem Monasterio redditibus suis exinde respondit, quousque anno 1620. Natione Mediolanensi Placentinis, siue Parmensibus Castilionense Monasterium concedente, Præsidum numero suppletum Precipianensi Abbate seorsim constituto cum sodalibus D. Sixto Barellio Mediolanensi. Precipianum nobilitat antiquitas; sed Tabulas quamplures perijsse certissimum est. Magnum profectò castrum fuit; legitur enim anno 1329. Precipianum superius, Precipianum inferius, his verbis: *quod sedimen iacet in Precipiano in Castro superiori, &c.* & alibi. *quod sedimen est in Castro inferiori in Precipiano, &c.* Remotissimum tempus, quo Tabulis, quæ superfuerunt, commemorent annus est à Christi natiuitate vltra millesimum centesimum tertius, & vigesimus. *Dominus Guido Abbas S.P. de Precipiano, &c. ad starium ipsius Castri Precipiani, &c.* Abbas Comitis titulo Castro imperabat. Quapropter anno 1287. *Dominus Ioannes Abbas, & Comes Monasterij S.P. de Precipiano de consensu fratrum, & Monachorum suorum, &c. inuestiuit, &c. poderia, &c. Iacomello, &c. Insuper dictus Iacomellus iurauit facere rationem sub dicto D. Abbate, & fidelitatẽ tãquam bonus, & fidelis Vasallus facere debet Domino suo scilicet contra omnem hominem, & personam, & non tentabit, &c.* Perpetuam dicunt esse memoriam Facinum Canium summum Philippi Mariæ Vicecomitis Ducem Castrum, multaque loca confinia excidisse, cuius, & quorum ruinæ Vineolas, & Grauium plurimum auxere. Harum Villularum incolæ maiores suos ex Precipiano ortum ducere dictitant. Ex illo fragmen aliquod, & fundamẽtorum vestigium uix hodie spectatur. Abbati in Varinellam Vicum ad mille passus distantem imperium est Procerum more in feudis Imperatorijs administrat; sed circa annum 1607. magnam controuersiam excitant Lonati, Varinellam ad Vineolas feudum suum pertinere, iusque nostrum non legitimum coniecturis potius, quam certis, & solidis locis, causisque in medium allatis. Qualescumque sint, exponendo non sum. Leguntur autem in quæstionibus hac de re habitis. Sit satis in Tabularũ Catalogo, quibus, (vbi nam seruentur, superi quidem sciunt, cuia interest, id cogitet. Equidem præsides satis commonere non destiti, vt quam primùm recuperẽt) Varinellam ad Abbatiam spectare efficitur. Fidelitatis iusiurandum, adnotari Abbati à Precipianensibus anno 1280. delatum cum traditione, quæ Varinellana bona Abbatiæ feudalia esse ostendit. Ita annis Domini 1287. & 1327. facit pro nobis, quod ego ipse vidi. *Anno 1378. 24. Nouemb. In Monasterio S. P. de Precipiano, &c. homines de Precipiano, de Varinella, de Vignolis, curiæ dicti loci Precipiani, &c. fecerũt, &c. procur., syndicũ, &c. Conradinũ &c. nominibus supradictis, & totius Communis Precipiani Varinella, & Vignolis ac ẽt Põpagnani curiæ dicti loci, &c. Testes, &c. Ego Ant. f. q. Antonij Bersoto de Serraualle imper. auct. not. &c.* Ita nostræ potestatis argumenta alijs temporibus esse dicunt Iuramẽta, Proclamatione, Traditiones. Quæstiones, Attestationes, fidem publicam exulibus sæpius datam, aliosque consimiles iurisdictionis actus Varinellæ, & anno præsertim 1575. per Laurentiũ Figinum

Firex Abbatia Monasteriũ.

Antiquitas Precipiani.

De feudo Varinella controuersia cũ Lonatis.

Figinum Varinellæ Prætorem damnationem quandam capitalem. Abbati autem, & Conuentui S. Victoris anno 1582. vt vendatur feudum, & pecuniæ alibi insumantur, quod Monasterio magis expediret, cōsiliū fuit. Accedebat, nos sacræ Religioni adscriptos, & regiones illas in finibus positas exulibus, populoque indomito, de quibus nobis satis commodè supplicium sumere non licet, oppletas. D. Pius Senensis maximus Oliuetanus Rector eò curatores dimittit D. Prothasium Canthurium Visitatorem, & Abbatem Neruiani, D. Io. Baptistā Mediolanensem Abbatem Ticini, nostra ne referret, an non venditio diligenter, examinaturos. Præsides pronuntiant, ne veneat. Recentiùs idest anno 1598. beneficium ostentabatur datum à nobis Tonino Plato, quam Varinellanus Prætor capitis, & bonorū præscriptionis damnauerat. In tāta nihilominus rerum perspicuitate Lonati, quod iam dictum est, negociū exhibuerunt. Nullam de hac controuersia sententiam latam accipio; habentes tamen obtinent; moneo rursus, vt tabulæ prædictæ inuestigentur, recuperentur. Abbas olim, nemine prohibente, vt pote Abbatiales conferebat S. Martini de Gagio in Nouiano. Itē anno 1348. Ædem Archipresbyteratus, siue Plebis S. Stephani de Casella Regabij in Genuensi. Item anno 1335. Aedem Clericatus S. Saluatoris de Pratolongo Gabij itidem in Genuensi. Ita anno 1528. & 1584. D. Placidus Pratus Abbatiæ Gubernator, veluti S. Victoris Procurator, & syndicus confert. Ante decenniū Pratolongani superiores, & inferiores inter se conuenientes, Archiepiscopo, non abnuente Genuensi, duas ædes euertūt, atque vnam in medio communem reponunt. Nos quidem nihil obsistentes, quæ in nostrā habuimus, iura perdidimus. Dertonæ modo possidemus. Templum Spiritus Sancti nomine Colūbinum, animarum curatione liberum, & Prioratum anno 1565. decimosexto cal. Februarias à Pio V. delatum. M. Antonius Sillius Vogheranus obtinebat. In tabulis an. 1406. cōscriptis pauca hęc inuenio. *Frater Petrus Bcliolus de Garlasco Prior fratrum, & Cōuentus S. Spiritus de la Columbina de Terdona, &c.*

Agitur de vendendo feudo. *Venditio phibetur.* *Collationes Abbatis.*

De Monasterio Riccardinensi. LXXV.

Comitijs anno seruatoris 1620. habitis Natio quoq; Bononiēsis Monasterij ad Riccardinā in agro Bononiensi, qui locus S. Michaeli in Busco singulis quibusq; annis plurimum reddebat, institutionem obtinuit. Indito igitur Ecclesiæ titulo Sanctæ Frācisca; Sixtus à Bononia cum sodalibus octo, primus Abbas constituitur.

De Monasterio Clusiano. LXXVI.

QVæ de S. Leonardo de Clusia scribere potuimus, scripsimus, cum de Buscano, vnde pendet, sermo fuit. Comitia autē anno Christi 1620. in Monte Olivueto pro consuetudine habita cum sodalibus Abbatem destinarunt D. Vitalem Xacchiensem virum magno ingenio præditum, & in rebus Scholasticis exercitatum.

FINIS.

Angelus Cantinius Correct.

